St. Bernard's Seminary Library

No. 348

Given by Rev Edw J Hannad D.

Room A

Department Canon Law

37387000486363

JUS
ECCLESIASTICUM
UNIVERSUM

JUS
ECCLESIASTICUM
UNIVERSUM

BREVI METHODO AD DISCENTIUM

UTILITATEM EXPLICATUM

SEU LUCUBRATIONES CANONICÆ

IN QUINQUE LIBROS DECRETALIUM

GREGORII IX. PONTIFICIS MAXIMI

AUCTORE

R. P. FRANCISCO SCHMALZGRUEBER

SOCIETATIS JESU

TOMUS PRIMUS, PARS PRIMA

ROMAE
EX TIPOGRAPHIA REV. CAM. APOSTOLICÆ
1843.

This is the property of
Southern Evangelical Seminary
3000 Tilley Morris Rd., Matthews, NC 28105

35 A35 1893

077177

PRAEFATIO

Duplex eorum, qui jus canonicum discunt, vel docent, querela est: una adversus ejusdem interpretes, quorum aliqui, dum doctrinam suam pluribus, magnisque voluminibus explicant, prolixitate sua legentem fatigant; alii contra, dum brevi nimium methodo includere nuci contendunt controversiarum amplissimarum iliadem, plura omittunt, quae legentes rescire cuperent, et sic brevitate sua, vel si ita dicere liceat, avaritia communicandi scientiam suam, desideria aliorum acuunt, non vero satiant. Alteram iidem intendunt adversus doctrinae ordinem; videtur enim tota illa indigesta quaedam esse materiarum moles, et titulorum multitudo, quasi temere, alearum in morem, in juris canonici corpus projecta, non alia cum utilitate, et fructu, quam ut discentes ordo iste male digestus turbet; iis vero, qui aliquousque in sacra ista doctrina progressi sunt, difficiliorem faciat eorum, quae jam comprehenderunt, memoriam. Querela utraque rem primo solum obtutu respicienti justa admodum videri potest; sed penitius eam consideranti, posterioris quidem se ultro prodet iniquitas; adversus priorem autem facile sese remedium offeret. Utriusque experimentum capere in his lucubrationibus nostris cupimus. Ut primae ex illis medeamur, praecipuas libri cujusque controversias, et quaestiones

exponere, sic conabimur, ut cum prolixitate vitemus molestiam, inter brevitatem, quam profitebimur, non omittamus controversias illas, quas elucidatas a nobis lector desideret. Alterius querelae iniquitatem, si fas est dicere, ob oculos ponemus, dum ostendemus, in quolibet decretalium libro eum teneri titulorum simul, atque doctrinae ordinem, quo meliorem in tanto materiarum diversissimarum cumulo nemo facile desiderabit. Titulum cuique libro specialem dabimus: eritque ille ipse, quem glossa iisdem olim dedit in tritissimo illo versu

Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen.

Tu, lector benevole, judica, an metam propositi nostri attigerimus: sin minus, conatum lauda, operis defectum excusa.

APPROBATIO

THEOLOGICAE FACULTATIS INGOLSTADIENSIS

Cum commentationes istae canonicae in quinque libros decretalium, magno studio, industria, et ingenio elaboratae, nuspiam morum, fideique orthodoxae regulas offendant: cumque insuper perpetuo juris pontificii textui ita presse simul, ac fuse inhaereant, ut omnes, quae huc pertinent, et sparsim a doctoribus per integra etiam volumina moveri solent, quaestiones, veluti in nuce Iliadem, mira dexteritate, amoena claritate, ac limato judicio, solidissime concludant: dignissimas esse judico, quae luci publicae proponantur, et ab omnibus juris pontificii tam studiosis, quam magistris obviis etiam ulnis excipiantur. Ita censet

FRANCISCUS SCHILCHER soc. Jesu, theologiae doctor, ejusque in moralibus professor ordinarius, ac pro tempore sacrae facultatis decanus.

APPROBATIO

JURIDICAE FACULTATIS INGOLSTADIENSIS

Lucubrationes praesentes, quibus libri quinque decretalium Gregorii IX. pont. max. industria singulari, et solidissime evoluti exhibentur, tum ob summam eruditionem, et doctrinae soliditatem, tum ob materiae inibi pertractatae praestantiam dignissimae sunt, quae pro utilitate plurimorum in lucem prodeant. Ita censet

JOANNES FRIDERICUS DE SCARDEL, jurium doctor, sacrae caesareae majestatis consiliarius, institutionum professor ordinarius, et pro tempore collegii juridici decanus.

APPROBATIO

FACULTATIS THEOLOGICAE FRIBURGENSIS

Postquam admodum reverendus, religiosissimus, ac profundissimus pater Franciscus Schmalzgrueber, soc. Jesu, ss. theologiae, ac ss. canonum doctor, horumque olim in alma universitate ingolstadiensi, et dilingana professor ordinarius, p. t. autem hujus ultimae cancellarius dignissimus, commentarium suum in quinque libros decretalium Gregorii IX. pontificis maximi methodo brevi, et utilissima doctrina Ingolstadii in lucem editum, denuo sub sacrae facultatis nostrae theologicae friburgensis etiam approbatione imprimi desiderat, petitioni ejus justissimae tanto magis deferendum duximus, quanto minus fidei orthodoxae, aut bonis moribus quidquam in illo contrarium reperitur, insuper ob materiae, quam clarissime tractat, dignitatem, et utilitatem ab aliis censoribus jam antea rite approbatum, dignissimum omnino judicamus, qui pro solatio, et usu multorum secunda vice typis mandetur. Ita sub appenso sacrae facultatis nostrae consueto sigillo, et manus propriae subscriptione testamur

L. S.

JACOBUS CHRISTOPHORUS HELBING ab Hirtzenfeldt, et Buchholtz, eques, ss. theolog. doctor, et professor ordinarius, senior, et primarius, sac. caesar. majest. consiliarius, abbas infulatus ad sanctum Spiritum in Madosca, p. t. sacrae facultatis theologicae decanus, et rector ecclesiae Friburgensis.

APPROBATIO

JURIDICAE FACULTATIS FRIBURGENSIS

Quandoquidem omne bonum communicativum sui, et id, quod animarum salutem solida eruditione intendit, in lucem publicam prodire, et quasi supra candelabrum poni, sicque, ut liceat omnibus, constanter conservari conveniat; hinc, ut lucubrationes istae in quinque libros decretalium (utpote opus doctissimum, solidissimum, eruditissimum, ac utilissimum) orbi litterario verum bonum appetenti, ac solide erudiri, illustrarique ambienti iterum, iterumque publico typo communicentur, dignissimum esse censent, apposito facultatis suae sigillo, et propriis manuum subscriptionibus

L. S.

JOANNES BAPTISTA OBRIST, J. U. doctor, instit. imper. et processus cameralis professor ordinarius, nec non camerae imperialis advocatus, et procurator, et p. t. facultatis juridicae decanus.

FRANCISCUS JOSEPHUS MICHAEL EINHORN, J. U. doctor, pandectarum, ac processus criminalis in universitate Friburgensi professor ordinarius.

JOANNES SIGISMUNDUS STAPFF, J. U. doctor, codicis, juris naturalis, et gentium, ac feudorum professor ordinarius, p. t. universitatis rector.

GEORGIUS ALBANUS DRATER, J. U. doctor, ss. canonum, et juris publici professor ordinarius.

*

APPROBATIO

FACULTATIS THEOLOGICAE DILINGANAE

Hoc *jus ecclesiasticum universum* paucis abhinc annis vulgatum, et summo omnium plausu exceptum, optimo jure publicam iterum aspicit lucem, ut ardentissimis plurimorum studiis fiat satis; adeo enim fidei sanctitati, et morum honestati nulla sui parte adversatur, ut et hanc et illam plurimum promoveat. Praeterea conjungit theoriam solidissimam cum utilissima praxi, vastissimam totius juris canonici materiam cum clarissima brevitate, maximam ingenii perspicaciam cum prudentia singulari; qua quaestiones abstrusissimas mira eruditione, pari claritate, pulcherrimo ordine, maxima soliditate dilucidat, e vastissimis plurimorum auctorum voluminibus nucleum, et nervum colligit, ipsique juri jus suum ubique tribuit. Unde mirum non est, nec unquam fuit, quod hoc *jus ecclesiasticum universum* non solum intra, sed etiam extra Europam fuerit avidissime expetitum, et longe, lateque dispersum. Dignissimum proin censeo, ut ad immortalem clarissimi sui auctoris laudem, universitatis nostrae, quam doctrinae, sapientiae, et nominis sui splendore pluribus annis illustravit, qua juris sacri professor, et hodie, qua cancellarius dignissimus, illustrat, decus, et ornamentum singulare, totius vero litterati orbis emolumentum insigne, et eximium, iterum publici juris fiat. Ita censet

JACOBUS GRANDVILLERS, soc. Jesu, ss. theologiae doctor, et professor ordinarius, nomine facultatis sacrae.

APPROBATIO

FACULTATIS JURIDICAE DILINGANAE

Universum jus canonicum, quod author prius in alma universitate dilingana, tum etiam per complures annos in celeberrima ingolstadiensi, tanquam professor ordinarius, ac juris primarius, maxima nominis sui fama, et reipublicae bono docuit, eam continet juris tam sacri, quam profani abundantissimam doctrinam, ut ob miram, et amoenam cum brevitate conjunctam claritatem, exquisitum dubiarum opinionum selectum, profundam soliditatem per plurimas concertationes solemnes publice demonstratam, copiosam celeberrimorum utriusque juris interpretum veterum, et recentiorum fideliter relatorum authoritatem, ob accuratam cum summorum pontificum novissimis decretis conformitatem, ac omnium materiarum, servato ordine titulorum, eruditam exegesin seipsum praestantia sua ita commendat, ut nostra approbatione, aut commendatione non indigeat: dignissimum proin, quod, ut plurimarum regionum id expetentium votis satisfiat, in lucem denuo edatur, ad publicam rei litterariae utilitatem, omniumque juris seu canonici, seu civilis cultorum, in schola vel foro versantium, instructionem perennaturum.

ANTONIUS SOLL, soc. Jesu, ss. Theol. et ss. canonum doctor, horumque in alma, et episcopali universitate dilingana professor ordinarius, nomine facultatis juridicae.

APPROBATIO

SACRAE FACULTATIS THEOLOGICAE SALISBURGENSIS

Jus ecclesiasticum universum, seu *quinque* libri decretalium *clarissimi p. Francisci Schmalzgrueber S. J. etc. etc.* videnter esse comparandi panibus illis *quinque* hordeaceis *Joan. c.* 6. eo quod multa millia hominum legentium saturare possint. Sed unde pinguedo? unde adeps, quo panes isti ad gustum palati deliniantur? En clarissimi authoris nomen, et omen! *En pinguedinem! En adipem* ss. canonum, ac legum in his quinque libris tam thaeoriae, quam praxi optime deservientium! in his *comedetis adipem in saturitate; Ezech. cap.* 39. *vers.* 19. Neque metuenda est dulcissimi potus absentia, vel defectus; neque sollicite cogitandum, quod *hauriatur parum aquae de fovea; Isai. cap.* 30. *vers.* 14. Siquidem clarissimus authoris convenienter suo cognomini etiam profundissima *fovea* est, ex qua scaturiunt limpidissimi scientiarum rivuli, nulla faece erroris còntra orthodoxam fidem, nulla spurca contra bonos mores amurca perturbati, aut permixti. Venite jam, quotquot laboratis, et in utroque juris studio onerati estis, his clarissimus author reficiet vos, omnem in utroque studio *famen*, *ac sitim* extinguet. Aspiciat ergo hoc jus ecclesiasticum universum, famulantibus pretiosis instrumentis typo, et praelo, mundum, et lucem publicam pro utilitate communi, pro immortali fama clarissimi sui authoris; *alias super aetera noti.* Ita censet, et judicat in archiepiscopali universitate Salisburgensi

P. AMBROSIUS ZIEGLER, ord. s. Ben. in monasterio cremisanensi sup. aust. professus, ss. theol. doctor, ejusdemque professor ordinarius, celsissimi, ac reverendiss. S. R. I. principis et archiepiscop Salisburgensis consiliarius ecclesiasticus, nec non s. facultatis theologicae p. t. decanus.

APPROBATIO

FACULTATIS JURIDICAE SALISBURGENSIS

Legi praesentem tractatum in quinque libros decretalium Gregorii IX. ab admodum reverendo, et clarissimo P. Francisco Schmalzgrueber S. J. ss. theologiae, et ss. canonum doctore, et eorundem quondam professore confectum. Hic tractatus penus est quaedam omnibus necessariis instructissima, refertissima, et fertilissima, ex qua omnia ad perfectam ss. canonum notitiam necessaria haberi, et colligi possunt. Lux est, quae discentium intellectum illuminat, et depulsis jurium ignorantiae tenebris ob claritatem suam lumen scientiae eidem infundit. Armamentarium est, ex quo gravissima rationum, et textuum pondera, velut fortissima arma, quibus adversarii caesim punctimque feriendi sunt, depromere licet. Turris est, ex qua mille clypei dependent, quibus repugnantium tela retunduntur, infringuntur, eluduntur. Dignissimum proinde judico, qui detersa praeli fuligine, in publicam lucem prodeat, maximo rei litterariae emolumento, ss. canonum cupidis illustrationi, studiosorum juris, et judicum adjumento, et clarissimi authoris aeterno ornamento. Ita censet

JOSEPHUS ADAMUS AYBLINGER jurium doctor, celsissimi, et reverendiss. S. R. I. principis, et archiepiscopi Salisburgensis consiliarius, in universitate ibidem pandectarum professor ordinarius, et inclytae facultatis juridicae p. t. decanus.

***

APPROBATIO

FACULTATIS THEOLOGICAE OENIPONTANAE

Integrum opus, cujus pars est praesens liber, adeo sibi similem ubique authorem refert, ut nullibi non clarum, ac solidum juris canonici interpretem exhibeat, qui jura ecclesiae, et religionis nostrae dogmata contra quoscunque hostes feliciter salvat, munit ac defendit. Quapropter jure etiam suo obtinet, ut ad publicam aequi, rectique amantium utilitatem, iterum iterumque in lucem prodeat. Ita sentio, ita precor, etc.

LEO LEHNER soc. Jesu, ss. theologiae doctor, ejusdemque in moralibus professor ordinarius, et p. t. sacrae facultatis decanus.

APPROBATIO

FACULTATIS JURIDICAE OENIPONTANAE

Praesens opus integrum juris canonici solidisima ex omni jure amatura munitam, et facis instar clarissime illustratam materiam in se continet, omnisque generis profundissima dubia non perfunctorie hic discussa, ac nullam fere notabilem controversiam, undecumque originem illa trahat, relinquit intactam, imo accuratissime examinatam, atque decisam praebet, ita, ut hic minime possit objici, quod Cothmannus de plerisque juris consultorum scriptis, 1. *cons.* 1. *n.* 527. scribit, *ea nimirum hodie nimis leviter, et superficialiter, non medulliter condi;* sed splendore, et merito suo dicere valeat, se omne tulisse punctum, et in unam quasi synopsin mira claritate, et ea felicitate coegisse totius juris nucleum, ut vanus omnis imposterum labor futurus videatur illorum, qui eandem viam calcare praesumpserint; nam praeter jura ubique fideliter allegata, et accuratissime explicata, atque plurium celebratissimorum virorum, scriptorumque authoritate corroborata, conspiciuntur quoque novissimae sacrae sedis apostolicae constitutiones, et sanctiones ubertim hic radiantes, prout cujusque tulit materiae conditio, ita, ut, quisquis sit, jucundissima rerum varietate non minus insigniter recreetur, quam profundissima juris antiqui, praeprimis vero novissimi scientia, rationibus itemque dubitandi, et decidendi subnexis, instruatur, et ad incogitata saepe excitetur. Habent igitur, qui in cathedris, et foro versantur, quidquid prope in dubium vocari potest, patentque jam, quae in hoc clarissimo opere, velut in sileno quodam Alcibiadis, latebant mysteria. Dignissime proinde, et omni titulo publicae luci denuo dandum, reimprimendumque esse censeo.

THOMAS HERMANN DE REICHENFELDT, J. U. doctor, in alma caesareo-archiducali universitate Oenipontana pandectarum, et juris feudalis professor ordinarius, ac pro tempore facultatis juridicae decanus.

INDEX TITULORUM
HUJUS VOLUMINIS

DISSERTATIO PROEMIALIS

§. I.

De etymologia juris, et justitiae, diversa eorum acceptione, et generali divisione - - - - - - - - - - - - - - pag. 3

§. II.

De jure naturali - - - - - - - - - - - - - - - - - - » 18

§. III.

De jure positivo in genere, et in specie de jure positivo divino » 43

§. IV.

De jure positivo humano, et in specie de jure gentium - - » 54

§. V.

De jure civili in genere, et in specie de jure civili publico » 68

§. VI.

De jure civili privato - - - - - - - - - - - - - - - - » 77

§. VII.

De jure canonico, clauso corpore juris communis - - - - - » 99

§. VIII.

De decretis conciliorum, horumque authoritate - - - - - - » 100

§. IX.

De decretis, et declarationibus sacrae synodi tridentinae - pag. 146

§. X.

De bullario, cancellariae apostolicae regulis, et romanae rotae decisionibus - - - - - - - - - - - - - - - - - » 156

§. XI.

De usu juris canonici, et civilis - - - - - - - - - - - - » 162

TITULUS I.

De summa Trinitate, et fide catholica.

§. I. *De summa Trinitate* - - - - - - - - - - - - - - » 168
II. *De fide catholica, et ejus professione* - - - - - - - » 172

TITULUS II.

De constitutionibus.

§. I. *De natura, varietate, actibus, et causa finali legis* - » 176
II. *De causa efficiente legis* - - - - - - - - - - - - » 180
III. *De causa materiali legis* - - - - - - - - - - - - » 187
IV. *De causa formali legis* - - - - - - - - - - - - - » 192
V. *De effectu legis* - - - - - - - - - - - - - - - » 198
VI. *De subjecto legis* - - - - - - - - - - - - - - » 203
VII. *De interpretatione legis* - - - - - - - - - - - » 213
VIII. *De cessatione legum* - - - - - - - - - - - - - » 218

TITULUS III.

De rescriptis.

§. I. *De rescripti natura, varietate, et impetratione* - - » 231
II. *De rescriptorum forma* - - - - - - - - - - - - - » 236
III. *De vitiis rescriptorum, maxime de ob. et subreptione illorum* - » 242
IV. *De rescriptorum praesentatione* - - - - - - - - - » 249
V. *De rescriptorum interpretatione* - - - - - - - - - » 253

VI. *De rescriptorum executione* - - - - - - - - pag. 257

TITULUS IV.

De consuetudine.

§. I. *De consuetudinis natura, varietate, et conditionibus ad illam requisitis* - - - - - - - - - - - - - - » 263
II. *De rationabilitate ad consuetudinem requisita* - - - » 267
III. *De tempore ad consuetudinem legitimam requisito* - » 269
IV. *De qualitate actuum, et consensu legislatoris ad consuetudinem requisitis* - - - - - - - - - - - - - » 272
V. *De effectibus consuetudinis* - - - - - - - - - - » 275
VI. *De consuetudinis probatione, et abrogatione* - - - » 284

TITULUS V.

De postulatione praelatorum.

§. I. *De postulationis natura. varietate, effectu, et fine-* » 288
II. *Quis postulari possit, vel non possit?* - - - - - - » 291
III. *Quinam postulare possint?* - - - - - - - - - - » 296
IV. *Quae sit forma postulationis?* - - - - - - - - - - » 299

TITULUS VI.

De electione, et electi potestate.

§. I. *De electione, et electoribus* - - - - - - - - - - » 304
II. *De electis, vet eligendis ad praelaturas, et dignitates ecclesiasticas* - - - - - - - - - - - - - - - - » 316
III. *De convocatione electorum ad celebrandam electionem* » 322
IV. *De electionis loco, tempore, et tractatu praevio* - » 330
V. *De forma electionis, et praecipue de forma scrutinii* » 339
VI. *De forma electionis per compromissum* - - - - - - » 345
VII. *De electionis libertate, ejus intimatione, et confirmatione* » 353
VIII. *De consecratione episcopi electi, et confirmati* - - » 361
IX. *Specialia de electionibus regularium* - - - - - - - » 365
X. *Aliqua quaesita de electione summi pontificis* - - - » 372

TITULUS VII.

De translatione episcopi - - - - - - - - - - - - - - - » 378

TITULUS VIII.

De auctoritate, et usu pallii - - - - - - - - - - - - pag. 384

TITULUS IX.

De renuntiatione.

§. I. *De natura, et varietate renuntiationis* - - - - - - » 391
II. *De beneficiis, quae resignari possunt, vel non possunt* » 395
III. *De personis, quae beneficia resignare possunt, vel non possunt* - - - - - - - - - - - - - - - - - - » 400
IV. *De consensu superioris requisito ad renuntiationem* - » 405
V. *De causa renuntiationis* - - - - - - - - - - - - - » 411
VI. *De forma renuntiationis, et praecipue de modo renuntiandi beneficia per procuratorem* - - - - - - » 415
VII. *De effectibus renuntiationis* - - - - - - - - - - » 421

TITULUS X.

De supplenda negligentia praelatorum.

§. I. *De supplenda negligentia in beneficiorum collatione* - » 424
II. *De supplenda negligentia in justitiae, et officii administratione* - - - - - - - - - - - - - - - - - » 430

INTRODUCTIO

AD

JUS CANONICUM

UNIVERSUM

SEU

DISSERTATIO PROEMIALIS.

Antequam ipsam juris sacri, quam meditor esplanationem exordiar, non abs re facturum me aestimo, si aliquantisper consistens in limine, et, doctorum quam in aliis scientiis explicandis tenent, methodum imitatus, toti huic operi prolegomena quaedam praefixero, atque in his de juris origine, progressu, natura, varietate, authoritate etc. pauca aliqua disseruero, cum et Ulpiani sit monitum, quod *juri operam daturum prius nosse oporteat, unde nomen juris descendat* ut habetur *leg. juri* 1. *ff. de J. et J.* Hinc juris interpretes hortatur *Gajus l. facturus* 1. *ff. de orig. jur.* ut ad suum exemplum praefationem explicationi praemittant; nam *si in foro*, inquit, *causas dicentibus, nefas, ut ita dixerim, videtur esse, nulla praefatione facta judici rem exponere, quanto magis interpretationem*

promittentibus inconveniens erit, omissis initiis, atque origine non repetita, illotis, ut ita dixerim, manibus protinus materiam interpretationis tractare? et hoc non absque ratione; nam praefationes libentius nos ad propositae materiae lectionem inducunt, et cum eo ventum est, evidentiorem praestant intellectum. Ut vero clarius procedam in hoc negotio, totam dissertationem in suos ⁇. dividam. Sit ergo.

§. I.

De Etymologia Juris et Justitiae, diversa eorum acceptione, et generali divisione.

SUMMARIUM

1 *Vocis* Jus *variae derivationes.*
2 *Quaenam ex his praeferenda?*
3 *Diversae acceptiones istius vocis: pro eo, quod justum est.*
4 *Pro loco, in quo jus redditur.*
5 *Pro sententia judicis.*
6 *Pro morali facultate agendi, vel omittendi, aut obligandi alterum ad aliquid agendum, vel omittendum.*
7 *Pro scientia jurium.*
8 *Pro lege, vel canone.*
9 *Diversae acceptiones justitiae.*
10 *Hujus definitio.*
11 *Species ei subjectae.*
12 *Descriptio justitiae commutativae.*
13 *Officium justitiae distributivae, et hujus a priore differentia.*
14 *Officium justitiae legalis, et ejus differentia a justitia commutativa, obedientia, et pietate in patriam.*
15 *Officium, et differentia justitiae vindicativae.*
16 *Diversa juris divisio.*
17 18 *Justi duplex acceptio.*
19 *Quid sit activum et passivum?*
20 *Activi divisio in jus proprietatis et jus jurisdictionis: ubi etiam definitur jus proprietatis.*
21 *Definitur jus jurisdictionis.*
22 *Requisita ad aquirendum jus proprietatis.*
23 *Divisio istius in jus reale*
24 *Personale*
25 *Et mistum.*
26 *Differentia horum jurium inter se invicem.*
27 *Requisita, ut quis habere dicatur jus reale.*
28 *Corollaria quaedam.*
29 *Jus reale proprietatis dividitur in dominium perfectum, et imperfectum.*
30 *Definitio dominii perfecti.*
31 *Definitio dominii imperfecti, et hujus species.*
32 *Dividitur jus jurisdictionis.*
33 *Et jus, quatenus istud pro lege accipitur.*

1

Quaeritur 1. unde juris nomen desumptum sit? Resp. Variae sunt opiniones DD. nam 1. aliqui cum Francisco Connano *lib.* 1. *Comment. jur. civil. c.* 2. *n.* 4. jus dici putant a dictione *juxta*, quod juxta sit; sed haec derivatio videtur quaesita ex proprii ingenii placito, cum ratio nulla derivationem hanc suadeat. 2. Majoragius *l.* 4. *Misc. cap.* 1. et alii illud derivarunt a verbo *juvo*, quod adversus vim, et injuriam praesidio sit; sed etiam hoc videtur longe petitum.

3. Alciatus *l.* 1. *Parerg. cap.* 29. non tamen melius, quam priores, illud deducit per metathesin a nomine *vis*; quia nihil magis contrarium juri, aut legibus inimicum est, quam vis *can. christianis* 12. *caus.* 11. *quaest.* 1. *et l. factum* 155. *ff. de R. J.* 4. et verisimilius alii cum Aristotele 5. *Eth. cap.* 1. dictum volunt a *jussu*, seu *jubendo*, quasi *jus* idem sit, ac jussum superioris; nam *Festo* teste, jura sive leges a priscis dicebantur *jussa*: ut adeo jus sit id, quod vel DEUS, vel natura, vel princeps, vel populus, vel civitas, vel consuetudo jubet. Plettenberg *Introd. jur. can. c.* 1. *pr.* 5. Isidorus *l.* 5. *Etym. c.* 2. per apocopen derivatum dicit a *justo*, prout refertur *can. jus generale* 2. *dist.* 1. ubi ait: *Jus autem est dictum, quia justum est.* 6. denique Ulpianus *l. juri* 1. *ff. de J. et J.* jus a *justitia* denominavit, vel tanquam objectum ab ipso actu, seu potentia, quemadmodum scibile a scientia, visibile a visu appellatur; vel potius tanquam artem, seu scientiam a suo fine; cum enim laudatus JCtus *l. cit.* ex Celso jus definiat, quod sit *ars boni, et aequi*, jus ibi sumit pro scientia juris. Scientiae vero, et artes denominationem saepe accipiunt a fine, quem sibi propositum habent, ut patet in grammatica, logica, Theologia etc. cum ergo jus, pro arte, seu scientia sumptum, pro fine propositam sibi justitiam habeat, recte ab ista denominari potest.

2

Dubitatur, quaenam derivatio ex his praeferenda sit? Resp: dubii istius resolutionem plurimum pendere ex ea quaestione, qua quaeritur, utrum *jus* sit nomen primitivum, an ab alio derivatum, quae quaestio de nomine quidem est; non tamen ideo contemnenda, cum, ut Epictetus monet, *initium doctrinae sit consideratio nominis.* Nomen primitivum esse contendit Gregor. Lopez *animadv. cap.* 1. *num.* 5. et probant hanc ejus opinionem P. Jacobus Wienster *in dissert. proem. ad jus canon. num.* 1. Derivatum ab alio volunt *num. praec.* allegati. *Prima* sententia non displicet; videtur enim *juris* vocabulum esse simplicius *justo*, et *justitia*, simulque jus, utpote objectum justitiae, ipsa justitia antiquius est. Igitur non jus a justitia, jussu, aut justo, sed potius justitia, et justus a jure, secundum ipsius etiam grammaticae leges, derivatur. Qui *opinionem alteram* sequi volet, optime dicet, si asserat jus derivatum esse a justitia; habebit enim pro se *Ulpianum*, cons. authoritatem legis *l. juris cit.* quam derivationem proinde amplectitur clariss. D. Braun. *Jurispr. p.* 1. *cap.* 1. §. 1. *num.* 2. et sequitur magnif. P. Schmier *tract. de jur. legal. cap.* 1. *num.* 1. Rationem hujus etymologiae non incongruam dat Gonzal. *in apparat. de orig. et progress. jur. can. num.* 1. quia jus est medium, per quod intendimus justitiam.

3

Quaeritur 2. in quotuplici significatione *juris* nomen accipiatur apud doctores? Resp. Significationes hujus nominis non minus sunt variae, prout notatur *l. jus pluribus* 11. et *l. fin. ff. de J. et J.* nam 1. aliquando significat idem, quod justum, rationis naturalis dictamini, divinaeque, et humanae legi consentaneum, et aequum est, teste Paulo JCto *l. jus pluribus cit. pr.* et in hoc sensu S. Aug. *l.* 9. *de Civit. c.* 21. ait, *quod jure fit, juste fieri.*

4

Aliquando accipitur pro loco, in quo jus redditur, suumque litigantibus per sententiam adjudicatur *l. jus pluribus cit. vers. alia*, et *l. voluit* 4. §. *quod ait* 1. *ff. de interrog. in jur. faciend.* Ulpianus ait, *jus eum solummodo locum esse, ubi juris dicendi, vel judicandi gratia* judex *consistat.* S. Thom. 2. 2. *qu.* 57. *art.* 1. *ad* 1. Molin. *de J. et J. tr.* 1. *D.* 2. *n.* 4. Laym. *Theol. moral. l.* 3. *tr.* 1. *c.* 1. *fin.* Lauterbach *ad ff. de J. et J. n.* 20. Muller. *ad Struv. exerc.* 1. *th.* 47. *lit. A.* Pirhing *proem. num.* 4. *fin.* magnif. P. Schmier *tr. de jur. legal. c.* 1. *n.* 2. Et in hoc sensu dicimur *in jus ire, vocari, duci, comparere, ac sisti in jure;* et Cicero *orat. pro Murena* ait: *Ego te in jure conspicio.*

5

3. Significat aliquando sententiam judicis, per quam alicui decernitur, vel dicitur jus, seu adjudicatur, quod ipsi debetur; quia judex sententiam proferens, jus proferre censetur *l. jus. pluribus cit.* est enim sententia judicis veluti lex quaedam, non quidem publica, sed privata, per quam inter partes litigantes jus dicitur, et pronuntiatur, quid justum sit, et alteri debitum, quid item legitimum, sive legibus consonum. Molin. *D.* 2. *cit. n.* 1. Palao *tr.* 31. *D. un. p.* 1. *n.* 2. Pirhing *proem. n.* 4. *cit.* Et hoc verum est, licet iniquam sententiam judex proferat; sed tum non est censendus jus proferre comparatione istius, sed comparatione illius sententiae, quam tenebatur proferre. Palao. *l. cit.* et notat Paulus *l. jus pluribus cit.* ibi: *Praetor quoque jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit, relatione scilicet facta, non ad id quod ita Praetor fecit, sed ad illud, quod Praetorem facere convenit.*

6

4. Saepe denotat moralem facultatem aliquid agendi, vel omittendi, aut obligandi alterum ad aliquid dandum, faciendum, aut omittendum: ita, ut violatio talis potestatis sit injuria trahens onus restituendi. Palao *n.* 2. *cit.* Viva *curs. theol. p.* 5. *D.* 2. *q.* 1. *pr.* Lauterbach *ad ff. de J. et J. n.* 20. quo sensu jus est quasi radix, seu fundamentum juris accepti pro aequo alteri debito; nam ex eo, quod alicui ex justitia quidpiam debitum sit, acquiritur ei facultas agendi, petendi, utendi etc. Ita accipitur jus, quando homines dicuntur esse

sui, vel alieni juris. *Inst. de his, qui sui, vel alien. jur. etc.* Item quando quis dicitur habere jus agnationis, vel cognationis ad haereditates, vel tutelas, quod *jus necessitudinis* appellatur *l. fin. ff. de J. et J.* quando haeres dicitur succedere in omne jus defuncti *l. haeredem* 59. *et l. haereditas* 62. *ff. de R. J.* Eodem sensu dicitur nemo plus juris, seu potestatis transferre posse in alterum, quam ipse habeat *l. nemo* 54. *ff. eod.* Simili in significatione dicimur uti jure nostro; et nemo videtur dolo facere, qui jure suo utitur: contra jus alterius laedere, qui ipsi infert injuriam *l. nemo* 55. *ff. eod.* Denique in hoc ipso sensu dicitur judex de partium jure cognoscere, decernere etc. Molin. *D.* 2. *cit. num.* 4. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 2. *dub.* 1. *n.* 2. Laym. *l.* 3. *tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 3. Palao *p.* 1. *cit. num.* 2. Pirhing. *proem. num.* 3. Muller. *ad Struv. exerc.* 1. *th.* 47. *lit. A.*

7

5. Passim *juris* nomine venit ipsa ars, sive scientia jurium, i. e. legum, et canonum; quemadmodum enim medicinae nomen initio impositum est ad significandum medicamentum, quod ad sanandum prodest, inde vero, denominatione ab objecto ad habitum scientiae translata, vox illa ad significandam artem ipsam, quae medicamenta hujusmodi applicare docet, accommodata est; ita pariter vocabulum *juris*, impositum primo ad significandum *justum*, inde traductum est ad significandas leges, et canones, quibus continetur, et ad denotandam artem ipsam, qua cognoscitur, quid in actionibus hominum justum, injustumve sit. Molin. *D.* 2. *cit. n.* 1. Pirhing *proem. n.* 4. *vers.* 4. Muller. *ad Struv. th.* 47. *cit. lit. A.* magnif. P. Schmier *tr. de jur. legal. c.* 1. *n.* 2. *fin.* In hoc sensu *juris* nomen usurpavit Ulpianus, dum *l. juri* 1. *pr. ff. de J. et J.* ait: *juri*, i. e. scientiae legum, *operam daturum prius nosse oportet, unde nomen juris descendat:* et definitur ab eodem Ulpiano *l. cit. ars boni, et aequi;* quam definitionem explicat Imperator §. *jurisprudentia* 1. *Inst. tit. eod.* dum inquit: *Jurisprudentia est divinarum, atque humanarum rerum notitia, justi, atque injusti scientia*, i. e. est cognitio, seu peritia praeceptorum divinorum, et humanorum, quae docent, quid justum, vel injustum, aequum, vel iniquum sit. Huic scientiae qui student, *juris studiosi*, qui eam callent, *jurisconsulti*, vel *periti*, aut *doctores*, qui eamdem profitentur in Academiis, et Universitatibus studiorum, *jurium Professores vocantur.*

8

6. Denique, et praecipue ad praesens propositum *juris* nomen aliquando significat legem, vel canonem, sive regulam justi; nam cum legibus non nisi id, quod justum est, sive debitum inter cives vel erga remp. statuatur, hinc factum est, ut ipsae leges tum divinae, tum humanae *jura* appellarentur: adeoque in hac significatio-

ne *jus* nihil aliud sit, quam regula justi, et injusti; quod enim regula, seu norma est in aliis rebus, alioque indigitatur vocabulo, ut in Mathematicis est circinus, in Geometria linea, in Optica tubus, in arte fabrili perpendiculum, et in ceteris mensurationibus ulna, cubitus, pertica, et siquae alia, id est in republica jus, ad quod facienda exigi, et agenda mensurari debent. Muller *ad Struv. exerc.* 1. *th.* 47. *lit. B.* In hoc sensu accipitur jus *can. jus.* 2. *dist.* 1. ubi relatus Isidorus ait: *Jus generale nomen est; lex autem* (scripta scilicet) *juris est species.* In eadem significatione capitur, quando aliquid dicitur esse liquidi, et explorati, vel dubii juris, quando aliquis dicitur laborare ignorantia juris, quando professores juris dicuntur tradere, et discipuli excipere interpretationem juris canonici, civilis, feudalis, publici etc. Molin *tract.* 1. *de J. et J. D.* 2. *n.* 1. Pirhing *proem. num.* 4. Viva *curs. theol. p.* 5. *D.* 2. *qu.* 1. *pr.* magnif. P. Schmier *tract. de jur. legal. cap.* 1. *num.* 2. *fin.*

9

Quaeritur 3. quotupliciter accipiatur nomen *justitiae*? Resp. *Justitia* sic dicta, quod jus sistat, ac statuat, non minus, quam ipsum jus varie apud DD. accipitur; nam 1. sumitur aliquando pro lege: *Scitis, quod docuerim vos praecepta, atque justitias.* Deut. 4. *v.* 5. 2. Pro observantia legis, prout sumpsit Tullius *l.* 1. *de Leg.* cum dixit, eam esse *obtemperationem legis.* 3. Pro habitu gratiae sanctificantis, quo homo efficitur Deo gratus, et justus, prout saepe sumitur in SS. Litteris, et Tridentino passim, praesertim vero *sess.* 6 *c.* 7. *de reform.* ibi: *Unica formalis causa* (justificationis) *est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur, et sumus, justitiam in nobis recipientes.* 4. Pro collectione omnium virtutum, ut philos. 5. *Eth. c.* 3. ex Theocride dixit: *Justitia in sese virtutes continet omnes* et Zacharias: *Serviamus illi in sanctitate, et justitia.* Luc. 1. *v.* 75. 5. Pro cujuslibet virtutis habitu, vel actu: sic quamlibet operationem honestam vocamus opus justum, et Christus *Matth.* 6. *v.* 1. ait: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* 6. Pro omni, et sola virtute, quae est ad alterum, aliquo modo distinctum sive realiter sive juris fictione ab operante, ut ei suum quoddam jus tribuat: qua ratione complectitur non solum quatuor species justitiae stricte sumptae, sed etiam misericordiam, pietatem, gratitudinem, religionem, liberalitatem, munificentiam, et obedientiam. 7. denique stricte sumitur pro justitia particulari, seu speciali virtute morali, quae tamquam virtus cardinalis annumeratur prudentiae, temperantiae, et fortitudini, juxta illud: *Sobrietatem enim*, i. e. temperantiam, *et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem*, i. e. fortitudinem. *Sap.* 8 *v.* 7. In hoc sensu accepta.

10

Justitia definitur ab Ulpiano, quod sit *constans, et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*, ut videre est *l. justitia* 10. *ff. de J. et J.* Consonant S. Thom. 2. 2. *qu.* 58 *art.* 1. S. Ambros. *l.* 1. *de offic. c.* 24. S. August. *l.* 19. *de Civit. cap.* 21. et recipitur passim a TT. et JCtis, ob quorum authoritatem etiam sustineri potest, licet ad rigorem logicum non sit adeo exacta. Dicitur 1. *constans et perpetua voluntas*; quae verba ponuntur loco generis: omnes enim virtutes voluntatis sunt habitus, vel actus ejusdem, iique *constantes*, i. e. firmi; nam virtutis est firmare voluntatem in bono honesto: et *perpetui*, non quidem ex parte actus, quasi actus justitiae semper durare debeat, nec ex parte subjecti, quasi debeat perpetuo inhaerere animae; sed ex parte objecti, quod voluntas debeat semper, et omni tempore parata esse, non obstante quacumque difficultate, reddere alteri, quod ipsi debetur. Dicitur 2. *jus suum*, nempe passivum, quod immediate est actio, vel omissio actionis alteri debita, mediate vero est id, quod per actionem alteri debetur. Exemplum habes in emptore equi; nam huic ex justitia obligatur venditor immediate ad traditionem equi, mediate ad ipsum equum, quem ille emit. Dicitur 3. *cuique*, i. e. alteri cuicumque penes quem est jus activum adversum nos; sicut enim nullus sibi proprie injuriam inferre potest, ita nec sibi praestare justitiam, sed justitia essentialiter est ad alterum. Dicitur 4: *tribuendi:* quod intellige non tantum de tributione physica et reali, sed etiam de negativa; quia ad justitiam spectat, non tantum tribuere id, quod debetur, sed etiam non auferre, quod ipse jure suo jam possidet. Palao *tract.* 31. *D. un. p.* 2. *n.* 2. Hinc Ulpianus definitioni allegatae subjunxit, *juris praecepta esse, honeste vivere, alterum non laedere, suum cuique tribuere.*

11

Justitiae sic definitae quatuor assignantur species, nempe justitia commutativa, distributiva, legalis, et vindicativa: quae divisio ob maximam authoritatem fere omnium toleratur, quamvis non sit univoca, ut recte cum aliis probat Viva *curs. theol. p.* 5. *D.* 3. *qu.* 2. *art.* 2. *num.* 5. nam tunc justitia analogice de his omnibus dicitur, quando ratio importata per nomen *justitiae* non est eadem in omnibus, sed partim eadem, partim diversa: ita se res habet in praesenti articulo; quia ratio importata per nomen *justitiae* est constans, et perpetua voluntas tribuendi unicuique jus suum, sumendo vocem *jus* stricte, prout significat jus proprietatis ordinatum ad utilitatem habentis illud, et quod unice ex voluntate habentis obligat, aut cessat obligare, ut communiter docent, atqui solum justitia commutativa respicit jus hujusmodi stricte dictum; aliae autem virtutes justitiae, etiamsi respiciant jus, et ponant operationem debitam, non respiciunt tamen jus strictum; hinc ex sola istarum violatione non oritur obligatio restituendi, utpote quae tantum ex jure stricto violato nascitur.

12

Justitia commutativa, quae antonomastice justitia est, dicitur illa, quae exercetur in contractibus, et in commutationibus, respicitque medium rei arithmeticum, et bonum particulare uniuscujusque civis; et ideo dicitur ordinare in communitate cives ad invicem, ut quilibet servet jus alterius. *Convenit* haec cum reliquis tribus speciebus justitiae; quia necessario est ad alterum: tantum enim dari potest inter personas vere distinctas, v. g. Titium, et Cajum, vel inter quasi personas, ut quando contrahitur cum collegio, vel republica quae est persona ficta, aut damnum illi infert. *Differt* autem ab iis, quia observat aequalitatem perfectam, et arithmeticam, videlicet, ut quantum acceptum fuit, tantumdem vicissim detur, seu restituatur. Sunt autem duplicis generis *commutationes*, et inde ortae obligationes. Aliae *voluntariae*, quae mutuo consensu partium fiunt, v. g. per contractum emptionis venditionis, in quibus servari debet perfecta, et arithmetica aequalitas inter quantitatem rei acceptae, et datae, ut siquis domum emit, et accepit aestimatam 300. aureis, debet totidem dare venditori, qui domum tradidit. Aliae sunt *commutationes involuntariae*, quae ex delicto, seu damno injuste illato oriuntur, ut siquis v. g. furatus est alteri equum aestimatum 50. flor. debet totidem ei restituere, etiamsi nullum pactum cum ipso inierit; quia rem ablatam vel invitus reddere, aut damnum illatum resarcire cogitur, ut siquis domum, aut segetes alicujus per injuriam exusserit. Laym. *l.* 3. *tract.* 1. *c.* 4. *n.* 2. Pirhing. *Proem. n.* 5.

13

Justitia distributiva ordinat communitatem ad cives, quippe quae distribuit inter cives bona communia reipublicae honores, et onera juxta proportionem meritorum, facultatum, et virium. Hanc exercere est solius principis, seu gubernatoris, aut delegati. Ex ista obligatur episcopus, et quivis alius collator beneficiorum ecclesiasticorum, ut ista conferat clericis pro cujusque statu, et meritis, ita ut dignitates, et beneficia majora conferantur iis, qui in ecclesia digniores, et aptiores reperiuntur. Deficit autem justitia distributiva aliquo modo a justitia particulari proprie, ac stricte accepta; nam 1. non est omnino ad alterum, sive ad personam adaequate distinctam, sed est totius reipublicae ad partem, seu membrum illius, totum autem non omnino, seu totaliter, sed inadaequate solum distinguitur a singulis partibus, quas includit. 2. Justitia distributiva non continet proprie, et stricte debitum, sicut justitia commutativa; nam ille, cui ex emptione v. g. vel donatione res debetur, longe majus, et arctius jus habet ad illam, tanquam sibi debitam, petendam, quam v. g. Clerius, qui dignior est, ad beneficium, vel alius in rep. ad honores ejusdem, quippe qui ante distributionem talium bonorum non

habet jus stricte dictum ad ea bona, sed habet solummodo titulum decentiae, quod ea bona sibi conferantur: et hinc, qui violat justitiam distributivam, dicitur *acceptor personarum*, et non nisi large injustus, neque ad restitutionem tenetur. 3. Denique justitia distributiva non constituit aequalitatem perfectam, et arithmeticam, quae est inter duas quantitates, v. g. 50. et 50. sed observat dumtaxat aequalitatem geometricam, et proportionalem, ut qualis est proportio inter status, seu dignitates, et merita personarum, talis proportio servetur in distribuendis inter illas communibus bonis vacantibus; nempe officiis, et beneficiis: v. g. si dignitas, et merita praepositi alicujus ecclesiae duplo excedant simplicem canonicum, aequum est, ut illi duplo plus ex ecclesiae reditibus detur, quam huic s. Thom. 2. 2. *quaest.* 61. *art.* 1. *et* 2. Molin. *tract.* 1. *de J. et J. D.* 12. *num.* 3. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 20. *et* 21. Laym. *num.* 2. *cit. fin.* Pirh. *num.* 5. Lauterbach *ad ff. de J. et J. num.* 15. Viva *Curs. theol. p.* 5. *D.* 3. *qu.* 1. *art.* 2. *n.* 4. *vers. distributiva.*

14

Justitia legalis ordinat cives ad communitatem, quippe quae respicit primo, et per se bonum communitatis, vel reipublicae ejusque conservationem, vel augmentum, cujus quis pars, seu membrum existit, obtinendum per legum observantiam. Dicitur quoque *justitia generalis;* quia spectat bonum generale, et commune, propter quod leges conditae sunt: ideoque est virtus distincta a ceteris, cum habeat speciale objectum, nimirum bonum commune, et specialem honestatem, quae reperitur in hoc studio boni communis, quam nulla alia virtus specialis, neque etiam ceterarum collectio intendit. Plettenberg *introd. ad jus canon. cap.* 1. *n.* 4. Differt. 1. a *justitia commutativa;* quia non respicit per se primo jus strictum uniuscujusque: et hinc legum transgressores, bonum commune negligentes, ad restitutionem non obligantur. Viva *n.* 4. *cit. vers. justitia legalis.* 2. Ab *obedientia* distinguitur; quia ista primario, et directe spectat obtemperare superiori: justitia vero legalis directe intendit bonum communitatis, quod ex observantia legum provenit. Viva *loc. cit.* 3. a *pietate erga patriam;* quia potest aliquis ex pietate intendere bonum patriae, etiam quando desiit esse civis: at justitia legalis respicit bonum commune, etiamsi respublica non sit propria patria, et solum quando aliquis est reipublicae civis. Viva *loc. cit.*

15

Justitia vindicativa denique cum legali quidem hactenus explicata convenit in hoc, quod etiam ipsa cives ad communitatem ordinet, sed in modo disconvenit; legalis enim intendit bonum commune per observantiam legum, ut dictum est; at vindicativa hoc bonum commune procurat per inflictionem poenae commeritae; inclinat enim ad punien-

dum delicta, poenam condignam pro gravitate delicti infligendo, ne nimirum nimia remissione libertas peccandi crescat, aut contra poenarum severitas culpae mensuram excedat. Plettenberg *n.* 4. *cit.* Neque ipsa respicit jus stricte dictum, ordinatum ad bonum particulare, et ad utilitatem habentis illud; nam neque malefactor per delictum suum dicitur acquirere jus ad poenam, sed potius contrahere debitum poenae: neque superior habet jus puniendi in bonum proprium, sed in bonum communitatis; atque adeo habet jus puniendi ex jure jurisdictionis, non vero proprietatis. Viva *l. cit.* Distinguitur autem justitia vindicativa a ceteris justitiae speciebus adaequate, prout inter ceteros more suo docte ostendit p. Martin. Esparz. *de virt. inst. qu.* 22. Neque obest, quod illa poenam delictis imponendo, attendat quantitatem arithmeticam: quae causa fuit, quod multi eam ad justitiam commutativam reduxerint; nam praeterquam quod, sicut dictum est, non respiciat jus stricte dictum, etiam non facit omnimodam compensationem reip. per delictum laesae, prout justitia commutativa ex officio facit: neque enim per poenam, quae delicto imponitur, proprie compensatur, aut tollitur delictum, vel damnum per illud illatum reparatur. Molin. *tract.* 1. *de J. et J. D.* 12. *num. ult.* Laym. *l.* 3. *tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 2. *fin.* Pirhing *proem. n.* 5.

16

Quaeritur 4. quotupliciter jus dividi possit? Resp. interesse, in qua acceptione nomen *juris* accipiatur. Porro ex iis acceptionibus juris, quas *n.* 3. *et seqq.* retuli, maxime huc pertinent *prima*, ubi jus idem, quod justum est; *quarta*, ubi sumitur pro facultate aliquid agendi, vel omittendi, aut obligandi alterum ad aliquid faciendum, vel omittendum; et *sexta*, ubi significat legem, vel canonem, sive regulam justi.

17

Dub. 1. quotupliciter accipiatur *justum*, seu jus pro *justo*, sumptum? Resp. Accipitur in duplici sensu. 1. *late* pro eo, quod rectae rationi, et legi divinae, vel humanae consonum, atque conforme est. Et in hoc sensu acceptum ab Aristotele 5. *Eth.* 1. justum legitimum, i. e. *quod a legum latrice facultate definitum est*, appellatur, spectatque ad justitiam generalem, seu legalem, per quam quisque reddit, quod justum, et debitum est reip. cujus ipse est membrum: sicque *jus*, et *justum*, dicitur omne opus virtutis, maxime vero operationes virtutum illarum, quae sunt ad alterum; nam in harum rectitudine praecipue illa fundatur. Sed etsi in operante plerumque obligationem supponat justitia sic accepta, alter tamen, erga quem exercetur ejus operatio, per hoc nullum sibi acquirit jus: sic divites tenentur dare eleemosynam pauperibus, hi tamen non habent jus, vel actionem, qua eos cogere possint ad eam elargiendam, in quo differt a jure stricte accepto; nam

18

2. Accipitur justum *specialiter*, et *stricte* pro eo, quod est aequum, seu aequale, et alteri debitum: et ut sic est objectum justitiae particularis, quae est virtus cardinalis *supra num.* 12. descripta. Hoc sensu acceptum justum, seu jus tres requirit conditiones, 1. ut sit debitum; adeoque illius violatione alteri fit injuria, 2. ut sit aequale, vel saltem aequabile juri alterius: et ex hoc capite non pauci ex TT. negant inter DEUM, et creaturam posse dari jus, et justitiam stricte dictam, quod creatura DEO reddere non possit aequivalens, cons. etiam nequeat jus suum juri DEI aequare, 3. ut sit ad alterum; nihil enim sibi est aequale, sed alteri. Et ad hoc non sufficit semper distinctio personarum physica, sed requiritur etiam diversitas moralis: et hinc licet pater et filius, maritus et uxor, dominus et servus physice sint distinctae personae, quia vero in sensu morali, et fictione juris pro una persona habentur, cum filius sit pars moralis patris, uxor mariti, servus domini, idcirco inter eos, quatenus ita considerantur, non datur jus, et justitia proprie dicta. Addidi autem, *quatenus ita considerantur;* nam si comparentur inter se praecise, ut homines sunt, absque subjectione unius ad alterum, sicut eatenus inter illos datur realis distinctio, ita inter ipsos etiam datur jus, et justum simpliciter: et hinc si pater filios, maritus uxorem, aut dominus servos immerentes infamaret, mutilaret, aut occideret, augeret injuste, et violaret justitiam stricte dictam S. Thom. 2. 2. *quaest.* 58. *art.* 1. *et* 2. Molin. *tr.* 1. *de J. et J. D.* 2. *num.* 3. Laym. *l.* 3. *theol. mor. tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 2. Pirh. *proem. num.* 2. Plettemberg *introd. ad jus canon. cap.* 1. *num.* 6. *vers. porro.*

19

Dub. 2. quotuplex sit jus sumptum pro facultate aliquid agendi, vel omittendi, aut obligandi alterum ad agendum, vel omittendum? In hoc sensu acceptum dicitur *jus activum;* actio vero, vel omissio actionis ab altero praestanda appellatur *jus passivum*, seu terminus juris activi, quia correspondet isti, et est correlativum illius. E. g. vendidisti equum, et per hoc adversus emptorem acquisisti jus activum ad pretii solutionem; eo casu pretii solutio ab emptore praestanda, vel obligatio solvendi pretium residens in emptore, est jus passivum: et ita semper, quando in aliquo datur jus activum, et potestas obligandi alios, in istis respondet jus passivum, et obligatio aliquid faciendi, vel omittendi, quod jus passivum etiam appellatur *debitum.* Hoc notato ad propositum dubium.

20

Communiter DD. jus ita acceptum, seu jus activum dicunt esse duplex, videlicet jus proprietatis, et jus jurisdictionis. *Jus proprietatis* est potestas, seu facultas voluntate vere, vel interpretative sua, et in

suum commodum obligandi alterum ad aliquid praestandum, vel omittendum: et tale jus est dominium rerum corporalium, quasi dominium incorporalium, jus utendi fruendi, jus decimandi, jus eundi, agendi, ambulandi per fundum alterius etc. Dixi autem, *voluntate, vere aut interpretative, sua,* propter infantes, amentes, pupillos, prodigos, et similes, qui juris dominii quidem capaces sunt, voluntatem tamen propriam, aut nullam habent, vel si habent, eam a voluntate tutoris, curatoris, patris etc. dependentem habent, quorum potestati, tutelae, vel curatelae etc. subjecti sunt: et hinc istorum voluntas ex juris interpretatione est voluntas ipsius infantis, pupilli, etc.

21

Jus jurisdictionis est potestas publica obligandi voluntate sua alterum ad aliquid faciendum, vel omittendum, in totius communitatis, aut etiam privatorum bonum. Et tale jus jurisdictionale habet Papa, imperator, principes, praelati, et magistratus etiam inferiores, ac quicumque judices, cum ordinaria, vel delegata potestate constituti. Differt a jure proprietatis, quod istud immediate, directe, et principaliter tendat in bonum proprium obligantis; contra vero jus jurisdictionis immediate, directe, et principaliter tendat in bonum subditorum, et communitatis. Dixi utrinque *immediate, directe, principaliter;* nam mediate, indirecte, et secundario jus proprietatis aliquando cedit in bonum aliorum, et communitatis, et vicissim jus jurisdictionis in bonum proprium habentis jurisdictionem: sed hoc casu jus jurisdictionis admixtum habet jus proprietatis, quatenus nempe habens jurisdictionem simul habet jus, et facultatem obligandi alios, ne se impediant a possessione, vel exercitio jurisdictionis. Porro actus jurisdictionis proprii sunt praecipere, prohibere, punire, ferre leges, in iis dispensare, pronuntiare sententiam, et definire, quid jus postulet. Plettemberg. *introd. ad jus canon. cap.* 2. *num.* 5.

22

Ut acquiratur jus proprietatis, requiritur aliquis titulus, seu causa, propter quam possit aliquis obligare alios, et sic praeferri ceteris: et tales tituli aliqui praebentur a natura, uti est integritas membrorum corporis humani, propter quam homo obligare quemcumque potest, ne sibi in istis, vel vita noceat: alii vero a jure positivo, tum gentium; uti est prima rerum divisio: tum civili, uti est, praescriptio, propter quos titulos jus quis habet ad petendum id, quod his juribus suum est repetendum, quod ex histis titulis sibi debetur. Porro hujusmodi titulus est jus proprietatis incompletum, et si quis velit rem, per talem titulum sibi oblatam, habere ne suam, nascitur jus proprietatis completum. Videantur dicta *ad libr.* 2. *tit.* 12. *num.* 22. *et seqq.* ubi de modis, quibus hoc jus acquiritur, et de hujus juris effectibus.

23

Dub. 3. quotuplex sit jus proprietatis? Resp. Apud plerosque TT. et juris consultos duplex, apud alios etiam triplex est, scilicet jus reale, sive in re, jus personale, sive ad rem, et jus mixtum. *Jus reale*, sive *in re* est, quod immediate respicit rem, quae propterea, ad quemcumque deveniat, transit cum isto onere, ut is, qui jus in ea habet, eam persequi, repetere, et vindicare possit. Tale jus habet emptor in re sibi vendita, si simul sit tradita; nam a quocumque illa detineatur, vindicare illam potest: item beneficiarius in beneficio ecclesiastico, si in hoc canonice sit institutus: nam iste repetere illud potest a quocumque detentore illius etc. Effectus istius juris est *actio realis*, quae varia sortitur nomina pro varietate rerum, quae in judicio repeti, et vindicari possunt. Hinc a posteriori jus istud definiri potest, quod parit actionem realem. Plettenberg. *introduct. jur. canon. cap.* 2. *num.* 1. Viva *curs. theol. p.* 5. *D.* 2. *qu.* 1. *art.* 2. *num.* 9. Vallens. *proem.* §. 2. *n.* 4. Pirhing *ibid. num.* 6. Wienstner *num.* 6.

24

Jus personale, seu *ad rem* est, quod alicui competit ratione contractus cum alio initi, vel quasi contractus, vel ratione delicti ab alio commissi, vel quasi delicti, et respicit immediate personam ex tali contractu, vel quasi contractu, delicto, vel quasi delicto obligatam. Vallens. *l. cit. n.* 3. cum allegatis. Tale jus habet electus ad praelaturam, antequam confirmetur, praesentatus ad beneficium, antequam instituatur, emptor ad rem sibi venditam, antequam illa tradatur etc. Descendit ex hoc jure *actio personalis*, quae proxime, ac directe tendit in personam nobis sic obligatam, et ita illi cohaeret, ut contra alium rei possessorem institui nequeat. Exemplum esto: Titius vendidit domum suam Cajo, et tradidit; Cajus, antequam solvat pretium pro illa Titio, eandem domum vendidit Sempronio, simulque tradidit, ac vicissim pretium domus ab illo accepit. Hoc casu Titius non potest agere contra Cajum actione reali, sive in rem ad domum sibi restituendam; quia dominium illius per venditionem, subsecuta traditione, jam translatum est in Sempronium: sed competit illi solum actio personalis, et haec quidem non in Sempronium; quia inter hunc et Titium non est celebratus contractus, vel quasi contractus, nec intervenit delictum, vel quasi delictum: sed adversus Cajum dumtaxat, vel si iste defunctus jam sit, adversus haeredes ipsius, quippe qui eadem persona cum defuncto juris fictione censentur, ad praestandam sibi solutionem pretii in contractu emptionis venditionis inter Titium, et Cajum celebrato convenienti §. *omnium* 1. *inst. de action.* Gloss. *fin. ibid.* Schneidew. *num.* 12. Pirhing *num.* 6. Est ergo hujus juris effectus actio personalis: hinc ab isto effectu definiri potest, quod sit tale jus, quod tribuit, vel parit actionem personalem.

25

Jus mixtum, quod ab aliquibus pro tertio membro dividente additur, secundum istos de utroque priore participat. Tale jus habet Titius adversus Cajum, apud quem servum suum fugitivum latere non vane suspicatur ex eo, quod is detineat hominem aliquem; quia jus istud immediate rem, et personam respicit; non tamen est mere reale; quia Titius non potest sibi vindicare hominem, quem Cajus detinet, sed tantum agere *ad exhibendum*: nec etiam mere personale; quia personam quamcumque ad quam servus pervenit, sequitur. Jus hoc mixtum producit actiones mixtas: hinc definiri ex isto effectu potest, quid sit tale jus, quod tribuit, vel parit actionem mixtam.

26

Discrimen inter haec tria jura hactenus explicata patet ex eorum effectu; nam jus reale, ut dictum est, fundat actionem realem, qualis est rei vindicatio, actio confessoria, negatoria, publiciana, rescissoria, pauliana, serviana, et quasi serviana. Ex jure personali descendunt actiones personales, quae referuntur, et explicantur ab interpp. *ad §. in personam* 8. *inst. de action.* Jus mixtum producit actiones mixtas, quales sunt *actio ad exhibendum*, qua petitur exhiberi, exem. grat. homo detentus ab altero, ad cognoscendum, an sit servus fugitivus, necne, ut *n. praec.* dictum; *actio familiae herciscundae*, qua agitur inter haeredes de dividendis rebus haereditariis: *actio de communi dividundo*, quae datur illis, inter quos est res communis, ut legatum, donum etc. dividatur, vel quod praestandum est, praestetur; et denique *actio finium regundorum*, qua agitur de finibus praediorum confusis iterum determinandis. Alii tamen has actiones mixtas communius negant, dum dicunt eas simpliciter esse personales; et hinc jus proprietatis solum dividunt in reale, et personale: quod discutere non est hujus loci.

27

Porro, ut dicatur aliquis habere jus in re, et respectu hujus, ipsi competat actio realis, tria requiruntur. 1. *Existentia rei*, sive illa sit corporalis, et tangibilis, ut domus, sive incorporalis, et tangi nequeat, ut jus patronatus, quod consistit in denominatione quadam morali; nam res non existens nondum est obtenta, nec juri devincta: ideoque ad fructus sequenti anno proventuros ex beneficiis suis ecclesiastici non habent jus in re, sed ad rem tantum. 2. *Titulus* aliquis justus, exem. grat. emptionis, donationis, vel similis, ut dominium rei comparetur: hinc fur, et usurarius ob defectum tituli non habet jus in re circa pecunias furto, vel usura acquisitas. 3. *Traditio*; quia traditionibus, et usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur *l. traditionibus* 20. *C. de pact.* quod intellige *regulariter*; nam in aliquibus casibus ex speciali juris dispositione traditio non requiritur,

veluti 1. in beneficiis ecclesiasticis, ubi sufficit collatio, et acceptatio *c. si tibi absenti* 17. *de praeb. in* 6. 2. in haereditate rerum, ubi sufficit sola additio *l. cum haeredes* 23. *ff. de acquir. vel amitt. possess.* aditur autem haereditas, cum acceptatur verbo, vel facto §. *fin. inst. de haered. qualit.* 3. in legatis a testatore relictis; nam legati dominium a morte legantis statim acquiritur legatario, etiam ignoranti *l. cum pater* 77. §. *surdo* 3. *et l. legatum* 80. *ff. de legat.* 2. 4. in donatione facta ecclesiae, vel alteri piae causae ob speciale privilegium *l. fin. C. de SS. eccl.* quia regulariter hujusmodi donationes vim voti habent, quod, si de meliori bono sit, statim acceptatur a DEO, ut adeo probabilius tali casu non sit opus acceptatione ipsius ecclesiae, prout dicetur *libr.* 3. *tit.* 24. *num.* 9. Plures alios casus vide apud alios. Interim noto, licet his casibus ante apprehensionem acquiratur rei dominium, non tamen ante illam acquiri possessionem illius; quia possessio, nisi naturaliter apprehensa sit, ad nos non pertinet, ut ait Javolenus *l. cum haeredes cit.* Plettenberg. *introd. jur. can. cap.* 2. *num.* 1.

28

Ex definitionibus juris realis, et personalis hactenus explicatis infertur 1. non esse personale jus illud, quod habemus adversus alios, ne nos in usu rerum nostrarum vi, aut dolo impediant; quia non oritur ex contractu, quel quasi contractu, delicto, vel quasi delicto, sed consequitur ad jus in re; cum enim habeam jus in bonis meis, et fama, habeo consequenter jus, nequis in usu eorum me impediat. 2. posse aliquando jus reale versari circa personam immediate: et tale est jus, quod dominus habet in servum suum. Hinc differt istud a jure, quod conductor habet in operarium, quod personale est: et ratio disparitatis est, quia jus domini respicit servum ut rem, quae subest dispositioni ipsius, ut vendi, huc illuc transferri etc. ab illo possit: jus vero conductoris tendit in operarium, ut personam in ratione agentis ad praestandas nimirum operas, ad quas conductus hic est. 3. omnem actionem oriri ex obligatione aliqua, quae est causa, et materia actionis; ideo enim competit nobis actio sive personalis, sive realis, seu jus persequendi in judicio, quia persona, vel res aliqua nobis est obligata. Gloss. *pr. V. Actio inst. de action.* Pirhing. *proem. num.* 6. *fin.* Plettenber. *l. cit.* cum quibus adverto, actionem duplici modo accipi, scilicet vel pro actu, per quem petitur res ab alio debita, vel pro potentia, sive jure agendi, in qua acceptione *pr. cit. inst.* definitur, quod *nihil aliud sit, quam jus persequendi in judicio, quod sibi debetur.*

29

Dub. 4. quotuplex sit jus proprietatis reale? Resp. Subdividitur in dominium plenum, seu perfectum, et in non plenum, seu imperfectum, et imminutum. *Perfectum* dicitur, quod complectitur et proprietatem rei, et illius emolumenta, nec gravatur jure alterius. *Imperfe-*

ctum, quod aut tantum habet proprietatem rei, seu dominium directum, vi cujus aliquis *proprietarius, et dominus directus* appellatur, qualis est dominus rei in feudum, emphyteusim, usumfructum etc. datae; vel tantum habet emolumenta rei, seu fructus, et hoc dicitur *dominium utile*, ille vero, qui dominium istud habet, *dominus indirectus, seu utilis, vasallus, emphyteuta, usufructuarius etc.* vel denique et rem quidem, ac emolumenta illius continet, ita tamen, ut gravetur jure alieno, quale est, quod quilibet socius in re inter illos communi habet.

30

Dominium perfectum recte definitur a Bartol. *ad l. si quis ff. de acquir. vel amitt. possess.* quod sit jus perfecte disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur. Recipiunt hanc definitionem communiter TT. et juristae. Dicitur 1. *jus*, quod se habet tanquam genus ad dominium, et alia jura imperfecta, quae non sunt dominia; cujusmodi est jus ad rem, jus pignoratarii, quod habet ad pignus, jus depositarii, quod habet ad depositum etc. Dicitur 2. *perfecte disponendi*, nempe destruendi, vendendi, utendi, aut aliam quamcunque dispositionem exercendi, quae sit consentanea subjecto dominii, quo dominium perfectum ab imperfecto differt, quippe quo praeditus non ita pro arbitrio suo potest disponere invito altero, qui jus aliquod in ea habet. Dicitur 3. *de re corporali*; quia rerum incorporearum, ut sunt ipsa jura, officia, servitutes, actiones personales etc. non habetur proprie dominium, sed quasi dominium. Dicitur 4. *nisi lege prohibeatur*: quo innuitur, quod per accidens aliquando fiat, ut quis per legem, vel pactum impediatur a perfecta dispositione, et usu rei: sic pupillus, licet perfectum habeat dominium in sua bona, *cum sit dominus omnium* Galat. 4. *v.* 1. non potest tamen ob legis prohibitionem illa alienare: item qui domum emit cum pacto non vendendi, fit dominus domus, licet non possit de illa disponere per venditionem, cum istam pactum per accidens adjunctum velet. Quare hujusmodi lex, omnimodam dispositionem prohibens, tantum suspendit usum juris, et dominii, non vero diminuit ipsum dominium, si non simul fundetur in jure alterius contrario: nam si in tali jure fundaretur, sicut fundatur prohibitio in habentibus dominium solum imperfectum, ista diminueret perfectionem dominii.

31

Dominium imperfectum est quidem jus disponendi de re, sed non perfecte, puta vel de rei substantia tantum, non vero de fructibus, quale habet dominus directus in re feudali, aut in emphyteusin, vel usumfructum concessa, vel contra de fructibus, aut rei utilitate tantum, non vero de substantia, et proprietate, ut vasallus, emphyteuta, usufructuarius etc. Species dominii imperfecti sunt servitutes omnes,

feudum, emphyteusis, libellus, superficies, usufructus, usus, habitatio, et reductive etiam possessio: quamvis aliqui, forte non male, quasdam ex recitatis speciebus non dominia, sed jura realia solum appellent, praesertim ultimas.

32

Dub. 5. quotuplex sit jus jurisdictionis? Resp. Aliud est *divinum, et increatum* quod est absolutissimum, et omni ex parte perfectissimum, aliud *humanum*, sive *creatum*: quod dividitur in *ecclesiasticum, et politicum*, seu *temporale. Illud* versatur circa causas, ad DEI cultum, et spiritualem animarum salutem pertinentes; *Posterius* circa causas saeculares, et profanas, et temporalem reipublicae gubernationem proxime respicit. Utrumque subdividitur 1. in jurisdictionem *ordinariam, et delegatam.* 2. In jurisdictionem *fori interni*, et ista quidem in *voluntariam, et contentiosam.* 3. *in personalem, et realem*, seu *territorialem.* 4. *in imperium et jurisdictionem simplicem;* Imperium vero in *merum, et mixtum;* de quibus omnibus *libr.* 1. *tit.* 32. *n.* 5. *et seqq.*

33

Dub. 6. quotuplex sit jus pro lege acceptum? Resp. Dividitur in *jus naturale, et positivum.* Positivum vero, repetito tamen diviso in membris dividentibus, subdividitur in *jus positivum divinum, et humanum*, ut sic a priori membro, nempe jure divino excludatur jus naturale, quod certo respectu, ac certa ratione divinum appellatur, nempe quatenus a Deo, tanquam auctore naturae, dimanat, ut bene advertit Vallens. *Proem.* §. 4. *num.* 2. Humanum denique subdividitur in *jus gentium, civile, et canonicum*: de quorum singulis, ut accuratius agatur, sit

§. II.

De Jure naturali.

SUMMARIUM

34 *Descriptio juris naturalis.*
35 36 37 *Triplex illius acceptio in sensu S. Thomae.*
38 *Sumitur in his modis virtualiter.*
39 *Varia apud DD. sortitur nomina.*
40 *Potest in duplici sensu accipi.*
41 *Quod sit subjectum juris naturalis? Rationes dubitandi.*
42 *Resolvitur, nullam juris veri participationem inesse brutis.*
43 *Confirmatur doctrina ista.*
44 *Respondetur ad opposita.*

45 *An materialiter saltem jus naturale commune sit brutis, et homini? Argumenta pro parte affirmante.*
46 *Respondetur, in brutis solum inesse quandam analogiam, et umbram juris naturalis.*
47 *Contraria argumenta solvuntur.*
48 *Hinc rejicitur definitio Ulpiani, qua dicit, jus naturale esse id, quod naturae omnia animalia docuit.*
49 *Non placet etiam, quae jus naturale constituit in ipsa natura rationali.*
50 *Aliqui jus istud ponunt in ipso dictamine rationis a naturae authore indito.*
51 *Improbatur haec definitio.*
52 *Argumenta pro hac adducta solvuntur.*
53 *Doctrinae istius confirmatio.*
54 *Ponitur vera juris naturalis definitio.*
55 *Pro ista videtur stare eximius doctor Suarez.*
56 *An sola principia generalia materia legis naturalis sint?*
57 *Resolvitur ad ejus materiam pertinere etiam illa, quae ex his principiis per evidentem, et necessariam illationem deducuntur.*
58 *Respondetur ad argumenta opposita.*
59 *An ultra haec omnia se extendat jus naturale?*
60 *Respondetur negative.*
61 *Regulae quaedam, unde colligi possit, quod aliquid sit objectum juris naturalis?*
62 63. *Explicatio istarum.*
64 *Modus applicandi has regulas.*
65 *Referuntur praecepta juris naturalis in particulari.*
66 *Distinguuntur in affirmativa, et negativa.*
67 *An dentur actus jure naturali irritati?*
68 *Ponitur responsio affirmativa.*
69 *Solvuntur argumenta contraria.*
70 71 *Regulae discernendi actum jure naturali irritum ab eo, qui eo jure est solum prohibitus.*
72 *Corollarium.*
73 *An, et quomodo jus natarale sit, et dicatur immutabile?*
74 *Respondetur, non esse mutabile formaliter, et proprie.*
75 *Quod triplici argumento probatur.*
76 *Non repugnat illud mutari materialiter, et improprie.*
77 *Quod fit maxime, quando materia illius pendet ex certa conditione, quae dependet a dominio, et potestate DEI*
78 *Vel etiam hominis.*
79 *Hinc conditio talis est consideranda, ut sciamus, an jus naturale in particulari casu ita mutari possit, vel non.*
80 *Solvuntur objectiones.*
81 *Et ponitur principium etiam ad alias solvendas.*
82 *Jus naturale admittit epikiam impropriam.*
83 *Etiam propriam admittunt aliqui.*
84 *Sed melius negatur.*
85 *Solvuntur opposita.*

34

Quaeritur 1. quid, et quotuplex sit *jus naturale.* Resp. Jus naturale *can.* 7. *dist.* 1. dicitur, quod *est commune omnium nationum, eo quod ubique instincta naturae, non constitutione aliqua habetur*: in quem sensum Aristoteles 5. *Eth. c.* 7. illud describit, esse id, *quod ubique eamdem vim habet, et non quia videtur, aut non videtur.* Sensus est, quod ejus obligatio non libera praecipientis voluntate, sed ex ipsa rei praeceptae, vel prohibitae natura oriatur, quae quia immutabilis est, et eadem ubique, ideo etiam ipsum jus naturale ubique, et apud omnes gentes, quamdiu circumstantiae eaedem ma-

nent, eamdem vim habet, utpote quod eo ipso veritatem, et rectitudinem sibi insitam possidet. Card. Aguirre *Phil. mor. l. 5. cap. 8. n. 2.* Plettenberg *introd. jur. canon. c. 3. num. 1.* Pirhing *Proem. n. 8.* magnif. P. Schmier *tract. de jur. legal. cap. 2. num. 1.*

35

Triplex autem, ut S. Thom. 1. 2, *qu.* 94. *art.* 2. statuit, est jus naturale, secundum triplicem inclinationem, quam habet homo ad bonum prosequendum, et malum vitandum. 1. inest homini inclinatio ad conservationem sui, tanquam ad bonum secundum naturam, in qua inclinatione communicat cum omnibus substantiis, *omnis enim natura, ut l. 4. de fin.* ait Cicero, *vult esse conservatrix sui, ut salva sit, et in genere conservetur suo.* Secundum hanc inclinationem juris naturalis sunt ea omnia, *per quae vita hominis conservatur, et contrarium impeditur.* Et consentit juris consultus cum *l. nihil* 35. *ff. de R. J.* docet, *nihil tam naturale esse, quam eo genere quodque dissolvere, quam quo colligatum est.*

36

2. Inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua communicat cum ceteris animalibus: et secundum hoc dicuntur ea esse de lege naturali, quae natura omnia animalia docuit, ut est commixtio maris et foeminae, liberorum procreatio, et educatio etc. S. Thom. *loc. cit.* Et hoc sensu jus naturale definitur ab Ulpiano, quod sit illud, *quod natura omnia animalia docuit,* ut habetur *l. juri* 1. §. *jus naturale* 3. *ff. de J. et J.* atque adeo jus naturale sic acceptum nihil est aliud, quam instinctus naturae sensitivae, qui hominibus cum brutis communis est.

37

3. Modo, pergit S. Thom. *l. cit. inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quae est sibi propria:* et ex hoc profluit jus naturale proprie dictum, de quo *l. omnes* 9. *ff. de J. et J.* Gajus juris consultus *quod vero,* inquit, *naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes per aeque custoditur.* Ex quo sequitur, quod jus naturale in hoc sensu acceptum insit soli homini; quia nihil aliud est, quam recta ratio ab authore naturae ipsi indita, seu dictamen, et conscientia praecipiens aliquid necessario faciendum, vel non faciendum: in quo sensu rectissime Seneca *epist.* 65. *ad Lucillum* inquit: *Est ergo a DEO, tamquam naturae authore, impressum, inditumque cordibus nostris, per quod secundum dictamen rationis practicae actus humanos liberos ad bonum, justumque dirigimus.*

38

Modi isti ostendunt quidem in quo lex naturalis consistat virtualiter; ostendunt enim illam in effectu, et signo suo, scilicet in inclinatione, et dictamine a natura indito, quo agnoscimus, quid natu-

rae rationali conveniens, vel inconveniens, per se honestum, vel inhonestum sit: interim tamen lex naturalis formaliter spectata, et prout constituit jus legale, videtur dicere aliquem actum voluntatis divinae, nobis intimatum per lumen rationis, hujusque dictamen, quo ordinamur ad id, quod naturae rationali conveniens est, et removemur ab eo, quod eidem est inconveniens: de quo *infra num.* 54.

39

Interim noto, hoc jus naturale apud scriptores tum veteres, tum hodiernos varia sortiri nomina. Gajus juris consultus *l. omnes* 9. *ff. de J. et J.* illud vocat *jus commune*, Cicero *pro Milone* appellat *legem non scriptam, quam non didicimus, legimus, verum ex ipsa natura hausimus, accepimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus*, Seneca *de benefic. l.* 4. *c.* 7. nuncupat *legem divinam*, alii aliter. Apud TT. communiter *lex aeterna* dicitur: quas voces explicans S. Augustinus *l.* 1. *de liber. arbitr. c.* 6. ait: *legem aeternam esse summam rationem in DEO existentem, cui obtemperandum est.* Hancque ex Gentilibus praecipue agnovit Cicero *l.* 11. *de leg.* ubi scribit: *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum esse aliquod populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi, prohibendique sapientia. Ita principum legem illam, et ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis DEI: ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata; est enim ratio, mensque sapientis ad jubendum, deterrendumque idonea.*

40

Potest autem, ut recte cum *Sanct. Gallensibus* advertit magnif. P. Schmier *t. de jur. legal. c.* 2. *n.* 8. lex aeterna dupliciter accipi. 1. in latiori significatione, quatenus denotat rationem divinae sapientiae, directivam omnium motuum, et creaturarum in suos fines. 2. in pressiori sensu, quatenus significat rationem ejusdem divinae sapientiae actus liberos creaturae rationalis efficaciter ordinantis in finem ultimum: quod bene notandum pro resolutione sequentium duarum quaestionum, in quarum una

41

Quaeritur 2. quod sit *subjectum* juris naturalis? Sunt, qui cum Paris. *p.* 1. *de univers. p.* 3. *cap.* 3. Gregor. Lopez *Animad. p.* 3. *cap.* 8. Albert. Gentil. 3. *lect.* 1. Loriot. *de jur. ort. tract.* 10. *axiom.* 8. Gonzal. *apparat. de orig. et process. jur. canon.* contendunt, legem aeternam, seu jus naturale non solum ad creaturas rationales, sed etiam irrationales extendi. Fundamentum huic suae doctrinae capiunt 1. ex *l. juri* 1. §. *jus naturale ff. de J. et J.* ubi Ulpianus, *jus naturale*, inquit, *est, quod natura omnia animalia do-*

cuit ; nam jus istud non humani generis proprium , sed omnium animalium , quae in terra , quae in mari nascuntur, avium quoque , commune est : hinc descendit maris , atque foeminae conjunctio , quam nos matrimonium appellamus : hinc liberorum procreatio , hinc educatio ; videmus etenim , cetera quoque animalia , feras etiam , istius juris peritia censeri : quae verba in institutiones suas retulit imperator , ut videre est *pr. institut. de J. N. G. et C.* quem secuti jurisconsulti *jus naturale* communiter definiunt , *quod sit ipse instinctus , seu propensio naturae sensitivae , quae hominibus cum brutis animantibus communis est.* 2. ex variis S. Scripturae textibus , in quibus habetur , DEUM creaturis etiam ratione carentibus , v. g. aquis , et pluviis legem posuisse *Job.* 28. *prov.* 8. 3. ex modo operandi brutis plurimis , singulariter vero canibus , apibus , simiis etc. familiari , quo tam dextre , et accurate suas actiones attemperare sciunt , ut plane aliquam saltem juris naturalis notitiam iis inesse existimari possit.

42

Sed verius negatur , ullam veri juris participationem inesse brutis , vel ulli alteri creaturae irrationali. Ita Laurent. Valla *l.* 4. *elegant. c.* 40. Connan. *l.* 3. *comment. civil. c.* 6. Corras. *l.* 6. *Miscell. c.* 25. *n.* 7. Wesenbec. *ff. de J. et J. n.* 25. Vallens. *Proem.* §. 3. *n.* 2. Pirh. *ibid. num.* 9. Wiestner *n.* 14. magnif. P. Schmier *tr. de jur. legal. c.* 2. *n.* 13. et plerique RR. contra VV. jurisconsultos. Ratio est , quia , ut creatura afficiatur jure , oportet , ut illa rationis usu , et libertate sit praedita , et simul obligationis , ac poenae capax : *rationis usum* habere debet , ut qualitatem actus , et vim regulae eum praecipientis , vel prohibentis agnoscat : *libertatem* , quia frustra imperatur , vel prohibetur , quod agitur , vel omittitur necessitate : *obligationis* capax debet esse , quia hanc lex , et jus imponit : *poenae* autem , quia hanc meretur transgressio obligationis , per jus impositae. Atqui nullum ex his cadit in bruta , vel alias creaturas irrationales , ergo etc.

43

Conf. 1. si in brutas animantes caderet jus , in eas etiam cadere injuriam necesse foret , cum eadem sit ratio contrariorum , atqui injuria in eas non cadit , teste Ulpiano *l. si quadrupes* 1. §. *ait Praetor.* 3. *ff. si quadrup. pauper. fecer.* ibi : *Pauperies est damnum , sine injuria facientis datum ; nec enim potest animal injuria fecisse , quod sensu* i. e. ratione , *caret* : quae verba repetit imperator *pr. Inst. tit. eod.* et hinc damnum a bruto illatum non injuria , sed *pauperies* dicitur. 2. si bruta capacia juris naturalis forent , iisdem competeret jus adversus hominem , possetque homo injustitiae , et injuriae insimulari , qui bestiam occideret : sequela est contra veritatis increatae asserta clarissima *P.* 8. *v.* 6. *et seqq.* ubi plenissimum homini

dominium in res sublunares, animatas, et inanimatas tribuitur. 3. si ut creatura juri naturali subsit, necessaria non esset ratio, et libertas, sed sufficeret vis, ac propensio naturalis, jure illo etiam afficerentur vegetabilia, et res omnino inanimatae; nam et ipsa effectus sibi competentes ex inclinatione naturali exercent, dum gravia tendunt deorsum, sursum levia, vegetabilia suam propagant speciem etc. 4. si prolis generatio, alimentatio, et eductio in brutis proficiscerentur a jure naturali, quia commune hoc bruta cum homine habent, etiam comestio progressio, quies, similesque aliae actiones referendae essent ad jus naturale; nam istae non minus, ac illae brutis cum homine communes sunt: sequelam falsam, et omnino absurdam adversarii ipsimet agnoscunt, ergo etc. 5. experientia docet, bruta ex necessitate naturae ad unum quasi objectum affixa, et alligata esse: neque tam agere ex libera electione, quam agi ex impressa motione ad finem a natura proefixum, ut adeo omnes illorum actus sint necessarii; sed actus necessarii per regulam moralem, quale jus proprie dictum est, ad rectitudinis orbitam frustra revocantur, cum aliter fieri nequeant; ergo in brutis jus nullum est: quod agnovit Plato, dum, *nostra* inquit, *terra ex omnibus animantibus hominem genuit, qui ceteris intelligentia praestat, solusque jus, ac Deos animadvertit*; *et* Aristoteles, cum ait: *jus esse non potest, inter quos neque lex est, neque justitia, neque injustitia.*

44

Neque contrarium probant argumenta *n.* 41. allata. *Ad* 1. dum dicitur, *jus naturale, quod natura omnia animalia docuit, illudque etiam brutis commune est*, intelligendum est, ut faciat hunc sensum: illud, quod in hominibus dicitur jus naturale, non solum ab hominibus, verum etiam a brutis usurpatur, sic tamen, ut quatenus in brutis reperitur, non dicatur, jus naturale; quia sicut bruta sunt incapacia injuriae, ita et juris, quod a ratione, qua bruta destituuntur, deducitur: sed eatenus solum dicitur jus naturale, quatenus ab hominibus, et quidem tunc solum, quando non ex sensus, sed rationis ductu usurpatur. Dixerunt ergo *Ulpianus, et Justinianus*, jus naturale non esse proprium generis humani; quia scilicet illi non ita convenit, quin in brutis quoque aliqua ejus adumbrata effigies reperiatur, ut notat Valsens. *proem.* §. 2. *num.* 2. atque adeo, dum jus istud esse in brutis dicitur, ad hominem refertur, non vero ad ipsa bruta, nisi improprie, et metaphorice, quo modo illis etiam aliquando adstruitur prudentia, fortitudo, et aliae virtutes: quod nihil aliud est, quam quod a brutis ex sensitivo instinctu exerceantur actus aliqui similes iis, qui si exerceantur ab homine ex instinctu, et dictamine rationis, virtutes sunt, et dicuntur. *Ad* 2. dum in Scriptura dicitur, quod DEUS *legem aquis posuerit, ne transirent fines suos*, et similia, *legis* nomen

sumitur valde improprie pro ordinatione divina, qua DEUS illas cohibet, ne terminos suos egrediantur in nocumentum universi. *Ad* 3. ex beneficio dispositionis divinae similiter provenit, quod aliqua animantia solertius, et perfectius, alia tardius, et imperfectius operentur, ut cum Samuel. Puffendorff *de J. N. G. et C. l.* 2. *cap.* 3. §. 2. notat magnif. P. Schmier. *tract. de jur. leg. cap.* 2. *num.* 14.

Quaeritur 3. an saltem materialiter jus naturale commune sit brutis, et homini? Ita sentire videntur AA. *num.* 41. allegati; nam quod formaliter illius capax sit solus homo, efficaciter ostendit ratio *numer.* 42. allata, et hujus confirmationes *numer.* 43. quia scilicet solus homo rationalis est, et a natura insiti dictaminis ductu, ac propria electione fertur in id, in quod inclinatur.

45

Quod vero materialiter hujus juris capacia bruta sint, conantur efficere sequentibus argumentis. 1. quia plures sunt actiones utrisque communes, ut maris, et foeminae conjunctio ad sobolis procreationem, ejusdem procreatae alimentatio, et educatio, in quas instinctu, et propensione naturali non minus bruta feruntur, quam homines, 2. bruta objectum, in quod feruntur, cognitione saltem materiali, et sensitiva attingunt, cujus cognitionis expertes sunt res vegetabiles, et inanimatae; ergo jam potest ostendi, quare ista juri naturali subjecta non sint, sint autem subjecta bruta: 3. non desunt exempla vindictae exercitae, et divina etiam lege constitutae in brutas animantes, si occidissent homines, aut huic monstruosa libidine sese commiscuissent, ergo etiam poenae suo modo capaces sunt.

46

Verum haec omnia, si aliquid probant, hoc solum probant, quod brutis insit quaedam umbra, et analogia juris naturalis, quo sensu, ut *n.* 44. *ad* 1. adverti, etiam iisdem adstruitur justitia, prudentia, fortitudo, et aliae virtutes, quarum in illis non veritas, sed imitamenta, et simulacra quaedam deprehenduntur. Ita Suar. *l.* 1. *de legib. c.* 3. *n.* 3. Donell. *l.* 1. *Comment. c.* 6. Hilliger *ad eund. loc. cit. a lit. G.* Mynsing. *ad pr. inst. de J. N. G. et C. n.* 2. Wesenbec. *ibid.* Harppr. *pr. eod. n.* 3. Zoef. *ad ff. de J. et J. n.* 24. Lauterbach. *ibid. n.* 23. Muller. *ad Struv. exercit.* 1. *th.* 49. *lit. A. fin.* Gletle *jurisp. fund. l.* 1. *tit.* 2. *cap.* 2. §. 1. *n.* 1. Franz. *ad instit. de J. N. G. et C. p.* 1. *num.* 6. Plettenberg. *introd. jur. can. cap.* 3. *num.* 1. Pirhing *proem. num.* 9. Wiestner *n.* 17. Reiffenstuel *n.* 16. et videtur hoc insinuari ab ipso Ulpiano, et Justiniano, dum *l. cit.* dicunt, *cetera animalia istius juris notitia censeri*, quod verbum improprietatem denotat. Si tamen, ut *n.* 40. annotavi, jus naturale accipias in sensu lato, prout significat rationem sapientiae divinae, directivam omnium motuum, et creaturarum in suos fines, non nego;

sub hac ratione acceptum jus naturale terminari ad brutas animantes, imo non ad has tantum, sed ad quascumque etiam inanimatas creaturas sub hac ratione dirigitur. Similiter admitto in brutis jus naturale in sensu primo, et secundo s. Thomae explicato *sub n.* 42. Sed nego ita acceptum jus naturale posse dici jus proprie legale, utpote cujus subjectum rationis usum desiderat.

47

Ad argumenta contraria non est difficilis responsio. *Ad* 1. materialis illa communio actionum ad inducendam communionem juris naturalis, prout illud legis rationem habet, non sufficit: nam jus prout habet rationem legis, in subjecto, quod afficit, prout dictum est *numer.* 42. capacitatem obligationis, rationem, et libertatem exigit, quorum omnium brutum incapax est. Accedit, quia in ipso opere materiali, sive actione ad propagationem speciei a natura ordinata, et brutis communi, natura homini prohibet conjunctionem cum filia, et matre, vagumque concubitum, et fornicationem simplicem, a quibus bruta naturali instinctu non arcentur, ut recte Suar. *l.* 2. *de legibus cap.* 17. *num* 6. *Ad* 2. cognitio illa sensitiva non facit, ut bruta obligationi legis naturalis sese submittere, vel subducere, eaque submissione proemium, vel subductione poenam promereri possint: quod tamen requiritur ad hoc, ut quis legi naturali subjectus sit. *Ad* 3. vindicta illa non habet rationem poenae respectu bruti, sed respectu hominis; occiduntur enim aliquando bruta in poenam negligentis custodiae, vel ne ulterius noceant, aliquando vero, ut in crimine illo foedissimo, ne occursu suo memoriam ejusdem refricent, et ad ulterius peccandum occasionem praebeant.

48

Quaeritur 4. quomodo definiri jus naturale possit? Varii varias definitiones afferunt. 1. Veteres plerique civilistae, quibus assentiuntur *Mastertius, Ungebaur, Corasius, Gentilis* apud Joannem Groningium *biblioth. jur. gent. l.* 3. *cap.* 4. *et* 7. *num.* 3. et sequitur magnif. D. Christoph. de Chlingensper *ad inst. de J. N. G. et C. qu.* 2. Jus naturale ex Ulpiano definiunt, *quod sit id, quod natura omnia animalia docuit.* Sed jam ostensum est, quod homini cum brutis non sit ulla communio juris naturalis: hinc definitio ista non est juris naturalis, prout hoc jus legale, et proprie dictum est; sed solummodo, prout dicit inclinationem quandam potentiae sensitivae, quam natura animantibus indidit.

49

2. Alii cum *Vasquezio* 1. 2. *D.* 150. *cap.* 3. describunt illud, quod sit ipsa natura rationalis, quatenus est prima regula vel boni convenientis, vel mali disconvenientis. *Fundamentum* illorum est, quod aliquae actiones intrinsecam malitiam habeant, neque quoad istam pen-

deant ab intrinseca prohibitione, judicio, aut voluntate divina: ut adeo radix, et basis hujus turpitudinis in ipsa ratione naturali resideat.

Sed improbant definitionem istam Suar. *l.* 2. *LL. cap.* 5. *n.* 5. Caram. *theol. reg. D.* 2. *a numer.* 20. Reding *de LL. quaest.* 15. *art.* 1. *contr.* 2. Sanct. Gallens. *de LL. sect.* 2. *quaest.* 1. *concl.* 1. magnif. P. Schmier *tract. de jur. legal, cap.* 2. *num.* 16. nec absque ratione; nam 1. ex ea sequitur, quod DEUS non minus proprie haberet suam legem naturalem, quae ipsum liget, ac homo eam habet; continet enim in se naturam, cui, ratione infinitae suae rectitudinis, disconveniens est omne peccatum. 2. Lex naturalis non esset lex divina; quia praecepta illius non essent ex DEO, quatenus necessariam honestatem habent, sed ex ipsa natura rationali, quae a DEO quidem dependet quoad existentiam, non vero in ratione mensurae honestatis, et inhonestatis. 3. Lex naturalis est vera lex, posita a potestate superiore: non ita posita esset, si lex naturae esset ipsa natura; alias seipsa esset inferior, et superior. 4. Lex naturae, teste Apostolo *Roman.* 2. *v.* 14. est scripta in cordibus nostris, ergo ipsum cor, seu natura rationalis non potest esse sibi lex, sed potius subjectum legis. 5. Lex naturae est prima, indefectibilis, et immutabilis regula, talis regula non potest esse natura creata; ergo

Ad fundamentum adversae sententiae dico, quarundam actionum malitiam independenter a voluntate divina dari quidem fundamentaliter quatenus in seipsis inconvenientiam ad lumen rationis habent, formaliter tamen haberi dependenter a voluntate divina, qua legem suam in cordibus nostris scripsit, cui deinde repugnat talis actio.

50

3. Plures TT. et jurisconsulti cum Suar. *cap.* 5. *cit. num.* 9. Molin. *tract.* 1. *de J. et J. D.* 47. *num.* 3. Salas *D.* 1. *de legib. sect.* 3. Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 8. *n.* 7. Grotio *de Jur. bell. et pac. l.* 1. *cap.* 1. *num.* 10. Mevio *prodom. jurispr. inspect.* 2. *numer.* 14. Struv. *ad ff. exerc.* 1. *th.* 52. Pirhing *proem. n.* 9. Wiestner *ibid. num.* 18. Reiffenstuel *n.* 15. legem naturalem dicunt esse inditum a naturae authore DEO nobis lumen rationis, atque dictamen quo honestum discernimus ab inhonesto, et judicamus, aliqua quidem tanquam natura sua nobis convenientia, esse a nobis agenda, alia, tanquam disconvenientia, vitanda, alia, tanquam ex se indifferentia, esse permissa. Nam 1. innuisse istud videtur psaltes regius *psalm.* 4. *vers.* 6. ubi *multis*, i. e. ut *S. Aug. et S. Thom.* explicant, stultis, et iniquis hominibus, suscitantibus, *quis ostendit nobis bona?* hoc est, bona opera nobis facienda, divino afflatus spiritu, respondet: *signatum est super nos lumen vultus tui, domine*, significans, ipsum lumen rationis a DEO nobis inditum, sufficere ad discernendum bonum a malo, et movere ad hoc quidem vitandum, illud vero agen-

dum. 2. hoc ipsum clarius habetur *Rom.* 2. *v.* 14. *et* 15. ubi Apostolus, *gentes*, inquit *quae legem* (mosaicam) *non habent*, *naturaliter ea*, *quae legis sunt*, *faciunt*, h. e. lumine, et ductu rationis a natura ipsis insitae pleraque opera legis perficiunt, ut declarat Apostolus subjectis verbis: *ejusmodi legem* (mosaicam) *non habentes*, *ipsi sibi sunt lex.* Qua autem ratione lex sibi ipsi sint, explicans, ait: *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*, *testimonium reddente ipsis conscientia ipsorum*, seu lumine rationis a natura indito homini. 3. consentit Angelicus *in* 4. *dist.* 33. *art.* 1. ubi, *naturalis*, inquit, *conceptio omni homini indita*, *qua dirigitur ad operandum convenienter*, *lex naturalis*, *seu jus naturae dicitur*, et 1. 2. *qu.* 94. *art.* 6. allegans August. qui *l.* 2. *confess. cap.* 4. ad DEUM conversus, ait: *lex tua scripta est in cordibus hominum*, ac de eodem loquens, *quis enim*, inquit, *scribit in cordibus hominum naturalem legem*, *nisi DEUS*? 4. id agnovit Cicero, dum *libr. de republ. est*, inquit, *vera ratio naturae congruens*, *diffusa in omnes*, *et constans*, *quae vocat ad officium jubendo*, *vetando etc.* 5. Hoc significare videtur imperator, dum §. *jus autem* 1. *inst. de J. N. G. et C.* jus naturale ait esse illud, *quod naturalis ratio inter homines constituit.*

51

Verum haec argumenta meo judicio plus non probant, quam quod dictamen rationis nobis proponat legem naturalem, et haec in ipso eluceat, non vero, quod in illo lex naturalis consistat formaliter, eo fere modo, sicut promulgatio legis humanae proponit nobis legem humanam, non tamen ipsa est lex humana, sed conditio solum, qua posita incipit obligare lex humana. Quod magnif. P. Schmier *tr. de jur. legal. cap.* 2. *num.* 22. confirmat triplici argumento, 1. omnis lex, cons. etiam naturalis, constituitur actu, et authoritate superioris, atqui dictamen rectae rationis non constituitur actu, et authoritate superioris; provenit enim a natura rationali, quae seipsa non est superior, et quamvis quoad existentiam dependeat a DEO, non tamen dependet secundum rationem mensurae recti, et boni, ergo etc. 2. Quod est essentialiter defectibile, nequit esse regula indefectibilis, sed dictamen rectae rationis aeque, ac natura rationalis, est essentialiter defectibile, utpote creatum, et corruptum; lex vero naturalis est indefectibilis regula, ergo dictamen rectae rationis non est formaliter ipsa lex naturalis. 3. Dictamen rationis, dum judicat hoc, vel illud esse praeceptum, vel prohibitum, solum applicat legem, quam pro objecto suo habet, affirmando dari praeceptionem, vel prohibitionem, igitur ipsum non potest esse lex, sed hanc tamquam objectum suum supponit.

52

Ad argumenta contraria haud difficulter respondetur. *Ad* 1. Psalmista *l. cit.* plus non videtur innuere, quam quod in nobis DEUS po-

suerit lumen rationis, per quod agnoscamus legem aeternam, seu naturalem, et quid ex illius praecepto nobis agendum, vel omittendum: adeoque lumen istud proprie non est lex, sed pro objecto suo legem aeternam habet, eo fere modo, quo promulgatio, et cognitio legis humanae, quae dum ostendit, quid ex praecepto legis humanae sit faciendum, non fit lex humana, sed hanc aliunde sancitam supponit, nobisque applicat, ut obligationem suam respectu nostri in actu 1. vel etiam in 2. exarat. *Ad* 2. dum Apostolus dicit, legem naturalnm scriptam esse in cordibus nostris, intelligendum est objective, quatenus scilicet in corde datur dictamen conscientiae, quod nobis repraesentat legem naturalem, eo fere modo, quo dicimus, factum aliquod descriptum esse in libro, non quod ibi scriptum sit ipsum factum, sed quod scripti sint characteres, qui a nobis lecti ducunt nos in cognitionem facti, quod ibi narratur. *Ad* 3. similis est responsio; nam naturalis conceptio, seu dictamen eo modo ab Angelico dicitur lex naturalis, quo modo factum dicitur, quod in libro descriptum lego; sicut enim voces, quae ibi leguntur, signum facti sunt, ita et dictamen legis naturalis, quam istud pro objecto habet. *Ad* 4. etiam cognitio legis humanae nos ad officium vocat, nec tamen ipsa est lex. *Ad* 5. etiam dum promulgatur lex, dicitur illa institui, vel constitui, *can. in istis* 3. §. *leges dist.* 4. nec tamen promulgatio legis est ipsa lex.

53

Et vero, quod necessario admittenda sit lex aliqua a dictamine rationis distincta, quam istud pro objecto habeat, videtur clare concludi ex eo, quia eodem rationis nostrae dictamine agnoscimus, quod si transgrediamur legem naturalem, incurramus non tantum reatum culpae, sed etiam poenae, ergo agnoscimus etiam legem, quae poenam hanc statuit, atqui poenam istam non statuit ipsum dictamen rationis, sed a DEO naturae authore statutam supponit, igitur illa ordinatio, qua DEUS creaturam rationalem ordinat ad ea, quae naturae ipsius qua talis convenientia sunt, sub reatu culpae, et poenae, si legem hanc transgrediatur, erit lex naturalis. Et haec ipsa ratio est, quod

54

4. Et meo judicio optime alii jus, seu legem naturalem definiant, quod sit ordinatio rationis, per sapientiam divinam facta, et per lumen rationis a Deo omnibus manifestata, praecipiens ea, quae rectae rationi sunt consentanea, contraria prohibens, permittens indifferentia. Ita quoad sensum, et fere etiam quoad verba magnif. P. Schmier *tr. de jur. legal. c.* 2. *num.* 25. Dixi 1. *Ordinatio rationis*, i. e. dispositio rationabilis: in quo convenit lex naturalis cum lege positiva quacumque. Dixi. 2. *per sapientiam divinam facta*: in qua dispositione facienda videtur concurrere tam actus intellectus divini, quam

actus voluntatis divinae : ille cognoscendo , quid creaturae rationali sit naturaliter congruum , iste obligando illam ad observantiam sub reatu culpae , et poenae. Dixi 3°. *per lumen rationis manifestata :* quod proinde se habet instar promulgationis. Et per hoc ipsum etiam indicatur , quod subjectum hujus juris , seu legis sit sola creatura rationalis , sicut ostensum est a *num.* 41. Ceterae particulae explicant , quod triplex sit jus naturale , scilicet *praeceptivum , prohibitivum , et permissivum.* Primum terminatur ad ea , quae nobis necessario sunt facienda , tanquam honesta , ut colere DEUM , honorare parentes , stare promissis etc. alterum ad illa , quae necessario sunt fugienda , vel omittenda tanquam inhonesta , ut blasphemia , perjurium, mendacium, et tertium illa respicit , quae ex se nec praecipiuntur , nec prohibentur , ut ambulare , ludere etc.

55

Videtur definitionem istam insinuare ipse eximius doctor Suarez *l.* 2. *de ll. c.* 6. *n.* 13. ubi dicit , quod *lex naturalis possit vel in Deo , vel in nobis considerari : et in DEO quidem secundum rationis ordinem supponit judicium ipsius Dei de convenientia , vel disconvenientia talium actuum* ; addit autem *voluntatem obligandi homines ad id servandum , quod recta ratio dictat.* Addit idem doctor , hoc fortassis voluisse insinuare S. August. *l.* 22. *c.* 27. *contra Faust.* quando dixit , *legem aeternam esse divinam rationem , vel voluntatem , ordinem naturalem conservari jubentem , perturbari vetantem :* ubi idem eximius subjungit , copulam *vel* accipiendam non disjunctive , sed copulative , ex ratione ; *usitatum enim est* , inquit , *ut particula* vel *pro copulatione accipiatur , maxime quando illa , inter quae ponitur , ita sunt inter se connexa , ut non separentur ; sic autem se habent ratio divina , et voluntas circa legem aeternam : et ideo utramque August. complexus est.* Ita eximius , qui deinde explanans legem naturalem , prout in nobis est , dicit , eatenus illam esse signum voluntatis divinae. Verba illius sunt : *unde tandem fit , legem naturalem , prout in nobis est , non tantum esse indicantem malum , sed etiam obligantem ad cavendum illud , ac proinde non solum repraesentare naturalem disconvenientiam talis actus , vel objecti cum rationali natura , sed etiam esse signum divinae voluntatis vetantis illud.* Et in hac acceptione sumpsi legem naturalem , quando illam *infra lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 3. cum authoribus tertiae definitionis descripsi , quod sit *dictamen rationis a natura inditum , quo natura rationalis discernit honestum a turpi ;* dicendum enim , per eam definitionem explicari legem naturalem , prout in nobis est , quatenus scilicet est signum repraesentans legem naturalem constitutam per intellectum , et voluntatem divinam , quae proprie jus legale est obligans ad sui observantiam.

56

Quaeritur 5. quae sit materia legis naturalis, seu quae sint ejus praecepta? Aliqui apud Suar. *l.* 2. *de ll. c.* 7. *num.* 2. volunt, sola generalia principia per se nota, quae versantur circa bonitatem, vel malitiam moralem, qualia sunt his Scripturae verbis explicata, *declina a malo, et fac bonum, et quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, esse materiam hujus legis, non vero conclusiones, quae ex his principiis eliciuntur. *Fundantur* 1. quia jus naturale est illud, ad quod ipsa natura immediate inclinat, hujusmodi autem tantum sunt dicta prima principia; nam quae per discursum comparantur, originem potius ab ipso homine habent. 2. jus illud, quod versatur circa prima principia, est prorsus immutabile, tam ex parte sua, quam ex parte hominum; quia ignorari non potest; illud autem, quod versatur circa conclusiones ex his principiis deductas, mutari potest, et ignorari. 3. Quia alias etiam actus virtutum, quos praecipiunt homines, pertinerent ad legem naturae; quia per discursus ex illa eliciuntur. 4. Neque distingueretur jus gentium a jure naturali, sed illius pars esset, vel sub illo contineretur.

57

Sed dicendum jus naturale complecti omnia praecepta, seu principia moralia, quae evidentem habent honestatem necessariam ad rectitudinem morum, ita, ut opposita moralem inordinationem, seu malitiam evidenter contineant. Ita Suar. *l. cit. num.* 4. et communis TT. duce angelico *1.* 2. *q.* 91. *art.* 2. *q.* 94. *art.* 2. *et* 4. *et q.* 95. *art.* 2. *et q.* 100. *art.* 1. 2. *et* 3. Ostenditur 1. inductione; nam praecepta decalogi indubitato sunt de jure naturae, nec tamen omnia continent principia per se nota, sed aliqua indigent discursu, ut clarum est. Similiter de jure naturali secundum doctrinam christianam sunt praecepta, quae prohibent simplicem fornicationem, usuram, vindictam propria authoritate de inimico sumptam; item affirmativa de honorandis parentibus, servando voto, aut promissione, danda eleemosyna ex superfluo etc. et tamen sine discursu, et interdum multa ratiocinatione non concluduntur. 2. omnia illa, quae ex principiis primis supra enumeratis evidenter concluduntur, praecipiuntur, quia honesta sunt, vel prohibentur, quia mala sunt, et non e converso, ergo non pertinent ad legem positivam; nam quae hac lege praecise praecepta, vel prohibita sunt, honestatem, et malitiam suam primum ex lege capiunt, quippe quae alias indifferentia sunt. Aliud autem membrum dividens legis in genere non est, nisi lex naturalis, ut dictum est *n.* 33. igitur ad hanc spectabunt. 3. Prima illa principia ad legem naturalem pertinent, quia per se, et ex vi terminorum habent convenientiam cum natura rationali, ut talis est, atqui hanc connexionem,

licet non immediate, habent etiam conclusiones ex illis principiis evidenter deductae. Igitur hoc ipso, quod illa principia spectent ad legem naturalem, ad eam spectabunt etiam conclusiones ex istis evidenter deductae; nam veritas principii continetur in conclusione, et qui unum praecipit, vel prohibet, necessario praecipit, vel prohibet id, quod continetur in illo, et sine quo illud non potest subsistere.

58

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. ad rem moralem, et obligationem parum interest, quod interveniat, vel non interveniat discursus, si obligatio ipsa, per discursum deducta, cum primis principiis connexionem intrinsecam, et evidentem habeat; nam quidquid ex necessario dictamine rationis naturalis est, consequitur ex necessitate ad naturam, et est ex naturali inclinatione. *Ad* 2. lex naturalis, ut *infra n.* 74. ostendam, numquam proprie mutatur, quamvis quaedam ejus praecepta habere possint materiam magis, vel minus mutabilem, quod non variat rationem formalem legis. *Ad* 3. aliquae virtutes, quas homines praecipiunt, spectato solo jure naturali sunt tantum de consilio, ut est auditio missae die festo, ad quam, jure naturali praecise spectato, nulla est obligatio, sed illarum dumtaxat virtutum actus ad obligationem juris naturalis pertinent, quorum omissio inordinationem, et malitiam hic, et nunc, independenter ab omni alio praecepto habet. *Ad* 4. commodius respondebitur §. 4. ubi declarabitur natura, et obligatio juris gentium; hac enim non cognita, non potest ostendi, quomodo ab isto jus naturale differat.

59

Dub. 1. an ultra principia generalia *declina a malo, et fac bonum*, et *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris etc.* et ultra illa, quae ex principiis his evidenti necessitate deducuntur, se extendat jus naturale? *Rationem dubitandi* facit Gratianus *in Summ. dist.* 1. ubi dicit, *jus naturale esse, quod in lege, et evangelio continetur*: quod si verum est, non solum ea, quae in dictis principiis continentur, vel ex illis per discursum necessarium, et evidentem deducuntur, ad jus naturale pertinebunt, sed praeterea etiam illa, quae vel per Moysen DEUS praecepit, vel Christus jussit in lege nova; nam haec sunt, quae in evangelio, et lege continentur.

60

Sed certa est sententia negativa. Neque obstat textus *cit.* nam eo textu non voluit Gratianus jus naturale definire, aut dicere, quod praecepta omnia, per Moysen, et Christum tradita, sint naturalia, vel juris naturalis: sed tantum docuit, jus istud contineri in lege, et evangelio, quatenus in his illud quasi fuit confirmatum, et explicatum tum per praecepta decalogi, tum per illud principium generale contentum verbis Christi, *omnia, quaecumque vultis, ut vobis faciant homines*,

et vos facite illis etc. Matth. 7. *v.* 12. ad quod principium videtur maxime respexisse Gratianus *l. cit.* Hinc Suar. *l.* 2. *de ll. c.* 7. *n.* 9. dicit, textum Gratiani allegatum sic legendum; *jus naturale est, quo quisque jubetur aliis facere, quod sibi vult fieri; quod in lege, et in evangelio continetur.*

61

Dub. 2. unde colligi possit, quod aliquid sit objectum juris naturalis? Resp. Card. Pallav. *philos. moral. seu de bono l.* 1. *c.* 26. *et seqq.* Haunold. *theol. specul. l.* 2. *tr.* 1. *n.* 350. *et seqq.* Gletle *jurispr. fund. l.* 1. *tit.* 2. *c.* 2. §. 3. *n.* 7. magnif. p. Schmier *de jur. legal. c.* 2. *n.* 51. hanc ponunt regulam; 1. id omne, spectato naturae jure, esse licitum, quod simpliciter expedit esse licitum ad felicem naturae humanae statum, 2. illud esse obligatorium, eodem jure naturali spectato, quod in ordine ad eumdem finem simpliciter expedit esse praeceptum, vel prohibitum 3. illud jure naturae esse graviter, vel leviter prohibitum, quod pro humani generis beata conditione simpliciter expedit esse graviter, vel leviter prohibitum.

62

Porro, quid sit *expedire ad bonum, et felicem statum*, est ex terminis notum; nempe expedire ad aliquem finem est, plus boni afferre, quam mali ad illum finem, ergo expedire licere est ipsam licentiam plus boni afferre, quam mali. Haunold. *l. c. n.* 351. Addidi, *Quod expedit licere*, et non dixi, *quod expedit fieri*; nam saepe contingit, quod hic, et nunc aliqua actio plus boni afferret ad finem reipublicae quam mali, adeoque expediret illam fieri secundum se: sed tamen non expediat eam licere; quia scilicet ex ipsa licentia plus mali, quam boni sequeretur, aut timendum esset in ordine ad felicem statum reipublicae humanae. Pro exemplo Haunold. *loc. cit.* ponit mendacium; posset enim contingere, ut levi mendacio adverteretur hostis iniquus, et integrum regnum conservaretur, et sic per consequens hic et nunc mendacium plus boni afferret, quam mali: et tamen, hoc non obstante, non licet etiam in tali casu mentiri, quia ipsa licentia mentiendi in casu, quo plus emolumenti speraretur ex mendacio, quam damni, esset ansa tanti abusus, ut omnis societas, et humanum commercium summe laederetur, si non omnino dissolveretur.

63

Similiter adjunxi, *quod simpliciter expedit licitum esse, aut vetitum*; non enim sufficit ad inducendam prohibitionem ex ipso jure naturae, si tantum utile, et perquam commodum esset tranquillo, et felici statui reipublicae humanae, tale objectum esse prohibitum: sed hoc rectius ad objectum juris positivi, quam naturalis reducitur, ut cum p. Joannae Baptista Erhart *quaest. theol. de peccat. th.* 27. notat magnif. p. Schmier *l. c. n.* 53. ubi rationem dat, quia sunt

plurima legis positivae capita, quae si prohibita fuissent pro omni tempore, prohibitio haec bono publico fuisset valde utilis, et proficua, tamen libera legislatoris voluntate aliquamdiu fuerunt licita, et post tempus primum prohibita. Exemplum est matrimonium clandestinum, quod usque ad *trident. concil.* valuit, licet ob infinita incommoda, quae secum trahit tale matrimonium, utile fuisset bono publico illud fuisse invalidum.

64

Porro ad cognoscendum, quid simpliciter ad felicem naturae humanae statum expediat esse licitum, praeceptum, aut prohibitum Haunold. *n.* 35o. *cit.* et p. Schmier *l. cit. n.* 55. considerandum dicunt, quid singuli homines, in statu impossibilitatis positi, et adhuc incerti de sua existentia, deque suis casibus fortuitis, censuissent conducere ad tranquillitatem, et bonum statum reipublicae humanae, si de hoc ab authore naturae interrogati jussi fuissent suffragium ferre; nam id simpliciter expedire, ut licitum, praeceptum, vel prohibitum sit, censendum est, quod ita interrogati censuissent sic expedire. *Ratio est*, quia suffragium hoc non aliunde processisset, quam ex ipso naturae lumine, quod cum inditum sit ab ipso authore naturae, hoc ipso deprehendemus judicium ipsius authoris naturae, cujus *lumen signatum est super nos.* ps. 4.

65

Dub. 3. quaenam sint praecepta juris naturalis in particulari? Resp. Triplicis maxime generis sunt; nam 1. aliqua concernunt DEUM, et jubent eundem tanquam conditorem, conservatorem, largitorem, ac remuneratorem nostrum colere, ejus supremum numen adorare, reverenter invocare illius nomen, illi servire, illum laudare, et pro collatis beneficiis gratias exhibere: 2. alia ad nos ipsos pertinent, et praecipiunt honeste vivere, vitando mendacium, abstinendo ab ebrietate, illicito concubitu, et quavis alia turpitudine etc. 3. alia proximum spectant, et mandant parentes honorare, magistratus revereri, benefactoribus referre antidota, neminem laedere damno aliquo in anima, corpore, fama, rebus suis eum afficiendo. Eo etiam spectat fidelitas in promissionibus, et contractibus; quamvis enim contractibus quibusdam a jure gentium, et aliis a jure civili forma certa statuta sit, obligatio tamen fidei in iis datae juris naturalis est, cum natura ipsa dictet, tribuendum esse cuique suum. Quorum omnium ratio est, quia haec omnia ex duobus illis primis principiis *n.* 56. *pr.* allegatis per evidentem, et necessariam consequentiam deducuntur: cons. secundum dicta *n.* 57. etiam ipsa sunt juris naturalis.

66

Porro ex his praeceptis aliqua sunt *affirmativa*, quae nempe aliqua praecipiunt, quale est de colendo DEO, et honorandis parenti-

bus etc. alia *negativa*, quae aliquid prohibent tanquam malum, ut *non occides, non furtum facies etc: negativa* obligant *semper, et pro semper*, et implentur per solam actus prohibiti omissionem, *affirmativa* obligant quidem *semper*, sed non *pro semper*; quia solum obligant pro iis circumstantiis, in quibus omissio actus praecepti est mala: nec implentur, nisi per actionem positivam, et quidem ordinarie distinctam a voluntate implendi.

67

Quaeritur 6. an dentur actus naturalis jure irritati? *Ratio dubitandi* est 1. quia naturalis ratio solummodo manifestat actuum inhonestatem, et turpitudinem; nihil autem facit actibus inhonestis decernendo poenam, aut vim iisdem adimendo; 2. non apparet ratio alios prae aliis irritandi: neque ulla habetur nota, aut regula irritatos a simpliciter prohibitis discernendi 3. idipsum patere videtur exemplis; nam quamvis jus naturale prohibeat, non tamen irritat venditionem factam pretio justo majori, conjugium initum post sponsalia cum alia celebrata, vel post votum continentiae, aut religionis editum etc.

68

Sed adhuc dicendum, jus naturale non solum prohibere actus inhonestos, sed aliquos ex iis etiam irritare. Ita passim supponunt dd. dum quaerunt de variis actibus, an jure solum positivo, an vero etiam naturali sint irriti, et testatur Suar. *l.* 2. *de ll. c.* 12. *n.* 3. id esse omnino exploratum. Constat hoc etiam exemplis matrimonii initi inter consanguineos primi gradus lineae rectae, contractus usurarii quoad usurae ex eo exigendae jus, et obligationem, pactionum de re turpi, et inhonesta initarum etc. qui actus illo jure non solum vetantur, sed etiam irritantur.

69

Neque urgent, quae in contrarium allata sunt *ad* 1. licet jus naturale taxationem poenae relinquat providentiae, et justitiae divinae, hujusque ministris, et magistratibus subordinatis, ex allatis tamen *n. praec.* exemplis constat, per idem jus non tantum manifestari actuum ibi recensitorum inhonestatem, sed etiam nullitatem, et obligationem ad poenam: *ad* 2. regulam discernendi actum jure naturali irritum ab eo, qui eo jure est solum prohibitus, dabit, resolutio dubitationis *n. seq.* ponendae, ubi nullitas talium actuum refundetur vel in defectum alicujus requisiti substantialis, vel in malitiam ipsis intrinsecam perpetuam, seu turpitudinem illorum semper durantem. Ex quo patet responsio *ad* 3. quia in assignatis ibi exemplis nullum deest substantiale requisitum ad valorem contractus, cum venditor ante traditionem adhuc habeat dominium rei venditae, et sponsus jus in corpus suum per sponsalia nondum transtulerit. Sed neque isti contractus malitiam, seu turpitudinem perpetuam habent; quia in venditione rei pro pretio

justo majori cessat turpitudo, si excessus sit restitutus emptori; in matrimonio autem contra votum contracto manet quidem illicita debiti petitio, non tamen ejus rédditio.

70

Dubitatur ergo, quae sit regula discernendi actum jure naturali irritum ab eo, qui eo jure est solum prohibitus? Resp. Duplicem regulam tradunt Suar. *c.* 12. *cit. num.* 4. *et* 5. p. Vviestner *proem. num.* 24. *et* 25. magnif. p. Schmier *tr. de jur. legal. c.* 2. *n.* 101. *et seqq. Prima* est, irritos esse jure naturali omnes illos actus, qui deficiunt in valoris principio substantiali, vel hoc omnino tollunt: et sic 1. jure naturali est irrita donatio, aut venditio rei jam ante donatae, aut venditae, simulque traditae, quia in hac donatione, et venditione deficit principium substantiale, scilicet potestas disponendi, et dominium, quod per primam donationem, et venditionem, secuta traditione, jam translatum est in primum donatarium, et emptorem *l. traditionibus* 20. *C. de pact.* 2. Irritus jure naturali est contractus extortus vi absoluta, aut dolo versante circa substantiam rei; quia talis vis, et dolus consensum, jure naturali ad substantiam contractus validi requisitum, tollit *l. nihil.* 115. *ff. de r. j.* 3. eodem jure naturali irritum est matrimonium contractum cum impotentia perpetua ad copulam conjugalem; quia haec impotentia tollit capacitatem subjecti, quae ad matrimonii valorem jure naturali requiritur, utpote quod dari duntaxat potest inter corpora habilia.

71

Altera regula est, illos actus jure naturali esse irritos, qui eo jure illiciti sunt propter malitiam intrinsecam perpetuam, sive turpitudinem semper durantem. *Rationem* dat Suar. *l. cit. n.* 5. quia quando valor actus est contra jus naturae, a nemine fieri potest, cum jus superioris resistat, in casu autem praesentis regulae valor ipse est contra jus naturae; quia turpitudo ejus habet causam perpetuam, et semper duraturam, igitur non potest valor talis actus subsistere; cons. irritus erit actus. Et ex hoc capite jure naturali irritum est matrimonium, inter consanguineos primi gradus lineae rectae initum; quia turpitudo, ob quam jure naturali illicitum illud est, non tantum in contractu, sed etiam in usu talis matrimonii datur, et numquam cessat. Item jure naturali est irritus contractus usurarius quoad usuras: quia turpitudo illius sicut in conventione, ita etiam in usurarum exactione, et solutarum retentione semper reperitur, cum semper maneat nullitas tituli, et inaequalitas inter datum, et acceptum.

72

Ex quo sequitur, si prohibeatur jure naturae aliquis actus, sed ita, ut nec sit illicitus ob turpitudinem intrinsecam perpetuam, nec deficiat in valoris principio substantiali, talem actum eodem jure

naturali non esse irritum. Suar. *l. cit. n.* 6. P. Schmier *n.* 105. Ratio est, quia supposita potestate agentis, capacitate materiae, desitione turpitudinis, et indecentiae, concurrunt omnia requisita ad substantiam actus, quamvis ille sit aliunde prohibitus, ergo talis actus illicitus quidem erit, non tamen invalidus. *Ex quo confirmatur*, quod *n.* 69. dixi de matrimonio contracto post votum castitatis simplex; nam votum hoc non aufert, sed tantum ligat potestatem in corpus proprium, potestque in matrimonio post votum contracto esse honestus ipsius usus reddendo debitum. Item venditio secunda post primam sine traditione factam, si res vendita secundo emptori tradatur, valet: quia penes venditorem tali casu remansit dominium, adeoque etiam potestas iterum vendendi, et transferendi: atque insuper traditione facta secundus emptor in re empta, et ita tradita justum titulum habet.

73

Quaeritur 7. an et quomodo jus naturale sit, et dicatur immutabile? Quod mutabilitatem aliquam recipiat hoc jus, videtur colligi 1. ex doct. Angel. qui 1. 2. *q.* 94. *art.* 5. agnoscit aliquam mutationem in praeceptis legis naturalis particularibus, licet eamdem neget in generalibus: et consentit philosophus 5. *Eth. c.* 7. ubi asserit, justum naturale aliquando mutationi esse obnoxium. 2. jure naturali sunt omnia communia omnibus juxta *can. dilectissimis* 2. *caus.* 12. *q.* 1. ubi Clemens Papa sic loquitur: *Communis usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit*, et tamen post lapsum generis humani illud est revocatum, atque introducta bonorom divisio. 3. Bella, captivitates, et servitutes jure gentium sunt introductae, atqui hae sunt contra jus naturale, ut aperte testatur imperator §. *sed jus.* 2. *vers. jus autem gentium inst. de J. N. G. et C.* ibi: *Bella etenim* (intellige, jure gentium) *orta sunt, et captivitates secutae, et servitutes, quae sunt naturali juri contrariae:* quia scilicet hoc jure omnes nascuntur liberi. 4. Jure naturae jubemur reddere depositum ab alio acceptum, et tamen si hujusmodi redditione respub. incurret damnum aliquod, depositum non est reddendum. 5. praeceptum de matrimonio non contrahendo cum matre, aut filia est naturale, et tamen casu, quo ad conservationem humani generis hoc necessarium foret, obligare praeceptum hoc desinit. 6. jure naturali permittuntur multa, v. g. variorum ciborum comestio, quae tamen jure positivo prohibente, permissa esse desierunt; et e contrario naturali jure praecepta est observatio votorum, ac juramentorum, quorum obligatio tamen dispensatione apostolica relaxatur.

74

Sed his non obstantibus, dicendum, jus naturale formaliter, et proprie loquendo, nulla authoritate, etiam divina, mutari posse: quod procedit non tantum quoad prima, et universalissima ejus principia,

quod *bonum faciendum, a malo declinandum, proximus non laedendus sit etc.* Sed etiam quoad particularia, et ex primis illis per evidentem discursum deducta, scilicet *non blasphemandum, non pejerandum, non mentiendum esse.* Ita cum S. Thom. 1. 2. *q.* 94. *art.* 4. *et q.* 100. *art.* 8. magno consensu TT. et JCti atque inter hos nominatim Suar. *l.* 2. *de LL. c.* 13. *num.* 2. Molin. *de J. et J. tr.* 5. *D.* 49. *et* 57. Grot. *de jur. bell. et pac. l.* 1. *cap.* 1. *num.* 10. *circ. fin.* Struv. *ad ff. exerc.* 1. *th.* 49. Vallens. *proem.* §. 3. *n.* 3. D. Gletle *jurispr. fundam. l.* 1. *tit.* 2. *c.* 2. §. 10. clariss. D. D. Franz. *ad tit. just. de J. N. G. et C. p.* 1. *num.* 22. Pirh. *proem. n.* 11. Vviestner *ibid. n.* 36. Reiffenstuel *n.* 19. magnif. P. Schmier *tr. de jur. legal. c.* 2. *n.* 111. et agnovit imperator §. *sed naturalia* 11. *inst. de J. N. G. et C.* ibi: *Sed naturalia quidem jura, quae apud omnes gentes peraeque observantur, divina quadam providentia constituta, semper firma atque immutabilia permanent.* Et subscripsit Aristoteles 5. *Eth. c.* 7. dum ad Nichomachum scribens, *Quidquid*, ait, *est ex natura, sive naturale, immobile, seu immutabile est, et nullibi non eamdem vim obtinet, quemadmodum ignis et hic, et apud Persas pariter urit.*

75

Probat assertionem istam Suar. *l. cit.* triplici argumento. 1. quia hoc jus naturale vel consideratur in DEO, vel in homine. Prout est in homine, mutari non potest; quia est intrinseca proprietas fluens ex ipsa natura rationali, qua talis est: ergo, manente natura rationali, auferri non potest. Si vero consideretur haec lex, ut est in DEO, non dependet ab ipsius arbitrio, quia versatur circa ea, quae habent honestatem, vel turpitudinem intrinsecam, et essentialem, igitur quam parum essentias rerum, tam parum jus naturale, manente natura rationali cum usu rationis et libertatis, DEUS mutare potest. 2. Quaelibet lex, si deficit, vel deficit ex revocatione legislatoris, vel ex defectu finis, quia incipit esse injusta, et irrationabilis; vel ob lapsum temporis, quia pro certo tempore statuta est: atqui lex naturalis non potest deficere per revocationem legislatoris, quia ab arbitrio istius non pendet, ut dictum est: neque ex defectu finis; quia cum versetur circa objecta, quae intrinsecam, et essentialem honestatem, vel inhonestatem habent, quamdiu hanc retinent objecta ista, injusta, et irrationabilis non potest fieri lex illa praecipiens, ista prohibens: non denique lapsu temporis, quia cum leges istae sint necessariae, et aeternae veritatis, non possunt esse latae pro certo tempore. 3. Praecepta naturalia vel sunt affirmativa, vel negativa, neutrum genus horum praeceptorum potest per se cessare, vel desinere obligare. Non negativa; quia ista versantur circa rem intrinsece malam, igitur sicut res intrinsece mala non potest desinere esse mala, ita nec potest desinere lex negativa haec prohibens. Sed

neque etiam praecepta affirmativa possunt desinere ; quia ista obligant ad actum honestum , quando omissio illius per se , et intrinsece mala est , ergo sicut illa omissio non potest non esse mala , ita nec obligatio affirmativi praecepti ad actum omissionis illi contrarium potest per se desinere aut mutari : cons. semper obligat pro suo tempore.

76

Dixi autem , *formaliter*, *et proprie loquendo* jus naturale mutari non posse , nam materialiter , improprie , et indirecte mutari potest , si scilicet materia , et objectum , circa quod versatur jus naturale , per certas circumstantias recipiat mutationem. Patet in voto , cujus obligatio est juris naturalis , et cessat , quando materia voti cessat esse possibilis , aut de meliori bono ; nam non mutatur ipsum jus naturale , quippe quod in talibus circumstantiis nunquam obligavit ad observationem voti : sed per adventum talis circumstantiae objectum , seu materia illius extrahitur e numero eorum , quae comprehendit obligatio naturalis , sicque fit , ut sine ulla ipsius legis naturae vera mutatione , lumine rationis dictante , et interpretante , id , quod alias regulariter, non considerata illa circumstantia , injustum est , ut in casu posito omissio rei , vel actionis per votum promissae , justum fiat. S. Thom. 2. 2. *q.* 57. *art.* 2. Sot. *de just. l.* 1. *q.* 5. Molin. *de J. et J. tr.* 1. *D.* 4. Petr. Peck. *de R. J. in* 6. *num.* 18. Struv. *ad ff. exerc.* 1. *th.* 59. Plettemberg *Introd. jur. can. c.* 3. *n.* 1. *circ. fin.*

77

Porro sic materialiter jus naturale mutari potest , quandocunque materia illius pendet ex certa conditione , quae mutabilis est , atque auferri potest : quod tunc praecipue fit , quando materia juris naturalis dependet a dominio , et potestate DEI , vel hominis. *A supremo DEI dominio* pendet vita , et res hominum. Et hinc 1. licite Abrahamus immolasset Isaacum filium suum , licet alias occisio innocentis sit contra jus naturale ; quia haec tamdiu solum est mala , et juri naturali dissona , quamdiu pugnat contra jus , et dominium DEI , quod occisione hujusmodi laeditur , cum ipse solus sit dominus vitae , et mortis , non sic amplius pugnat , quando ipse DEUS jubet , vel permittit innocentem occidi , ergo etc. 2. jure naturali illicita est polygamia , et tamen antiqui patres licite duxerunt plures uxores : nam polygamia eatenus solum jure naturali illicita est , quia DEUS , in cujus dominio sunt corpora humana , solum concessit facultatem homini , ut unus cum una sola contrahat matrimonium , sicque sibi mutuo concedant usum corporis ad generationem prolis , ergo si DEUS alicui concedat facultatem dandi usum corporis sui pluribus , sicut tunc talis datio non amplius repugnat DEI dominio , ita illa haud amplius erit contra jus naturale. 3. auferre rem suam alteri est jure naturali prohibitum , et tamen Israelitae licite spoliarunt Ægyptum : *Exod.* 12. quia jus naturale ablatio-

nem hujusmodi prohibens, non obligat in illa circumstantia, quando dominus rei ablatae non est, aut non potest esse rationabiliter invitus. Ita invitus esse non potest, quando DEUS, qui est primus, et supremus bonorum temporalium dominus, dat facultatem auferrendi, et spoliandi, sicut *l. cit.* dedit Israelitis, ergo etc.

78

A dominio, et potestate hominis pendent conventiones, pacta, contractus, et etiam res fortunae etc: quamvis enim conventionum obligatio sit juris naturalis, et istud prohibeat retinere rem alienam, possunt tamen homines ob hoc suum dominium mutare materiam juris naturalis, aut remittendo obligationem, quae vi istius juris ex conventione exsurgit, vel faciendo, ut illa numquam incaeperit in aliqua conventione, vel contractu. Exempla sunt contractus a minore celebratus sine authoritate tutoris, vel curatoris, cui obligationem jus positivum humanum sustulit; matrimonium clandestinum, quod a Trid. declaratum est esse invalidum; dominium rei alienae acquisitum usucapione, vel praescriptione, quam lex praevalere adversus jus domini prioris voluit etc. Imo etiam privati homines possunt remittere debitum, injuriam etc. atque ita auferre obligationem naturalem, nempe tollendo materiam, dum cedunt juri suo.

79

Quare ut cognoscatur, utrum jus naturale in aliqua particulari materia sit penitus immutabile, vel an contra mutationem aliquam saltem materialem, et improprie dictam recipiat, videndum est, an materia illius juris pendeat ex aliqua conditione, quae auferri potest, an vero non pendeat ex tali conditione. Nam si ex tali conditione pendet, illa ablata, vel mutata, materialiter etiam mutatur jus naturale; si vero non pendeat ex hujusmodi conditione, manebit jus naturale circa materiam illam penitus invariabile, et immutabile. In secundo hoc genere est jus naturale prohibens idololatriam, blasphemiam, perjurium, odium DEI, mendacium etc. nam materia horum actuum numquam potest ullis circumstantiis, et conditionibus ita vestiri, ut fiat objective bona, vel saltem non mala: cons. jus naturale istos actus, utpote essentialiter, et semper malos, prohibens mutari, aut abrogari nulla ex parte, et ne materialiter quidem potest. Videatur magnif. P. Schmier *de jure legal. c. 2. a n.* 107.

80

Ex his facile solvuntur argumenta *n.* 73. in contrarium allegata. *Ad* 1. mutatio, quam S. Thomas, et Aristoteles *l. cit.* agnoverunt, non est circa ipsum jus naturale, quasi hoc in se variaretur, et mutaretur, sed solum circa ejus materiam, sive praecepti objectum, quod per adventum noxae circumstantiae extrahitur ex numero eorum, quae, seclusa tali circumstantia, erant de jure naturali: nam ut hactenus ad-

verti, jus naturale, praecipiens aliquid faciendum, aut fieri prohibens, referri non debet ad objectum absolute consideratum; quia illud non sic praecipit, aut prohibet, sed cum certis, et debitis circumstantiis, pro quibus id praecipit, vel prohibet. Deinde etiam distinguendum est inter jus naturale praecipiens positivum, et inter permittens, seu negativum; nam hoc posterius utique mutari potest, ut bene advertit Lauterbac. *ad ff. tit. de J. et J. n.* 25. atque hinc *Ad* 2. jure naturali omnia sunt communia, non positive, quasi hoc jure fuerit praecepta rerum communio, et divisio prohibita; sed negative solum, quatenus isto jure nulla est facta rerum divisio, neque de tali quidpiam statutum, et hoc ita quidem, ut ipsum jus naturale humano generi concesserit potestatem divisionem hanc inducendi, si successu temporis supervenirent circumstantiae, quae divisionem istam aut exigerent, aut suaderent: et tales circumstantiae post lapsum primorum parentum, et depravatam naturam humani generis reipsa intervenerunt; cum enim mali, et cupidi occuparent ultra ea, quae sibi necessaria erant, etiam inferendo violentiam aliis magis probis, aut minus fortibus, volentibus secum in rebus his participare, et uti illis ad necessitatem, ad communem generis humani tranquillitatem omnino necessarium fuit, sublata communione rerum, induci divisionem. *Ad* 3. Bella, captivitates, servitutes sunt contra jus naturale, et libertas secundum illud jus non positive, quasi jus naturale istam praeceperit, et illa vetuerit: sed partim negative, quia servitutem, captivitatem etc. jus naturale non invexit; partim positive, quia unicuique jus naturale concessit, ut esset liber, et dominus suae libertatis, hoc ipso, quod illum fecerit liberi arbitrii. Porro libertas ista per jus gentium tollitur, absque mutatione juris naturalis, ob novam circumstantiam; cum enim post hominis peccatum ob quorumdam violentiam necessaria fuerit potestas contra istam se defendendi, licitum factum est bellum, et permissa aggressoris occisio, cons. etiam bello justo capti captivitas, et in servitutem redactio, in quam, si ita luberet victori, jure gentium commutari potest occisio *l. hostes* 24. *ff. de captiv. et post l. revers. Ad* 4. Etsi jure naturali reddendum sit depositum, numquam tamen juris naturalis fuit, ut ensis depositus redderetur furioso, aut non furioso quidem, sed abusuro in perniciem reip. vel alterius, *can. ne quis* 14. *caus.* 22. *q.* 2. *Ad* 5. In casu tali cessat conditio, sub qua matrimonium patris cum filia, aut filii cum matre est jure naturali prohibitum; cum enim reverentia, et submissio, quam filii parentibus debent, sit bonum minus, et inferioris ordinis, quam sit propagatio, et conservatio totius humani generis, huic illa cedere debet, cons. circumstantiis ita mutatis, numquam tale matrimonium jure naturali fuit prohibitum. Vide, quae dixi *infra ad lib.* 4. *tit.* 14. *n.* 24. *et seqq. Ad* 6. Esus carnium jure naturali permissus solum est, nisi prohibea-

tur lege positiva. Quoad dispensationem in votis, et juramentis dicendum, quod aliquando humana potestate dispensetur in illis solum improprie, declarando videlicet, quod hic, et nunc non amplius obligent; si autem vere relaxetur illorum obligatio, id fit potestate a DEO accepta, ejusque nomine, et quidem non directe, sed indirecte solum. Videantur, quae dixi *infra lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 56.

81

Simili ratione solvi possunt omnia alia argumenta, quibus probari videtur, jus naturale esse mutabile, nempe, quod illud in se, et ex parte sua semper unum, et idem maneat, dicatur autem solum mutari per denominationem extrinsecam ratione circumstantiarum de novo advenientium, quae in materiam, de qua jus naturale est, variationem quandam inducunt. Et tales circumstantias ex parte objecti, seu materiae potest jus positivum, sive gentium, sive civile, sive canonicum addere, vel detrahere, nulla prorsus mutatione facta in jure naturali, prout patet ex pluribus exemplis hactenus allatis, item ex lege praescriptionis, qua post legitimum possessionis tempus bona fide continuatae adjicitur possessori rei possessae dominium, quae adjectio nequaquam pugnat contra jus naturale; quia praescriptio non facit, ut postquam legitime completa est, retineatur, quod actu alienum est, sed facit, ut qui praescripsit, retineat suum, seu id, cujus dominium per praescriptionem legitime completam legis authoritate est consecutus. Atque hoc modo intelligendus est juris consultus dum *l. jus civile* 6. *ff. de J. et J.* dicit, *jus civile nec in totum a naturali recedere, nec per omnia ei servire*, sed aliquando aliquid ei *detrahere*, aliquando *addere*; quia scilicet circumstantiam aliquam aliquando detrahit, aliquando addit, sicque illud determinat, modificat, vel restringit. Molin. *de J. et J. tr.* 1. *d.* 4. Vallens *proem.* §. 3. *n.* 6. Lauterbach *ad ff. tit. de J. et J. n.* 25.

82

Quaeritur 8. utrum jus naturale admittat interpretationem per epiikiam? *Certum est*, quod admittat epiikiam improprie dictam, seu talem, quae est nuda legis declaratio, et explicatio. Ita Covar. *in* 4. *decret. p.* 2. *c.* 6. §. 9. Suar *l.* 2. *de ll. c.* 16. *n.* 6. magnif. P. Schmier *tr. de jur. legal. c.* 2. *n.* 132. Ratio est, quia multa praecepta naturalia non obligant semper absolute, sed aliqua conditionate solum, et certas limitationes recipiunt, ut est illud de homicidio vitando, quod intelligendum est, nisi suscipiatur ex causa justae defensionis; item de voto, quod solum obligat sub conditione, si maneat servatu possibile etc. igitur ut talia praecepta rite percipiantur, et applicentur, explicatione indigent. *Conf.* quia lex naturalis secundum se spectata non praecipit actum, nisi ut illum bonum esse supponit, nec prohibet, nisi prout supponit intrinsece malum: quod cum juxta ha-

ctenus dicta dependeat a certis conditionibus, et circumstantiis, cum quibus actus ille secundum se bonus, aut malus est, necesse est has investigare, atque decernere: quod ipsum est interpretari legem per epiikiam improprie dictam.

83

Dubium dumtaxat est, utrum lex naturalis recipiat epiikiam proprie dictam, seu talem, qua non tam interpretamur, quam emendamus legem, atque casum lege comprehensum, ex benigna interpretatione, a lege excipimus. Affirmant Cajetan. 2. 2. *q.* 120. *art.* 1. Sot. *l.* 1. *de just. q.* 7. *art.* 3. *ad* 3. *et l.* 10. *q.* 3. *art.* 4. Navar. *cons.* 4. *de despons. impub. n.* 16. *et* 17. et a fortiori omnes, qui veram in jure naturae mutationem admittunt. Et videtur istud probari posse ex paritate cum lege positiva, quae recipit veram epiikiam, quia occurrere possunt circumstantiae, in quibus prudens formari potest praesumptio, quod legislator, iis consideratis, non voluerit obligare, atqui etiam in lege naturali similes circumstantiae emergere possunt. Exemplum est in mutilatione corporis proprii, quae licet alias jure naturali prohibita sit, non censetur tamen cadere sub prohibitionem illam in ea circumstantia, qua supponitur esse necessaria ad proprii corporis conservationem.

84

Sed dicendum: propria epiikia non habet locum in aliquo praecepto naturali, ut naturale est, seu secundum se spectato: idque verum est adeo, ut neque ab homine a DEO ipso fieri ea possit. Ita Suar. *c.* 16. *cit. num.* 7. Gibalin. *Scient. can. lib.* 2. *cap.* 3. *qu.* 3. *num.* 11. magnif. P. Schmier *c.* 2. *cit. num.* 134. Ratio est 1. quia lex naturalis posita est in recta ratione; igitur sicut ista a vero non potest deficere, ita nec potest deficere justum huic legi respondens, quippe quod ita legale est, ut etiam sit naturale, cum oriatur ex intrinseca, ut sic dicam, conformitate, et consonantia extremorum. 2. Jus naturale praecipit, et prohibet, quae decentiam, vel indecentiam habent connatam, et intrinsecam, sed fieri non potest, ut quae ex connata indole sunt decentia, manentibus iisdem circumstantiis, fiant indecentia, et vicissim: si autem mutentur circumstantiae, jam fit mutatio materiae; cons. cum tali casu dicitur lex non amplius obligare, jam non emendatur lex per epiikiam propriam, sed per impropriam ostendendo, quod in hac circumstantia numquam obligarit. 3. Epiikia vera in casu particulari jus naturalem immutat formaliter; atqui ostensum est a *n.* 73. quod lex naturalis mutationem formalem etiam quoad principia particularia non possit recipere, ergo etc.

85

Ad argumentum sententiae oppositae nego paritatem; nam lex positiva fundamentum, et vim habet ex intentione solius legislatoris, qui

si humanus sit, nequit omnes omnino casus in sanctione legis praevidere, et prospicere. Contra jus naturae obligationem suam habet non ex arbitrio solius legislatoris, sed quasi ex necessitate naturae, et exigentia materiae, et supponit actum, quem praecipit, intrinsece bonum, actum vero quem prohibet intrinsece malum ut adeo non possit non obligare, quamdiu manent circumstantiae, in quibus bonus, vel malus est actus, quem praecipit, aut prohibet. *Ad conf.* in exemplo illo non lex, sed materia deficit; nam mutilatio non prohibetur, nisi quatenus est noxia corpori: qualis non est, quae fit, et ordinatur ad vitae, et corporis totius integritatem conservandam.

§. III.

De jure positivo in genere, et in specie de jure positivo divino.

SUMMARIUM

86 *Juris positivi etymologia, et definitio.*
87 *Discrimen inter ipsum, et jus naturale.*
88 *Ejus praecepta.*
89 *Varietas.*
90 *Definitio juris divini veteris.*
91 *Ejus conditor fuit solus DEUS.*
92 *Praecepta illius fuerunt triplicis generis, moralia, ceremonialia, et judicialia.*
93 *Ex his moralia sunt juris naturalis.*
94 *Secundum varietatem praeceptorum dividitur etiam ipsum jus testamenti veteris in morale, ceremoniale, et forense.*
95 *Ex his juribus in lege nova mansit solum jus morale.*
96 *An in veteris testamenti libris aliquae leges et praecepta fuerint mere humana?*
97 *Resolvitur pro negativa sententia.*
98 *Solvuntur fundamenta contraria.*
99 *Definitio, et diversa nomina juris divini novi.*
100 *Quae sunt hujus praecepta?*
101 *An omnia praecepta, quae Apostoli nobis tradiderunt, divina sint?*
102 *Maxime illud de homicida, et bigamo non ordinando?*
103 *Definitur negativa.*
104 *Utrum non Christus dominus in lege gratiae aliquid addiderit quoad praecepta moralia ultra id, quod ista alias habent de jure naturali, et habuerunt in veteri testamento?*
105 *Respondetur, auxisse quidem obligationem istorum intensive, non vero extensive.*
106 *Solvuntur opposita.*
107 *Quaenam leges ceremoniales ex his, quarum usus in ecclesia Christi est, pertineant ad jus positivum divinum?*
108 *Resolvitur ad hoc pertinere illa, quae pertinent ad ritum substantialem Sacrificii, et Sacramentorum.*
109 *Respondetur ad argumentum oppositum.*
110 *Utrum lex nova praecipiat tantum actus externos, vel etiam internos?*
111 *Quot modis praecipiantur actus interni?*

86

Quaeritur 1. quid sit *jus positivum?* Resp. *Jus positivum* (quo aliqui *positum* appellant apud Canonum *l.* 1. *comment. c.* 8.) ita dicitur, quod ultra ea, quae jus naturale praecipit, prohibet, vel permittit, aliquid ponat: estque illud, quod procedit, ac pendet a libera voluntate superioris, scilicet DEI, vel hominis, aliquid praecipientis, prohibentis, vel permittentis. Suar. *l.* 1. *de ll. c.* 3. *n.* 13. Molin. *tr.* 1. *de J. et J. d.* 4. *n.* 2. Valens. *proem.* §. 4. *n.* 1. Pirhing. *ibid. n.* 8. Wiestner *n.* 26. Reiffenstuel *n.* 17. Et hoc est, quod vult philosophus 5. *Eth. c.* 7. definiens jus positivum, *quod ab initio* (nimirum ante legem latam) *hoc, an illo modo fiat, nihil refert; cum autem constitutum fuerit, tunc demum refert;* quia scilicet ejus obligatio non ex natura rei praeceptae, sed ex praecepto, et voluntate praecipientis oritur, et derivatur ad objectum: quo fit, ut mutari possit, etiamsi maneant omnes eaedem circumstantiae, cum quibus antea obligabat. Vallens. *n.* 1. *cit.* et sumitur *arg. c. omnis* 1. *de R. J.*

87

Dub. 1. quod sit discrimen juris positivi a naturali. Resp. Triplex maxime est. 1. Jus naturale id, quod praecipit, honestum esse supponit, et quod prohibet, supponit esse inhonestum: jus positivum autem objectum prohibendo facit malum, praecipiendo facit bonum. Hinc tritum illud in scholis pronuntiatum est, ea, quae jure naturali praecipiuntur, vel prohibentur, ideo praecipi, vel prohiberi, quia in se sunt bona, vel mala; ea vero, quae jure positivo praecipiuntur, vel prohibentur, ideo esse mala, vel bona, quia sunt prohibita, vel praecepta. Molin. *tr.* 1. *de J. et J. d.* 4. *n.* 2. *et* 3. Vallens. *proem.* §. 4. *n.* 2. Pirhing. *ibid. n.* 8. *vers. et hinc.* Plettenberg *introd. jur. can. c.* 3. *n.* 2. Reiffenstuel *proem. n.* 19. 2. Jus positivum multiplex, et varium est pro varietate locorum et temporum; naturale autem, licet pluribus praeceptis etiam ipsum constet, unum, idemque est in omnibus hominibus, ubique, et semper. Plettenb. Reiffenst etc. *l. citt.* 3. Jus positivum ex legislatoris voluntate, manentibus iisdem circumstantiis, mutari, ejusque obligatio omnino tolli potest, ut *n. praec.* dixi; at praecepta, et obligationes juris naturalis ex sua natura immutabilia sunt, ut ostensum est *supra n.* 73. *et seqq.*

88

Dub. 2. quotuplicis generis sint praecepta juris positivi? Resp. Hujus, ut etiam juris naturalis, secundum dicta *n.* 66. praecepta sunt duplicis generis; nam quaedam sunt *negativa*, quae aliquid prohibent; alia vero sunt *affirmativa*, quae aliquid mandant. *Illa* semper, et pro semper obligant, et impleri possunt per solam omissionem actus prohibiti; *ista*, etsi obligent semper, non tamen pro semper, sed pro iis tantum circumstantiis, et occasionibus, in quibus actus praecepti

omissio mala est : et implentur fere per actum positivum distinctum a voluntate implendi. Et hinc fluit illa divisio juris positivi in affirmativum , et negativum. *Affirmativum* est , quod pro objecto habet positionem actus; seu quo aliquid agendum praecipitur. *Negativum* , quod pro objecto habet omissionem actus ; seu quo aliquid agendum prohibetur. Prius alio nomine dicitur *praeceptivum* , posterius *prohibitivum :* quibus addi tertia species potest , nempe *jus positivum permissivum,* quod nec praecipit , nec prohibet, sed permittit dumtaxat aliquid fieri , vel omitti.

89

Dub. 3. quotuplex sit jus positivum? Resp. Aliud est jus positivum divinum , aliud jus positivum humanum. *Divinum* est , ut inquit S. Thom. 2. 2. *q.* 57. *art.* 3. ad 3. quod divinitus promulgatur , h. e. quod DEUS, vel Christus statuit, et per se, vel per ministros , puta Angelos , Moysen , et Apostolos promulgavit. *Humanum* est , quod humano arbitrio conditum est. Istud *n.* 33. divisimus in jus gentium , civile et canonicum : de quo sermo per sequentes §§. Illud subdividitur in jus divinum vetus , et novum : de quibus hic

90

Quaeritur 2. quid sit *jus divinum vetus?* Resp. *Jus divinum vetus* est , quod DEUS in veteri testamento ipse condidit , et per Angelos , Moysen , et Prophetas tradidit populo israelitico , ut ad finem aeternae beatitudinis , per fidem in Christum venturum obtinendae , disponeretur. Ita quoad rem Gonzal. *apparat. jur. canon. num.* 23. P. Wiestner *proem. n.* 40. magnif. P. Schmier *de jur. legal. c.* 3. *n.* 2. Dixi 1. *in veteri testamento.* Venit autem hic testamenti nomine divina promissio et pactum cum hominibus initum : et hinc *vetus testamentum* nihil aliud erit , quam promissio divina , populo israelitico de conferendis bonis temporalibus , et aeternis , et de nasciturο Christo ex ipsorum sanguine , facta sub conditione servandarum legum , per Moysen promulgatarum. Dixi 2. *per Angelos, Moysen , et Prophetas :* nam per Angelos DEUS legem Moysi tradidit , Moyses autem , et Prophetae , tanquam praecones illius , eandem promulgarunt. Dixi 3. *populo israelitico ;* nam huic uni , et soli , exclusis gentibus , lex vetus est posita , ut patet ex illo *Deut.* 4. ibi *quae est alia gens tam inclyta , ut habeat ceremonias , justaque judicia , et universam legem?* Hinc ceterae nationes ad legem istam non obligabantur , nisi postquam quis ex illis ad religionem judaicam transiit. Dixi 4. *ad finem aeternae beatitudinis ;* per legem enim ita acceptam instruebatur populus tum in iis , quae ad naturalem morum honestatem spectant , tum vero maxime in illis , quae pertinebant ad cultum divinum , ut hoc modo supernaturalem beatitudinem sibi compararet. Dixi 5. *per fidem in Christum venturum obtinendae ;* nam ut Apostolus *rom.* 10. ait,

finis legis Christus ad justitiam omni credenti: et *Galat.* 3. *lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur.*

91

Dub. 1. quis fuerit conditor, et author legis veteris? Alphonsus Salmeron. *d.* 61. *et* 62. *in acta* contendit legum ceremonialium, et judicialium verum conditorem fuisse Moysen: quod videtur colligi ex illo *Joan.* 1. *v.* 17. ubi praecursor inquit: *lex per Moysen data est,* et *Matth.* 19. ubi Christus: *ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses libellum repudii.*

Sed inhaerendum doctrinae *n. praec.* jam insinuatae, et dicendum, solum DEUM fuisse conditorem legis mosaicae. Patet clare ex diversis scripturae textibus, praesertim *Exod.* 20. ibi: *locutusque est Dominus cunctos sermones hos; ego sum dominus DEUS tuus etc.* item *Deut.* 1. ibi *locutus est Moyses ad filios Israel omnia, quae praeceperat ei Dominus, ut diceret eis.* Et denique *Malach.* 4. ibi: *mementote legis Moysis servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel.* Moyses igitur fuit tantummodo promulgator istius legis a DEO per Angelos acceptae: quod indicat Apostolus *Galat.* 3. ubi ait, legem antiquam *ordinatam esse per Angelos in manu mediatoris,* nempe Moysis.

Neque obstant textus in contrarium allegati. *Ad* 1. cum Clemente Alexandrino non obiter ponderandum est, quod Joannes *l. cit.* studiose dixerit, legem per Moysen *datam,* non *factam* esse, i. e. non inventam, sed communicatam. *Ad* 2. libellus repudii permissus fuit vel dispensative, vel tolerative; si prius, opus fuit authoritate divina, sine qua vinculum matrimonii dissolvi nequit, si posterius, ad evitanda majora mala minus malum permitti, ac tolerari potest absque ulla authoritate legislativa, quippe quod etiam privatus potest.

92

Dub. 2. quotuplicis generis praecepta contineantur in lege veteri? Resp. triplicis generis, nempe moralia, ceremonialia, et judicialia: quod innuitur *Deut.* 6. *v.* 1. ibi *haec sint praecepta, ceremoniae, atque judicia. Moralia* praecepta sunt, quae directionem morum, et istorum secundum rectae rationis dictamen conformationem, et reformationem spectant, ut sunt praecepta decalogi *Exod.* 20. *a n.* 3. relata. *Ceremonialia,* quae determinant tempus, ritus, et ceremonias, sive modos debitum DEO cultum exhibendi, cujusmodi sunt, quae praecipue in *levitico* de sacerdotibus, et levitis, de festivitatibus sabbati, paschae, azymorum etc. de sacrificiis, et multiplici genere sacrificiorum, et hostiarum enarrantur. *Judicialia* denique, quae ad politicum regimen reipublicae et justitiae administrationem spectant, et consignata sunt in libro Exodi *c.* 21. *et seqq.*

93

Ex his moralia sunt juris naturalis, ac proinde immutabilia, et indispensabilia: quod proinde jus naturale per jus positivum divinum fuit repetitum, et explicatum, idque ratione optima. Cum enim rationis lumen per peccatum etiam circa moralia, et naturalia praecepta valde fuerit obfuscatum, et inde factum, ut de humanarum actionum bonitate, atque malitia sinistrum saepe judicium tulerit, necesse erat per praecepta positiva, et per authoritatem legis divinae imbecillitati intellectus humani subveniri ad agnitionem illorum, sicut per doctrinam, et revelationem fidei subvenitur homini non tantum in iis, quae rationem superant, sed etiam in his, quae de DEO naturaliter cognosci possunt, ut ex *s. Thoma* recte advertit Suar. *l.* 9. *de ll. c.* 4. *n.* 19. Cetera juris divini veteris praecepta, nempe ceremonialia, et judicialia, sunt determinationes praeceptorum moralium, et duntaxat vim habebant ex institutione, et voluntate divina; ac proinde ad jus divinum positivum tantummodo spectabant. Vallens. *proem.* §. 4. *n.* 5.

94

Dub. 3. quotuplicis generis sit jus divinum positivum veteris testamenti? Resp. Sicut praecepta, ita et ipsum jus continens ea praecepta dividitur in morale, ceremoniale, et judiciale. *Morale* est jus divinum scriptum, praecipiens, quae sua natura honesta, prohibens vero, quae turpia sunt. *Ceremoniale*, seu *rituale* est jus divinum scriptum de ceremoniis circa cultum divinum, vel propter typicam significationem, vel propter ordinem ecclesiasticum populo israelitico observandis latum. *Forense*, seu *judiciale* est jus divinum scriptum de causis, seu negotiis civilibus, et politicis latum, Lauterbach *ad ff. de J. et J. n.* 28. *et seqq.*

95

Ex his juribus in lege nova remansit solum morale, non quatenus veteris testamenti, sed quatenus jus naturale: adeoque hodie dum ad integram obedientiam omnes obligat. Cetera, opere redemptionis nostrae per mortem Christi consummato, etiam ipsa mortua sunt, et abnegata, exceptis iis, quae a legislatore ecclesiastico denuo sunt resuscitata: quo casu tamen christianos obligant non amplius, ut lex divina, sed ut humana tantum, utpote a sola voluntate humana potestatem obligandi habentia. Canis. *l.* 1. *tit.* 2. *in notat.* Vallens. *proem.* §. 4. *n.* 6. Pirh. *ib. n.* 17. magnif. P. Schmier *de jur. legal. c.* 3. *num.* 16.

96

Dub. 4. an in veteris testamenti libris aliquae leges et praecepta fuerint mere humana? Affirmativa videtur colligi. 1. quia lex antiqua persaepe in SS. litteris appellatur *lex Moysis*, ut videre est *Malach.* 4. *v.* 4. ibi *mementote legis Moysi servi mei;* item *Luc.* 2. *v.* 22. ibi,

secundum legem Moysi. 2. quia Moyses a s. Clemente romano *l.* 6. *constit. c.* 19. regis, sacerdotis, et *legislatoris* appellationibus honoratur, non aliam utique ob causam, nisi quod ipse leges saltem aliquas tulerit.

97

Sed melius tenetur negativa sententia, quam etiam cum s. Thom. 1. 2. *q.* 98. *art.* 2. defendunt Bellarm. *l.* 1. *de verb. DEI script. c.* 6. Maldonat. *in Matth. c.* 19. *v.* 8. Suar. *l.* 9. *de ll. c.* 2. *n.* 14. et praecipui nominis TT. plerique, juxta quos assertio haec ita certa est, ut existiment esse rem fidei veritati valde propinquam. *Probatur*, quia *Exod.* 20. *et* 21. *et seqq.* ac fere per totum Leviticum praemittuntur illa verba: *locutus est Dominus ad Moysen, haec dices filiis Israel* etc. et *Deut.* 1. *princ.* similiter dicitur: *locutus est Moyses ad filios Israel omnia, quae praeceperat ei Dominus, ut diceret eis:* quod ipse repetit *c.* 5. *init.* et postea eodem contextu, et modo omnes leges profert, ergo nullam possumus legem cum fundamento excipere; alias nihil manebit firmum in reliquis.

98

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. Lex antiqua, *lex mosaica* dicitur, non quod Moyses eam condiderit, sed quod illam promulgarit. *Ad* 2. ob eandem rationem etiam dicitur *legislator.* Et retorquetur argumentum in legem novam, quae *lex gratiae* dicitur, non quasi gratia legem hanc tulerit, sed quia haec finis, et causa fuit ferendae legis novae a Christo.

99

Quaeritur 3. quid sit *jus divinum novum?* Resp. *Jus divinum novum* est, quod Christus dominus, DEUS simul, et homo, in novo testamento condidit, et vel per seipsum, vel per Apostolos promulgavit. Vallens. *proem.* §. 4. *n.* 6. In scriptura sacra variis appellatur nominibus: nam 1. a s. Paulo interdum appellatur *lex fidei*, rom. 3. 2. ab eodem vocatur etiam *lex spiritus vitae.* Rom. 8. et ob hanc rationem communiter dicitur 3. *lex gratiae;* nam gratia est spiritus nostrae vitae, vel etiam vita nostri spiritus. Imo solet interdum *gratia* simpliciter appellari, juxta illud *Joann.* 1. *lex per Moysen data est, gratia, et veritas per JESUM Christum facta est.* 4. Vocatur etiam *lex amoris;* quia spiritus gratiae est spiritus amoris, juxta illud Pauli *rom.* 8. ibi: *non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba, pater*, qui est, *spiritus dilectionis*, ut idem Paulus 2. *Timoth.* 1. Et inde 5. dicitur interdum *lex libertatis.* Jacob. 1. quia *ubi spiritus domini, ibi libertas.* 2. *Corinth.* 3. 6. denique appellatur *lex nova*, vel quia totum hominem per gratiam renovat, ut sumitur ex August. *tr.* 65. *in Joann.* vel quia est ultima lex a DEO data, quae priorem

antiquavit, ut sensit Cyrill. *l.* 9. *in Joann. c.* 23. explicans illa verba Christi *Joan.* 13. *mandatum novum do vobis;* quae licet de mandato amoris specialiter dicta fuerint, merito tamen ad totam legem amoris, quae in praecepto amandi virtute continetur, et ab eodem Christo data est, accommodantur: et propterea etiam lex haec ab authore suo *lex Christi* nuncupatur.

100

Dub. 1. quae sint praecepta juris divini novi? Resp. Hujus juris praecepta sunt de fide, spe, et caritate, de dilectione inimicorum, de ritibus substantialibus sacrificii, et sacramentorum, et quaecumque ex ore Christi excerpta Apostoli tradiderunt. Ex his, ut patet, aliqua *moralia* sunt, nempe illa, quae sunt de dilexione proximi, et inimicorum: item quae sunt de fide, spe, et charitate; nam ut Suar. *l. 10. de LL. c. 2. n. 3.* advertit, etiam haec suo modo inter moralia computantur. Alia vero sunt *Ceremonialia* de ritibus sacrificii, et sacramentis. *Judicialia* in hac lege a Christo lata sunt nulla; quia sicut Christus non assumpsit sibi temporale regnum, nec temporale judicium, prout patet ex verbis ejusdem ad Pilatum: *regnum meum non est de hoc mundo*, Joan. 18. et Luc. 12. et ex dictis ad illum, qui postulaverat: *Dic fratri meo, ut dividat mecum haereditatem*, cui respondit: *homo, quis me constituit judicem inter vos?* ita nec temporale regnum, aut Remp. politicam instituit, sed solum ecclesiam suam, quatenus congregatio est ad spiritualem finem per spiritualia media ordinata: et ideo per se tantum illas leges tulit, quae ad hunc finem directe pertinebant, ad hunc autem per se et directe non pertinent leges judiciales: ergo etc. *Neque obstat*, quod etiam in ecclesia Christi, ut talis est, aliquae leges judiciales sint necessariae ad politicum regimen ecclesiasticum, quod suo modo spirituale est; nam sufficiebat, quod potestatem ferendi leges judiciales pro necessitate politici regiminis ecclesiastici commiserit vicariis suis, quae proin leges non sub lege divina, sed sub canonica computantur. Suar. *l.* 10. *de ll. c.* 2. *n.* 2.

101

Dub. 2. an omnia praecepta, quae Apostoli nobis tradiderunt, divina sint? Resp. negative; quia ea solum quae ex ore Christi excerpta nobis tradiderunt, pro divinis habenda sunt, ut insinuavi *n. praec.* ea vero, quae iidem Apostoli accepta a Christo potestate, tanquam pastores, et rectores ecclesiae, decreta reliquerunt; ut sunt canones Apostolorum, praecepta de observanda die dominica, de jejunio quadragesimali etc. ad jus humanum ecclesiasticum spectant, ut recte adnotarunt Molin. *tr.* 1. *de J. et J. d.* 5. *n.* 1. Vallens. *proem.* §. 4. *n.* 6. Pirhing *ibid. n.* 13.

102

Difficultas est, ad quod genus praecepti divini, an ecclesiastici spectet praeceptum de percussore, seu de homicida, et de bigamo non ordinando? Videtur spectare ad praecepta divina; nam de his ordinandis, et ad episcopatum non assumendis praeceptum in ss. litteris continetur 1. *Timoth.* 3. *v.* 2 *et* 3. ibi *oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, non violentum, non percussorem etc.*

103

Verum hoc non obstat, quia in actis, et epistolis Apostolorum non solum domini, sed quaedam ipsorum etiam Apostolorum praecepta, et consilia continentur, ut patet ex *act.* 15. *v.* 29. ubi praecipitur abstinentia *a sanguine, et suffocato:* item ex illo Pauli: *ceteris ego dico, non Dominus* 1. *corinth.* 7. *v.* 12. *et de virginibus praeceptum Domini non habeo; consilium autem do, ibid. v.* 25. Et tale praeceptum etiam est de bigamo, et homicida non ordinandis: quod ex eo desumitur; quia in nova lege, exceptis, quae ad fidem, et sacramenta pertinent, non continetur ullum praeceptum divinum, quod non etiam sit naturale, ut cum s. Thom. 1. 2. *q.* 108. *art.* 1. instar axiomatis theologici tradunt Covar. *de sponsal. p.* 2. *c.* 6. §. 10. *n.* 2. Suar. *l.* 10. *de ll. c.* 2. *a n.* 4. Vallens. *proem.* §. 4. *n.* 6. Wiestner. *ibid. n.* 46. magnif. p. Schmier *de jur. legal. c.* 3. *n.* 25. Sed de hujus ipsius axiomatis veritate, et intelligentia ulterius.

104

Dub. 3. utrum non Christus Dominus in lege gratiae aliquid addiderit quoad praecepta moralia ultra id, quod ista alias habent de jure naturali, et habuerunt in veteri testamento? videtur respondendum affirmative; nam 1. in lege gratiae datur praeceptum credendi explicite trinitatem, et misteria verbi incarnati etc. quae praecepta nec semper fuerunt, nec ex natura rei necessaria erant. 2. In eadem lege tenemur sperare remissionem peccatorum, et gratiam explicite per Christum: quae obligatio nascitur ex praecepto speciali Christi, nec ante fuerat. Item tenemur sperare ingressum in regnum coelorum statim post mortem, si peccati impedimentum statim sublatum est etc. 3. videtur notabilis facta mutatio tam quoad dilectionem DEI, quam quoad dilectionem proximi; nam quoad primam tenemur explicite diligere DEUM trinum, et unum, cum in lege mosaica, ubi mysterium ss. Trinitatis nondum fuit revelatum ita clare, suffecerit amare DEUM simpliciter: quoad alteram *Joan.* 13. dixit Christus: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem etc.* ubi videtur praecipi specialis modus, quo christiani se invicem debent diligere, prae illo, quo vi legis naturalis tenemur diligere quemvis proximum. 4. In praecepto orandi Christus addidit specialem formam orandi. *Matth.* 6. et in aliis locis videtur praecipere christianis specialem frequentiam orandi, et

modum explicitum petendi per ipsum *Joan.* 14. *et* 16. imo totum praeceptum orandi videtur positivum, et maxime proprium christianorum, licet usus orandi antiquior, et universalior sit.

105

Sed dicendum, quod Christus quidem in materia morali addiderit novum praeceptum positivum, quo praecepta moralia legis naturalis confirmavit, et sic auxit obligationem adeo, ut christiani peccatum contra legem naturalem, ceteris paribus, sit gravius, quam in homine gentili in eadem materia: non tamen obligationem istam, quae jure naturali dabatur, auxerit extensive, ut plura objecta jam nunc contineat, quam quot continentur per se in jure naturali indeterminate. Ita Suar. *l.* 10. *de LL. c.* 2. *n.* 5. *et seqq.* post S. Thom. 1. 2. *q.* 108. *art.* 1. *fin. corp.* et clarius *art.* 2. *fin.* ubi ait: *Lex nova nulla alia opera determinare debuit praecipiendo, vel prohibendo, nisi sacramenta, et moralia praecepta, quae de se pertinent ad rationem virtutis, ut non esse occidendum, vel furandum, et similia.* Et rationem dat; *quia cum haec sit lex gratiae, solum ea praecipere debuit, vel prohibere, per quae in gratiam inducamur, vel quae pertinent ad rectum gratiae usum ex necessitate.* Quod confirmat ex eo, quia in lege veteri non erant alia praecepta moralia praeter ea, quae naturalia sunt: et concludit, multo minus hoc debere fieri in lege nova; *quia quantum ad hoc lex nova supra veterem addere non debuit.* Nam 1. ut idem S. D. *art.* 1. *cit. fin. corp.* dicit, etiam quoad haec legem novam appellari *legem libertatis;* quia lex vetus tam multa in particulari praecipiebat, ut fere nihil liberum determinationi subditorum relinqueret: lex autem nova e converso nihil per legem positivam determinat in materia morali, sed ea solum praecipit, quae habent necessariam convenientiam, vel contrarietatem ad interiorem gratiam, quae in fide per dilectionem operante consistit.

106

Neque doctrinam istam convellunt argumenta opposita. *Ad* 1. circa praeceptum fidei duo sunt distinguenda, scilicet revelatio cum sufficienti propositione credendorum, et obligatio ad credendum ea, quae revelata, et proposita sunt. Primum est ex voluntaria dispositione DEI, et ita dici potest de jure divino positivo, pertinente ad novam ecclesiae institutionem, in qua Christus voluit, tantam esse lucem, et cognitionem DEI, ut credatur etiam mysterium Trinitatis explicite. Alterum, scilicet obligatio credendi explicite mysterium, si hoc sufficienter revelatum, et propositum sit, exinde sequitur, et jam non est mere positiva; sequitur enim ex natura rei, et intrinsece ad propositionem mysterii rite factam. Et sic praeceptum credendi explicite mysterium Trinitatis, quod datur in lege nova, praesuppositive quidem, quatenus supponit revelationem, quae simpliciter non erat necessaria, erit po-

sitivum, formaliter autem, et in se, naturale. *Ad* 2. licet usus spei multo perfectior postuletur in lege nova, quam antea, tum quoad modum sperandi gloriam, tum quoad media supernaturalia ordinata ad eam obtinendam, non tamen propter hoc necessarium erat, ut circa materiam spei in hac lege darentur praecepta specialia positiva, quia tota spei, prout nunc datur, obligatio, supposita fide incarnationis, et institutione sacramentorum, ex rei natura sequitur. *Ad* 3. neque in praecepto charitatis per legem novam inducta est aliqua obligatio, quae non nascitur ex ipsa natura rei; nam obligatio amandi Deum trinum, et unum, nascitur ex agnitione Trinitatis, et Unitatis, obligatio vero speciali amore prosequendi Christianos oritur ex ordine charitatis, ratione cujus obligamur magis amare, ceteris paribus, magis conjunctos: novum vero praeceptum hoc dicitur, non quia positivum, et non naturale est, sed vel quia a Christo fuit renovatum, ut dixit Clem. Roman. *l.* 6. *Const. c.* 23. vel quia novo modo est latum, explicando novam rationem in objecto illius, sumptam ex adventu Christi, et ex speciali dilectione sua erga homines, ut videtur exponere *ibi* Chrysost. *hom.* 71. et Cyrill. *l.* 9. *c.* 23. vel denique ex effectu, quia haec dilectio renovatura erat mundum, ut sensit August. ibi *tr.* 65. *Ad* 4. in praecepto orationis Christus nihil addidit tanquam necessarium, quod de jure naturae non est, ut ostendit Suar *l.* 1. *de Orat. c.* 29. sed tantum explicavit modum, tradendo formulam orandi, cujus usum tamen non praecepit, sed suasit, sicut etiam suasit frequentiorem orandi usum in christianis. Et sic patet, in materia morali quidem Christum tradidisse diversa consilia, non tamen praecepisse aliquid, ad quod non antea obligabat jus naturale secundum qualitatem status fidelium.

107

Dub. 4. quaenam leges ceremoniales ex his, quarum usus in ecclesia Christi est, pertineant ad jus positivum divinum? Resp. in antiqua lege praecepta ceremonialia circa quatuor versabantur; nam complectebantur sacrificia, sacramenta, sacra, et observantias. Ex his de duobus posterioribus Christus nullum dedit praeceptum positivum, sed potestatem instituendi illa, et instituta praecipiendi commisit ecclesiae pro prudenti suo arbitrio: atque hoc spectabat ad libertatem, et perfectionem istius legis. Suar. *l.* 10. *de LL. c.* 2. *n.* 17.

108

De duobus prioribus praecepta divina dantur in lege nova: et videbatur hoc necessarium ad perfectionem istius legis; nam sacrificia, et sacramenta pertinent ad substantiam cultus divini. Sacrificium quidem: quia veluti essentiam cultus divini externi, et publici continet: sacramenta vero; quia ad sanctificationem cultorum DEI ordinantur, non sufficiebat autem, institutionem istorum relinqui homini quoad substantiam illorum; quia quoad istam debebant esse firma, et stabilia

semper in ecclesia, ut per talia signa semper ecclesia Christi ab aliis sectis, vel congregationibus distingueretur; nam ut Aug. *l.* 19. *contra Faust. c.* 11. inquit, *in nullum nomen religionis coagulari homines possunt, nisi aliquorum signorum, vel sacramentorum consortio colligentur*, igitur ad servandam hanc unitatem, eamque conservandam, necesse erat dari praecepta divina, quae substantiam illorum determinarent; accidentalia vero, cum in his unitas non consistat, permitti ecclesiae determinationi poterant. Suar. *n.* 17. *cit.*

109

Neque praecepta ista adversantur aut suavitati, et libertati, aut perfectioni legis novae: suavitati, et libertati ejus non repugnant; quia Christus Dominus, ut notat Aug. *Epist.* 118. *c.* 1. *Levi jugo suo nos subdidit, et sarcinae levi, unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis societatem novi populi colligavit.* Perfectioni non adversantur; quia secum afferunt spiritum gratiae, et charitatis, et ad illum obtinendum ordinantur. Spiritus autem charitatis ut S. D. *libr. de perfect. justit. c.* 5. dixit, *facit praecepti sarcinam non prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum.*

110

Dub. 5. utrum lex nova praecipiat tantum actus externos, vel etiam internos? Resp. a jure divino positivo novo utrosque praecipi. Et quidem, quod praecipiat *actus externos patet*; quia lex nova continet praecepta tum ceremonialia, tum moralia. Ceremonialia omnia de actibus externis sunt; moralia vero confirmant obligationem legis naturalis, igitur illos actus praecipit illa, quos ista; datur autem ista etiam ad actus externos, e. g. eleemosynae, dilectionis per opus externum charitatis exercendae etc. ergo etc. De *internis* patet; quia in iis principaliter consistit rectitudo ad DEUM, eamque maxime Christus intendit: ideoque dixit *Matth.* 5. *nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum, et pharisaeorum*, qui justitia externa contenti erant, *non intrabitis in regnum coelorum.* Suar. *n.* 18.

111

Praecipiuntur autem actus interni per legem divinam positivam novam duobus modis. *Et uno* quidem per se, et directe, ita, ut in ipso actu interno quasi consummetur materia praecepti: et hoc modo praecipiuntur actus virtutum theologicarum, et quarundam moralium, et actus contrarii prohibentur. Altero modo praecipiuntur propter actus externos, qui interdum per se primo praecipiuntur; cum enim actus isti externi, ut per istos satisfiat praecepto, debeant esse morales, et humani, tales autem esse non possunt sine intentione, et attentione ad actum humanum, ac moralem requisita, quae est actus internus, consequenter illos praecipiendo etiam actum internum praecipit. Quod

accomodari etiam debet legi divinae, quatenus aliquos actus externos prohibet; nam simul prohibet actus internos: et sic prohibet etiam internam concupiscentiam, et prava desideria, ut habetur *Matth.* 5.

§. IV.

De jure positivo humano in genere, et in specie de jure gentium.

SUMMARIUM

112 *Juris positivi humani definitio.*
113 *Necessitas.*
114 *Divisio in scriptum, et non scriptum.*
115 *Ratio hujus appellationis.*
116 *Jus gentium pertinet ad jus humanum, idque non scriptum.*
117 *Quid* gentium *nomine hic intelligatur?*
118 *Quid intelligatur nomine* juris gentium?
119 *Hujus divisio in primarium.*
120 *Et secundarium.*
121 *An sustinenda sit haec divisio?*
122 *An detur jus gentium proprie dictum?*
123 *Defenditur affirmativa.*
124 *Respondetur ad opposita.*
125 *An jus gentium ex toto sit positivum?*
126 *Resolvitur pro affirmativa.*
127 *Argumenta contraria dissolvuntur.*
128 *An idem jus sit ex toto humanum?*
129 *Respondetur affirmative, et probatur ex s. Thoma.*
130 *Et ratione.*
131 *Solvuntur objectiones.*
132 *Quid sit jus gentium?*
133 *Quod ejus subjectum?*
134 *Quotuplex sit?*
135 *Objectum juris gentium propriissime dicti.*
136 *Objectum minus proprie accepti.*
137 *Obligat hoc jus in conscientia, quatenus illud praeceptivum, aut prohibitorium est.*
138 *Et stringit ipsos supremos principes.*
139 *Potest mutari.*
140 *Etiam id, quod propriissime tale est.*
141 *Ratio hujus mutabilitatis.*
142 *Tolli tamen moraliter nequit.*
143 *Etiam quoad singularia sua praecepta.*
144 *Differentia hujus juris a jure naturali.*
145 *Et a jure civili.*

112

Quaeritur 1. quid sit jus positivum humanum? Resp. est jus quod homines a DEO accepta potestate condiderunt, ac promulgarunt: sive quod obligandi vim immediate obtinet a libera voluntate hominis, publica authoritate aliquid praecipientis, vel prohibentis. Vall. *Proem.* §. 4. *num.* 7. Pirh. *ib. num.* 13. *vers. jus positivum.* Reiffenst. *n.* 23. Differt a jure naturali, et a positivo divino tum in ratione authoris

sui, tum in ratione unitatis, et perpetuitatis; nam lex naturalis, et positiva divina pro authore suo habent ipsum DEUM; humana vero hominem: illae eaedem sunt apud omnes, non vero istae sed aliae, atque aliae aliis, atque aliis gentibus placent.

113

Quaeritur 2. an necessarium fuerit legibus naturalibus, et divinis superandi jus humanum? Resp. affirmative: et 1. quidem; quia lex divina, et naturalis generales admodum, et indeterminatae sunt, quae proinde per leges humanas determinandae, temperandae, ejusque societati, ac communitati accommodandae sunt ad consensionem, et concordiam inter homines, in rebus humanis, et politicis diversimode saepe opinantes, et sentientes conciliandam. 2. quia hoc exigebat bonum, et quies reip. et civium illius, quae ut sarta tecta maneret adversus improborum violentias, factae sunt leges ut earum metu humana coerceretur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis formidato supplicio refraenetur audacia, et nocendi facultas, sicut loquitur Isidorus relatus *can. factae* 1. *dist.* 4. 3. quia maxime connaturale est homini legibus humanis regi; nam ut Plato *l.* 2. *de ll.* ait, si *homines absque legibus vixerint, nihil a feris atrocissimis discrepabunt:* Et Aristoteles 1. *Polit. c.* 2. *sicut homo, si sit perfectus virtute, est optimum animalium, ita si fiat alienus a lege, et justitia, fit pessimum omnium.*

114

Quaeritur 3. quotuplex sit jus humanum? Resp: est duplex, scriptum, et non scriptum. *Scriptum* jus est, quod publica authoritate ejus, qui legum ferendarum potestatem habet, mandatum, conditum, et litteris expressum est: tale jus faciunt canones apostolici, concordes SS. PP. sententiae, conciliorum decreta, constitutiones principum, statuta aliorum etiam inferiorum legislatorum etc. *Jus non scriptum* est, quod usu, et moribus introductum, et approbatum est: tale jus sunt, consuetudines tam ecclesiasticae, quam saeculares; et in specie usus, et consuetudines feudales. *Neque obstat*, quod usus isti postmodum in scripturam redacti fuerint, prout patet ex duobus libris feudorum. Nam ad jus consuetudinarium sufficit, quod illud primitus sine expresso principis consensu solis utentium moribus fuerit introductum, quidquid sit, an illud postea memoriae causa in scripturam redigatur, necne; hoc enim per accidens est.

115

Ex quo sequitur, quod jus scriptum dicatur non omne, et solum illud, quod scriptis exceptum est; quia ex una parte consuetudines feudales, et aliae quaedam in scriptum relatae sunt, nec tamen per hoc juri scripto accensentur: ex altera vero parte, si princeps quidpiam oretenus in bonum commune statueret, illudque sola praeconis

voce promulgaret communitati adhuc illud ad jus scriptum pertineret: nomen ergo hoc suum jus scriptum accepit, non quia necesse est illud in scripturam redigi; sed quia consuevit ita redigi in scripturam, ut hac ratione melius promulgari, populoque innotescere, ac prae oculis legentium, ad conservandam perpetuam ejus memoriam, jugiter haberi possit. Reiffenst. *Proem. num.* 159.

116

Quaeritur 4. ad quam juris speciem pertineat jus gentium? Resp. Jus gentium, ita dictum, quia consensu omnium, vel plerarumque gentium est introductum, habet cum jure divino positivo, et naturali valde propinquam cognationem; tum quia ad instar memoratorum jurium universalitate sua ad omnes, aut plerasque saltem gentes porrigitur; tum quia non minus privatos, quam principes sibi devotos, et obstrictos tenet: pertinet tamen ad jus positivum humanum, idque non scriptum. Ad *jus humanum* pertinet; quia voluntate, et consensu hominum ad humanarum societatum tranquillitatem vitaeque, ac commerciorum compendia promovenda, et stabilienda est introductum: ad *non scriptum* vero *jus* spectat; quia introductum est consensu non expresso, sed tacito, ad modum juris non scripti, seu cónsuetudinarii.

117

Porro *gentium* appellatione intelliguntur homines, qui in corpora civilia concesserunt. Possunt autem gentes trifariam considerari 1. pro omnibus, quotquot toto orbis ambitu continentur, cognitis aeque, ac incognitis 2. ex harum numero pro illis tantum, quarum cognitio datur 3. denique ex his, quae nobis sunt cognitae, pro iis solum, quae inter reliquas sunt moratiores. Quoad jus gentium non intelliguntur gentes; quarum omnis notitia nobis defuit: neque barbarae illae, quae deposita humanitate, spretoque omnis honestatis, atque decoris studio, ferinum penitus in modum vitam exigunt: sed moratiores, quae naturae lumine culturam adhibent, et illius, quae in vita, moribusque versatur, honestatis studium, atque peritiam profitentur, quales fuerunt olim judaei, inter gentiles romani, et graeci, et nunc prae ceteris europaei. Muller. *ad struv. exerc.* 1. *th.* 54. *lit. b.*

118

Quaeritur 5. quid intelligatur nomine juris gentium? Resp. Hoc nomen a pluribus dd. accipitur latius pro omni illo jure, quod omnibus hominibus proprium est, iisque solis convenit, sive interim illud revera pertineat ad jus naturale, sive ad jus gentium, ut contra distinctum a jure naturali: in quo sensu imperator *l. juri* 1. §. *fin. ff. de J. et J.* dixit, *jus gentium esse, quo gentes humanae utuntur*, quodque *solis hominibus inter se commune est:* et ita acceptum jus gentium primarium, et secundarium. Ita Schneidew. *ad §. jus autem* 1. *J. N. G. et C.* Bachov. *ibid.* Vvolf. textor. *in synops. jur. gent. c.* 2.

Mevius *in nucl. jur. nat. inspect.* 5. sanct. Gallens. *de ll. sect.* 2. *q.* 3. *concl.* 1. magnif. d. Christoph. de Chlingensperg. *ad instit. tit. cit. q.* 3. et plures alii.

119

Jus gentium primarium, seu *antiquum* vocant, quod solis hominibus convenit, sic tamen, ut non ab aliqua hominum constitutione, sed a naturali instinctu rationis ortum habeat, utpote ab initio cum hominibus natum, et mentibus eorum a DEO naturaliter inditum. De hoc loquitur imperator §. *jus autem cit.* et Cajus juris consultus *l. omnes* 9. *ff. de J. et J.* ibi: *Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes populos perœque custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utuntur.* Hoc jus intrinsece pertinet ad jus naturale: et hinc a quibusdam *jus naturale secundarium* appellatur; distinguunt enim duplex jus naturale, unum *primarium*, quod continet dictamina juris naturalis quoad instinctus, et inclinationes hominibus cum brutis communes; alterum *secundarium*, quod comprehendit dictamina rationis naturalis homini soli propria. Hujus juris sive naturalis, sive gentium exempla habentur in *can. jus naturale* 7. *dist.* 1. Muller. *ad Struv. exerc.* 1. *th.* 55. *lit. a.* Vallens. *proem.* §. 5. *num.* 5. Pirhing. *num.* 10. Reiffenstuel *n.* 31.

120

Jus gentium secundarium, quod etiam ad distinctionem prioris *jus gentium humanum* appellant, dicunt illud, quod ex ratione quidem naturali proficiscitur, non tamen simpliciter, et ab initio solo rationis instinctu, ac lumine hominum menti est inditum, et nobiscum natum, sed postea exigentibus humanis necessitatibus, vel suadentibus, usu, ac moribus omnium, aut fere omnium gentium est introductum, sive per modum legis praeceptivae, aut prohibitivae, sive per modum potestatis, seu facultatis permissivae quidpiam agendi, quod usu, seu consuetudine omnium, aut pene omnium gentium concessum est, tanquam utile hominibus in communi societate viventibus. Unde etiam *jus humanum* appellatur a Livio *libr.* 5. *de urbe condita*, ut quod plurima hominum pars ubique receperit. Hoc solum ad jus positivum pertinet, et *jus gentium proprie dictum* est, de quo sermo est *can. jus gentium* 9. *dist.* 1. *l. ex hoc jure* 5. *ff. de J. et J. et* §. *sed jus* 2. *vers. jus autem gentium inst. de J. N. G. et C.* Ratio jus istud introducendi fuit, quia homo, cum sibi ipsi non sufficiat, sed prae omnibus aliis animalibus per totam vitam suam indigeat ope aliena, naturaliter est animal sociabile: ac proinde nonnulla ad conservandam, vel redintegrandam hanc communem inter se societatem, necessaria, atque utilia mutuo consensu, usuque ipso constituerunt, quae hac ratione ad jus gentium spectare dignoscuntur. Et hoc jure introducta sunt bella, paces, et foedera, captivitates, et servitutes,

divisio bonorum, et omnes pene contractus. Suar. *l.* 2. *de ll. c.* 8. Vallens. *proem.* §. 5. *n.* 5. Pirhing *num.* 10. *vers. alterum.* Reiffenst. *num.* 32.

121

Disputant hic aliqui, an sustinenda sit haec divisio in jus gentium primarium, et secundarium. Defendunt illam dd. *n.* 118. allegati cum aliis. Sed longe plures illam rejiciunt cum Molin. *de J. et J. tr.* 1. *d.* 3. *et seqq.* Suar. *l.* 2. *de ll. c.* 17. *et* 19. Fleck *biblioth. jur. civil. l.* 1. *tit.* 9. *num.* 4. Groning. *biblioth. l.* 3. *passim* d. Gletle *jurispr. fund. l.* 1. *tit.* 2. *c.* 3. §. 4. *num.* 1. clariss. d. d. Franz. *ad inst. de J. N. G. et C. p.* 2. *num.* 5. magnif. p. Schmier *tr. de jur. legal. c.* 4. *num.* 22. qui triplicem rationem affert. 1. quia divisio haec fundatur in sinistro supposito, quod detur duplex jus naturale, primaevum nempe, quod commune est homini cum brutis; et secundarium, quod solis hominibus proprium est, et jus gentium primarium vocant: 2. quia jus gentium non est pars juris naturalis, sed ab hoc adaequate distinguitur, ut ostendetur *infra n.* 126. 3. quia imperator jus gentium, civile, et naturale revera discriminare voluit; et nequaquam primum cum tertio maritare, prout expendenti rubrum, et nigrum *tit. de J. N. G. et C. in inst.* sine negotio apparebit.

122

Quaeritur 6. an detur jus gentium proprie dictum? Negant nonnulli, teste d. Gletle *p.* 1. *pandect. q.* 1. *n.* 1. Fundantur in duplici argumento 1. quia videtur impossibile, ut gentes universae coeant ad unum aliquod commune jus mutuo consensu pangendum 2. quia videtur deficere huic juri objectum; nam capita illa, quae vulgo juris gentium esse dicuntur, ne quidem a gentibus moratioribus observantur.

123

Sed dicendum, dari jus gentium. Ita post Suar. *l.* 2. *de ll. c.* 27. *n.* 1. et alios magnif. p. Schmier *tr. de jur. legal. c.* 4. *num.* 4. et novissime p. Vitus Pichler *candid. jurispr. sacr. proleg. n.* 21. Patet 1. ex communi gentium sensu; passim enim apud historicos, et scriptores publicos leges, a gentibus ad jus gentium provocatum fuisse. 2. ex ratione; nam gentes de facto inter se societatem aliquam inivere, ergo indigent regula, ad cujus normam societas illa rite instituatur, et actiones, ac negotia vel dirigantur, ut justa sint, vel reformentur, si sint injusta, praesertim in commerciis, et contractibus, atqui haec regula nihil aliud est, quam ipsum jus gentium, ergo etc.

124

Ad argumenta contraria responsio non est difficilis. *Ad* 1. ad jus gentium constituendum non fuit necessarium, ut gentes in unum locum convenirent, aut consensum mutuum verbis exprimerent; sed sufficiebat consensus tacitus, quem uniformi circa unam, eandemque ma-

teriam operatione, ac subsecuta in transgressores animadversione, declararunt. *Ad* 2. quod constitutum sibi jus tam religiose, prout oporteret, gentes non observent, non defectum, sed abusum juris existentis indicat; hac ipsa namque de causa, quod una, vel altera gens juris istius capita temere infringat, gentes aliae ad arma convolant, et vindictam capiunt, ut lugubris tot bellorum experientia monstrat.

125

Quaeritur 7. an jus gentium ex toto positivum sit? Multi ex jure consultis confundunt hoc jus cum naturali jure, et putant illud denominatione solum extrinseca ab hoc differre, dum volunt juris naturalis esse ea, quae naturae rationali, qua tali conformia sunt; juris gentium vero illa, quae conformia sunt eidem naturae, supposito ratiocinio humanae indigentiae. Ita Puffendorff. *de jur. nat. l.* 2. 3. 23. Ryssel *de jur. natural. l.* 1. *c.* 7. *num.* 15. *et c.* 27. *n.* 4. Hobbesius *in lib. de cive c.* 14. §. 4. Schambrog. *ad inst. tit.* 2. *l.* 1. *q.* 2. Rationes illorum sunt, quia omne jus a superiore debet procedere, non apparet autem, a quo superiore possit procedere jus gentium, si naturale non est, cum omnes homines, cons. etiam supremi principes eo jure teneantur, et sic respectu ejus sint subditi. 2. non potest ostendi, quae praecepta sint propria juri gentium, quatenus hoc distinguitur a jure naturali; nam ea, quae apud JCtos ad jus gentium referuntur, v g. circa modos acquirendi, contractus etc. vel ad jus naturale pertinent, vel ad jus civile singulorum, igitur quatenus a jure civili distinguitur, eatenus pars juris naturalis erit. 3. plura dicuntur esse juris gentium v. g. privilegia, et praerogativae legatorum, quae nullo modo obligatoria, sed arbitraria sunt 4. ipse imperator jus gentium ad jus naturale revocat §. *jus autem* 1. *inst. de J. N. G. et C.* ibi: *Quod vero naturalis ratio inter homines constituit, id apud omnes peraeque custoditur, vocaturque jus gentium.*

126

Verum his non obstantibus, dicendum, jus gentium ex toto positivum esse, atque a naturali jure adaequate distinctum. Ita Suar. *l.* 2. *de ll. c.* 17. *per totum.* Gonzal. *apparat. jur. can. num.* 19. Grotius *de jur. bell. et pac. l.* 1. *c.* 1. *num.* 14. Mevius *nucl. jur. gent. inspect.* 5. *th.* 9. Vitriar. *inst. de J. N. G. et C. prolegom. num.* 24. Groning. *bibl. jur. gent. l.* 3. *c.* 10. *num.* 15. magnif. p. Schmier *de jur. legal. c.* 4. *num.* 6. Ratio est 1. quia jus naturale fundatur in necessitate naturae, et objectum ejus intrinsecam continet honestatem, vel malitiam, prout ostensum est *supra num.* 57. Non ita fundatur jus gentium, et hujus objecta non sunt intrinsece honesta, vel inhonesta, prout patet in captivitate, et servitute per jus gentium introducta, ergo etc. 2. jus gentium ex fine suo primario magis societatem, quam naturam rationalem respicit; contra jus naturale in-

tendit ex primario suo fine felicitatem naturae rationalis qua talis, neque magis socium, quam hominem per se primo informare studet, igitur ex fine differunt; cons. etiam secundum se 3. jus naturale in cordibus nostris scriptum, et sine hominum voluntate ex ipsa necessitate naturae rationalis sancitum est: jus vero gentium moribus utentium invaluit, nec sine gentium voto, et voluntate, saltem tacita, ut *n.* 116. dixi, coaluit, igitur non est idem cum jure naturali, nec esse potest ejusdem portio.

127

Argumenta contraria intentum non probant, *Ad* 1. dicit magnif. p. Schmier. *l. cit. num.* 15. superiorem, cujus authoritate, jus gentium vim legis, et juris habet, esse DEUM, non tanquam authorem naturae (sic enim jus naturale constituit) neque ut authorem supernaturalem; nam sub isto respectu jus divinum positivum condidit: sed velut authorem humanae societatis, et supremum politiarum, et rerump. principem, quatenus scilicet, supposita societate, quam homines inter se habent, ille voluit, ut inter gentes daretur aliqua communis regula, ad cujus libellam societas illa inflecteretur, quae ipsa regula jus gentium appellatur. Sed quia hoc modo jus gentium videtur effici quasi divinum a DEO, a quo vim obligandi accipere dicitur, quae sequela cum dicendis *num.* 129. pugnat, idcirco aliam viam ineo, et dico, jus gentium constitutum esse per modum pacti, non expressi, sed taciti, manifestati per hoc, quod gentes jus istud animo introducendae, et retinendae obligationis receperint, et data occasione ad illud, tanquam ad jus sibi commune, provocent. Authores ergo istius juris sunt ipsae gentes ita tacite paciscentes: cons. superioritate ad jus istud constituendum opus non est, cum pacta fieri inter aequales possint. *Ad* 2. praecepta illius juris enumerabuntur *n.* 135. neque obest, quod aliqua ex istis revocentur ad jus naturale, alia ad jus civile: ad jus naturale enim revocantur: quia hoc est principium, ex quo deducta sunt; ad jus civile ob formam, quae a jure hoc illis data est. *Ad* 3. datur etiam jus gentium permissivum, cujus actus, et objecta recensebuntur *n.* 136. *Ad* 4. Imperator §. *cit.* vel usurpavit jus gentium pro naturali per abusum vocabuli, vel per *rationem naturalem* intellexit non regulam intrinsecae honestatis, vel malitiae, sed potius congruentiam, et convenientiam aliquam, quam stando in jure naturae absque longiori indagine deprehendere licet: quod ipsum idem imperator indicare videtur §. *sed jus* 2. *inst. eod.* ubi dicit, jus gentium esse, *quod usu exigente, et humanis necessitatibus, gentes humanae sibi constituerunt.*

128

Quaeritur 8. utrum jus gentium ex toto humanum sit? Negant aliqui, qui proinde existimant, hoc jure contineri quaedam praecepta,

quae faciant jus humano, et positivo quocumque altius, a naturali tamen distinctum: quaenam vero praecepta sint juris hujusmodi altioris, non convenit inter ipsos; nam 1. aliqui ad naturale jus solum referunt, quae vel immediate, et sine discursu, vel ex discursu quidem, sed facillimo innotescunt; ad jus gentium autem pertinere ajunt, quae ex primis, ac per se notis generalibus praeceptis moralibus discursu minus facili deducuntur. 2. alii ad jus naturale revocant etiam ea, quae ita deducuntur ex principiis generalibus, si societatem, commercium, et conventionem humanam non supponant; ad jus gentium autem, quorum absoluta obligatio hujusmodi societatem, commercium, conventionem supponit.

129

Sed melius dicitur, jus gentium proprie dictum jus mere positivum, et humanum esse. Ita Sot. *lib.* 1. *de just. q.* 5. *art.* 4. et latius *lib.* 3. *quest.* 1. *art.* 3. Bellarm. *lib.* 1. *de cler. cap.* 29. *edit. ult.* Covar. *reg. peccatum p.* 2. §. 11. *num.* 4. Molin. *tract.* 2. *de J. et J. d.* 3. *num.* 3. Suar. *lib.* 2. *de ll. cap.* 19. *n.* 3. Salas *d.* 2. *de ll. num.* 21. Gonzal. *apparat. num.* 17. *et* 19. Vviestner *proem. num.* 52. Reiffenst. *ibid. num.* 34. et consentit doct. Angel. 1. 2. *quaest.* 95. *art.* 4. ubi absolute jus positivum dividit in gentium, et civile, et utrumque dicit esse humanum jus derivatum a naturali. Neque dici potest, quod S. D. jus humanum hic dicat non ab authore, sed ex materia, quia versatur circa res humanas, in qua significatione ipsum jus naturale humanum est, quia illo humanum genus gubernatur, et humanae actiones diriguntur; quamvis enim idem Angelicus sub tam lata significatione accepisse videatur jus humanum *cit. q. art.* 2. in *art.* 4. *cit.* tamen expresse legem humanam a naturali distinguit, et dicit, legem humanam derivari a naturali, et jus civile quidem per modum determinationis particularis, gentium vero per modum conclusionis, non simpliciter necessariae, sed ita convenientis naturae, ut quasi instigante natura inferatur, prout eundem explicant Sot. Bellarm. Covar. Suar. *l. citt.*

130

Rationem dat Suar. *loc. cit. n.* 4. quia lex sufficienter dividitur in naturalem, et positivam, et hanc vel divinam, vel humanam: atqui jus gentium non est jus naturale proprie dictum, aut pars illius, ut dictum est *num.* 126. nec etiam jus divinum positivum, utpote non habens pro suo immediato authore DEUM, cum non constet, quando, et ubi, ac per quos ab ipso sit traditum: ergo necesse est, ut sit jus mere positivum humanum. *Conf.* quia lex naturalis est, quam non opinio genuit, sed naturalis evidentia, ut *Cicero* dixit, ergo omnis lex, quae non hoc modo generatur, positiva, et humana est: tale autem est jus gentium; quia non per evidentiam, sed probabilitatem, et communem aestimationem hominum introducitur, ergo etc.

131

Neque contrarium probant adversarii. *Ad* 1. discursus non variat ipsum jus, sed solum explicat prima principia, et praecepta moralia generalia, et ostendit, quaenam particularia praecepta illis comprehendantur: unde sive immediate, sive per discursum constet, aliquid praeceptum, permissum, vel prohibitum esse, si bonitatem, vel malitiam intrinsecam habeant, pertinebunt ad jus naturale. *Ad* 2, ex eo loquendi modo sequeretur, quod praecepta non furandi, parendi domino, implendi contractus, observandi promissionem, non vendendi rem consecratam, et similia ad jus gentium spectent, neque enim absolutam obligationem inducunt, nisi supposita rerum divisione, ac dominio, servitute, commercio, promissione, consecratione etc. sequela aperte falsa est; quia omni alio jure secluso, lumen, et ratio naturalis dictat, ea observari debere.

132

Quaeritur 9. quid sit jus gentium, et quod ejus subjectum? Resp. Jus gentium, ut contradistinctum a jure naturali, et prout illud mere positivum, et quidem mere humanum est, definiri potest, esse id, quod exigentibus necessitatibus, et utilitatibus, suadentibus usu, et moribus omnium, aut fere omnium gentium introductum est. Vallens *proem.* §. 5. *num.* 1. Plettenberg *introd. Jur. canon. cap.* 3. *n.* 3. et fundamentum dat imperator §. *sed jus* 2. *vers. jus. autem gentium. Inst. de J. N. G. et C.* ibi: *jus autem gentium omni humano generi commune est; nam usu exigente, et humanis necessitatibus, gentes humana jura quaedam sibi constituerunt.*

133

Subjectum istius juris est solus homo, consideratus ut civis, seu membrum totius communitatis humanae, ex omnibus populis, et gentibus constitutae: multipliciter enim considerari homo potest, et pro diversa consideratione subjacet diversis juribus 1. enim considerari potest ut animal. 2. ut creatura ratione praedita 3. ut membrum totius communitatis humanae 4. ut subditus romano imperio 5. ut christianus, sive subjectus sanctae matri ecclesiae 6. denique ut civis, seu membrum certi alicujus principatus, vel Reip. Si *primo modo* spectetur, utitur jure naturali illo impropriissime accepto, et prout illud dicit inclinationem potentiae sensitivae. Si *secundo*, regitur jure naturali proprie dicto, et per hoc dirigitur ad vitanda ea, quae rationali creaturae dissentanea, et praestanda illa, quae eidem consentanea sunt. Si *tertio*, subest juri gentium, eoque dirigitur ad ea, quae pertinent ad populorum, ac nationum omnium, sive totius humanae communitatis bonum, ac felicitatem. Si *quarto*, utitur jure civili, quod simpliciter prolatum intelligitur de romano. Si *quinto*, dirigitur jure ecclesiastico, seu canonico. Si *sexto*, subest statutis particularibus reip.

vel principatus, iisque disponitur ad ea, que pertinent ab bonum commune principatus, seu reip. cujus est civis. Lancellot. *pr. libr.* 1. *inst. in gloss. v. est igitur.* Gonzal. *proem. num.* 30. Reiffenst. *n.* 29.

134

Quaeritur 10. quotuplex sit jus gentium *num.* 132. descriptum? Resp. est duplex; nam aliud est propriissime tale, aliud minus proprie. *Jus gentium propriissime acceptum* est cum mutua obligatione, et jure, ita scilicet, ut ob communem omnium gentium utilitatem illud inter se, seu inter gentes observandi sit obligatio. *Jus gentium minus proprie acceptum* vero est illud, quod receptum est inter gentes sine obligatione mutua, seu quin obligatio detur illud inter se observandi.

135

Ad jus gentium propriissime acceptum in genere spectant ea, quae cum natura non praeceperit, vel prohibuerit, gentium pene omnium usu, et moribus propter communem omnium, seu totius communitatis humanae utilitatem cum mutua obligatione sunt introducta, et recepta. Talia sunt 1. *Jus legatorum*, seu ministrorum, qui ab uno principe ad alium principem, vel remp. certum in finem mittuntur; nam si naturam spectes, non tenetur gens una alterius gentis legatos admittere, publicam illis securitatem praebere, quia tamen utilitas gentium petiit, ut supposita societate, sint, qui communia negotia inter gentes nomine communi tractent, eadem utilitas petiit, ut hujusmodi legati non tantum admittantur, sed etiam admissi plenissima securitate fruantur *l. fin. ff. de legat.* 2. *Jus belli*, idque tam quoad potestatem illud gerendi, quam jus gentium concessit supremis principibus superiorem non recognoscentibus, quam quoad modum id indicendi, et prosequendi, circa quem jure gentium constitutum est, ut prius indicatur per foeciales, ut fontes, et belli instrumenta non inficiantur veneno, ut hostis non occidatur per submissos sicarios etc. 3. *Foedera pacis, et induciarum;* nam licet ista quoad obligationem, postquam inter gentes inita sunt, ad jus naturae spectent, quoad petitionem tamen, et juste petitorum admissionem sunt juris gentium. 4. *Servitus*, seu facultas liberis hominibus, justo bello captis, ac servatis pro servis utendi; nam a natura omnes liberi nascimur. 5. *Jus commercii* quaestuosi apud exteras, et non hostiles nationes exercendi. 6. *Jus sepulturae*, seu defuncto supremum honorem habendi ejus cadaver humando, seu terrae, ex qua ortum est, reddendo.

136

Exempla juris gentium minus proprie dicti sunt. 1. Modus determinatus exhibendi DEO cultum per sacrificia; nam in genere debetur DEO cultus jure naturali. 2. Institutio certi status hominum ad sacrificia DEO offerenda, 3. usus panis pro cibo, 4. constructio aedium, 5. munitio civitatum, 6. divisio rerum, 7. jus postliminii, 8. contra-

ctus non pauci, ut emptio venditio, locatio conductio etc. 9. plerique modi acquirendi. Licet enim ista apud plures gentes observentur; quia tamen pro fine non habent communem plurium gentium felicitatem, mutuam inter illas obligationem non inducunt: et hinc potius juris civilis sunt; quia obligationem duntaxat pariunt inter membra particularium communitatum: vocantur tamen abusive jus gentium; quia a pluribus populis observantur.

137

Quaeritur II. an, et qualem obligationem producat jus gentium? Resp. producit obligationem in conscientia: eamque gravem secundum gravitatem materiae est uniformis omnium gentium sensus, quippe quia non majus objici scelus alicui posse existimant, quam quod jus gentium violaverit: elucetque per se gravitas hujus violationis tum ex eo, quia jus istud communi gentium consensu decretum, sanctissimum reputatur; tum quia pro materia habet ea, quae pacem, tranquillitatem, et felicitatem ipsarum gentium inter se conciliant. Gibelin. *l.* 4. *c.* 7. *q.* 3. *n.* 1. Magnif. P. Schmier. *de jur. legal. c.* 4. *num.* 16. Intelligendum autem hoc praecipue est de jure gentium, quod *n.* 135. propriissime acceptum diximus; nam in jure gentium minus proprie dicto, quia illud pro fine suo non habet communem plurium gentium felicitatem, rationes allatae non procedunt. Unde ut cognoscatur, an, et qualiter illud obliget, consideranda est ejus materia: qua considerata patebit, aliqua quidem ejus objecta obligationem strictam in conscientia parere, ut sunt contractus, qui contrahentem utrumque stringunt in conscientia, postquam sunt initi, et eo modo, quo initi sunt; alia vero esse juris solummodo permissivi, ut constructio aedium, munitio civitatum, ratione quorum jus gentium solum obligat, ne volentes hoc jure uti ab usu ejusdem libero injuste impediantur.

138

Porro jus gentium stringit ipsos etiam supremos principes, et summa orbis capita. Brunnem. *ad l. omnes populi* 9. *ff. de J. et J. n.* 4. Fleck. *biblioth. jur. civil. l.* 1. *tit.* 9. *n.* 6. Magnif. P. Schmier *tr. de jur. legal. c.* 4. *n.* 57. Nam quia jus gentium respicit omnium gentium emolumentum, omnes obligat, ex quibus gens quaevis componitur, componuntur autem gentes non solum ex subditis, tanquam membris, sed etiam ex principibus, et magistratibus, tanquam capitibus cujusque gentis, ergo etc. Hinc curae esse vel maxime principibus supremis debet, ut jura ista sarta tecta maneant; nam ut apud Grotium *in prolegom.* sapienter Themistius, *reges, quales exigit sapientiae regula, non unius sibi credita gentis habere rationem, sed totius humani generis oportet.* Ex hoc jure igitur decidendae sunt lites, quae inter supremas potestates vertuntur; cum enim istae jure civili non obstringantur, obstringantur vero gentium jure, hujus de-

creta controversias eorum component. P. Schmier. *l. cit. n.* 58. Secundum ejusdem juris praecepta etiam dirigenda sunt bella inter principes supremos suscepta ; licet enim alias inter arma leges sileant, id solummodo intelligendum est de jure civili, et de legibus judiciariis, aut pacis propriae, non vero de jure gentium, et naturali ; nam ut bene Dio prusiensis apud laudatum Grotium : *inter hostes scripta quidem jura, i. e. civilia non valent ; ut valent non scripta, i. e. ea, quae natura dictat, aut gentium consensus constituit.*

139

Quaeritur 12. utrum jus gentium mutari, abrogari, vel derogari eidem possit ? *Certum* est, posse mutari, et non usu cujusque gentis, vel usu contrario, imo lege etiam publica, abrogari, vel derogari juri gentium minus proprie dicto, *et* accepto in sensu *supra n.* 134. explicato ; nam hoc jus gentium, ut *n.* 136. notavi, portio quaedam juris civilis est, et ob particularis cujusque gentis utilitatem introductum : et hinc sicut civile, ita et ipsum mutari, et abrogari potest. Neque obest, quod receptum sit apud plures gentes, ex quo etiam jus gentium dicitur ; nam receptum est inter gentes sine mutua inter se obligatione : cons. una gens alteram impedire non potest, ne, si velit, jus illud in natione, vel provincia sua abroget, vel ei deroget ; quivis enim cedere, et renuntiare potest, quae in suum praecise commodum sunt introducta. *l.* 2. *de LL. c.* 20. *n.* 7.

140

De jure gentium propriissime dicto major est difficultas ; cum enim jus istud respiciat utilitatem communem omnium nationum, et omnium authoritate videatur introductum, ideo non sine omnium consensione tolli poterit, videtur autem impossibile obtinere istum consensum a nationibus per totum late orbem diffusis, ergo etc.

Sed dicendum etiam istud de se mutabile esse, non tantum per accidens ratione materiae, seu objecti mutati, sed etiam per se, et formaliter, ita, ut, quamvis circumstantiae omnes, cum quibus antea obligabat, eaedem maneant, tamen obligare cesset. Ita Molin. *tr.* 1. *de J. et J. D.* 4. *n.* 6. Suar. *c.* 20. *cit. n.* 6. Gibelin. *l.* 4. *c.* 7. *q.* 3. *n.* 3. Clariss. D. Franz. *inst. tit. de J. N. G. et C. p.* 2. *n.* 19. magnif. P. Schmier *de jur. legal. c.* 4. *n.* 64. Et hinc, quod apud aliquos populos censetur esse de jure gentium, potest apud alios non servari ; quia hoc jus non semper omnibus, sed regulariter, et fere omnibus gentibus commune est, ut dicitur *can. jus gentium* 9. *dist.* 1.

141

Ratio hujus mutabilitatis est, quia objectum hujus juris non sunt res intrinsecae, et de se malae, ut necessitas sit, illa prohiberi ; aut ita intrinsecae, et de se bonae, ut exigant praecipi ; sed praecepta ejus, licet ex principiis naturalibus deducantur, ita tamen solummodo dedu-

cuntur, ut ex iis non inferantur per illationem aliquam necessariam, sed ex honestate solum, quae per hujusmodi illationem, ostenditur, per liberum gentium ipsarum arbitrium arrepta sint, igitur jus istud portio est juris arbitrarii, et positivi: cons. sicut quodvis jus aliud positivum, et humanum, ita etiam ipsum, cum ita placuerit, a constitutionibus libere mutari potest, et abrogari, sicut libere est constitutum *arg. reg. nihil* 35. *ff. et reg. omnis* 1. *extra.*

142

Procedit hoc, ut non tantum tolli possit ex parte, sicut sublatum est quoad captivitatem, et servitutem personalem inter christianos, apud quos capti christiani a christianis in bello justo non amplius servi fiunt: sed ratio *n. praec.* allata probat, quod etiam tolli possit ex toto, absolute loquendo. Dixi *absolute loquendo*, quia, ut totum eliminetur, moraliter fieri non potest; cum enim jus istud ob gentium utilitatem, earumque consensu, et cum obligatione mutua introductum sit, ad jus istud abrogandum videtur esse opus consensu omnium, aut fere omnium gentium, juxta *regul.* 29. *in* 6. ibi: *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.* Imo non expedit omnino, ut fiat hujusmodi abrogatio, ob gravissima incommoda, et mala, quae inde orirentur, si v. g. rerum divisio tolleretur, si legatorum persona non amplius habeatur sancta etc. Plettenberg. *introd. jur. can. cap.* 3. *n.* 3.

143

Idem quod nunc de abrogatione totali dixi; etiam dicendum de abrogatione, et mutatione alicujus articuli, in quantum talis mutatio respicit non partes unius gentis, aut communitatis, ut relationem habent ad se invicem, sed prout refertur una gens ad ceteras gentes; nam quamvis induci possit, ut in aliqua certa gente respectu membrorum suorum tollatur aliquis articulus istius juris, prout sublata est servitus inter christianos secundum dicta *num. praec.* moraliter tamen fieri non potest, ut jus gentium praeceptivum immutetur ita, ut respectu aliarum gentium immutetur, ex ratione *num.* 141. allata. Et hoc est, quod probat ratio dubitandi *num.* 140. posita. Suar. *c.* 20. *num.* 8. Gonzal. *in apparat. jur. can. num.* 19. P. Schmier *c.* 4. *cit. num.* 66. Excipi forte potest casus, quo populus aliquis adverteret, aliquod praeceptum juris gentium sibi noxium esse; tunc enim, si credere possit, ceteras gentes non fore invitas, non usu aut usu contrario, vel etiam lege publica, posset praeceptum hoc tollere. P. Wiestner *proem. num.* 60.

144

Quaeritur 13. quomodo jus gentium differat a *jure naturali*, et *positivo civili? Resp.* a *naturali* differt 1. ratione *originis;* quia jus naturale a natura, et cum natura coepit; jus gentium non prius condi coepit, quam post naturam depravatam, et homines multiplicatos super terram, 2. ratione *causae efficientis;* quia naturale conditum est a

naturae humanae authore DEO; jus gentium pro usu vitae humanae homo ipse construxit. 3. Ratione *subjecti;* nam illud praedicatur de homine, quatenus est rationalis creatura; istud hominem eundem efficit, ut est animal sociabile: et quidem ita, ut non omnes omnino gentes, ut jus naturale, afficiat, sed tantum illas, apud quas vel expressa voluntate receptum est, vel consuetudine, et usu invaluit, 4. ratione *objecti;* nam illud versatur circa ea, quae intrinsece, et per se mala sunt, aut intrinsece, et per se bona, illa prohibendo, ista praecipiendo, propterea formaliter immutabile est; istud vero etiam formaliter mutari potest, cum praecepta ejus ex principiis naturalibus, ut *num.* 141. ostensum est, non deducantur per necessariam illationem, sed libero gentium arbitrio sint constituta, 5. ratione *finis;* nam jus naturale facit, ut homo coram DEO, et hominibus ambulet rectus in probitate, et innocentia; jus gentium vero civem instruit, ut societati sit aptus, 6. ratione *obligationis;* nam illud sola materia obligat; istud ex tacito gentium pacto. Molin. *tr.* 1. *D.* 4. *num.* 6. Suar. *lib.* 2. *de LL. c.* 20. *per totum.* Vallens. *proem.* §. 5. *num.* 2. Pirhing *ibid. num.* 11. *fin.* Plettenberg *introd. jur. can. cap.* 3. *num.* 3. *fin.* Muller. *ad Struv. exerc.* 1. *th.* 56. *lit. A.*

145

A jure civili jus gentium differt. 1. quia jus civile non omnibus populis commune est, sed a quolibet populo, vel civitate, ob speciales causas sibi proprium constituitur *can. jus civile* 8. *dist.* 1. 2. Jus gentium pertinet ad ea, quae derivantur a jure naturali, velut conclusiones practicae ex suis principiis; contra ad jus civile spectant particulares illae determinationes, quae conformiter juri naturali secundum diversam locorum, temporum, aliarumque circumstantiarum exigentiam ab unaquaque civitate, regno, vel provincia fiunt ad propriam suorum subditorum utilitatem, et commoditatem. Reiffenstuel *proem. n.* 35. 3. licet neutrum jus moraliter sit mutabile in totum quoad totam collectionem praeceptorum, quoad singula tamen praecepta jus civile facile mutari, et abrogari potest, non vero jus gentium, quippe quod ad communem gentium utilitatem secundum singula praecepta est constitutum, licet facile sit ea in una, vel altera parte diminui. Suar. *c.* 20. *cit. n.* 9.

§. V.

De jure civili in genere, et in specie de jure civili publico.

SUMMARIUM

146 *Variæ acceptiones juris civilis.*
147 *Divisio in jus publicum, et privatum.*
148 *Definitio juris publici, et divisio in antiquum et hodiernum.*
149 *Discrimen juris publici a privato.*
150 *Author juris publici quis sit?*
151 *Unde trahat originem?*
152 *An recte acatholici se juris hujus restauratores jactitent?*
153 *Jus hoc consistit in sacris.*
154 *In sacerdotibus.*
155 *Et in magistratibus.*
156 *Jus publicum antiquum componunt præcipue tres libri ultimi codicis, et aliquot novellæ.*
157 *In imperio romano germanico hodie vim juris publici obtinet bulla aurea.*
158 *Pax publica profana.*
159 *Ordinatio camerœ, et judicii imperialis aulici.*
160 *Pax religiosa.*
161 *Purificationes aliœ, præsertim Osnobrugo-monasteriensis.*
162 *Capitulatio Cœsarea.*
163 *Recessus imperii.*
164 *Legibus publicis obligantur omnes imperii status, et subditi.*
165 166 *Non tamen imperator.*
167 *Nisi vi directiva indirecte.*
168 *Leges istas mutare solus imperator non potest.*
169 *Potest, accedente consensu statuum imperii.*
170 *Potest etiam cum uno, vel altero in his legibus dispensare.*
171 *An possit imperator sine consensu statuum mutare ea, quœ in Capitulatione sua, vel alias se servaturum promisit?*
172 *Respondetur affirmative, si id casus extremœ necessitatis exigat.*
173 *Negatur de casu magnœ utilitatis, cum exceptione.*

146

Quaeritur 1. quid intelligatur nomine *juris civilis? Jus civile* varias significationes habet. 1. accipitur generaliter pro omni jure, quo cives utuntur et sicut comprehendit jus naturale gentium, et civile in specie. 2. pro jure positivo, quod expresso legislatoris consensu pro certa rep. in ordine ad finem temporalem ordinatum est. 3. per excellentiam, et antonomastice pro jure romano, quod scilicet ad statum rei romanae spectat §. *jus* 2. *inst. de J. N. G. et C.* 4. pro jure civili in specie sic dicto, quatenus a jure honorario, et praetorio distinctionem recipit, et huic opponitur *l. jus autem* 7. *ff. de J. et J.* 5. strictissime pro leg. 12. tabularum. Lauterbach *ad ff. de J. et J.*

n. 34. Hic jus civile accipitur in significatione secunda ; consequenter pro eo , quod cujusque reip. legislator in proprium reip. commodum constituit : et hujus extranei nullum habent usum *l. sunt quidem* 17. *ff. de poenis.*

147

Quaeritur 2. quotuplex sit jus civile in hac secunda significatione acceptum ? Resp. est duplex ; nam dividitur in jus civile publicum , et in jus civile privatum. *Illud* ita dictum est ab eo , quod manifestum , et non occultum sit. Triplicem acceptionem in jure habet ; nam 1. jus publicum vocatur a *causa efficiente* , quod authoritate publica constitutum est : quo sensu ad jus publicum revocatur tutela l. *ex sententia* 29. *ff. de testam. tutel.* testamenti factio *l. testamenti* 3. *ff. qui testam. facer. poss.* beneficium legis falcidiae. *l. quod bonis* 15. §. *frater* 1. *ff. ad leg. falcid.* et alia jura alibi. Et in hoc Papinianus jus publicum accipit , quando *l. jus publicum* 38. *ff. de pact.* ait , *ius publicum privatorum pactis mutari non posse.* 2. aliquando ab *usu* , *et effectu* jus publicum dicitur , quod omnibus est commune , ac universos concernit cives , prout fit *l. nihil* 116. §. *non capitur* 1. *ff. de R. J.* et *l. maritorum* 2. *C. ne uxor pro marito etc.* Et in hoc sensu jus publicum opponitur privilegio , quod non pertinet ad universos , sed ad singulos , 3. et prout huc pertinet , a *fine* jus publicum dicitur , quod ad utilitatem publicam directe , principaliter , et immediate est constitutum : et ita jus publicum accepit imperator §. *fin. inst. de J. et J.* et juris consultus *l. juri* 1. §. *hujus* 1. *ff. eod.* ubi uterque *jus publicum* dicit *esse , quod ad statum rei romanae spectat.* Ita acceptum opponitur *juri civili privato* , quod singulorum utilitatem principaliter , et immediate respicit , prout idem imperator , et juris consultus §. et *l. cit.* monent , Franzkh. *tit. de J. et J. num.* 91. *et* 92. Lauterbach *ad ff. ibid. n.* 36. clariss. D. Franz. *q. select.* 12. *n.* 1. *et seqq.* magnif. P. Schmier. *tr. de de jur. legal. c.* 6. *n.* 1. *et* 2.

148

Quaeritur 3. quid , et quotuplex sit *jus publicum* in hoc tertio sensu acceptum ? Resp. Est jus , quod de causis publicis ad publicam utilitatem directe , principaliter , et immediate est constitutum. Ita Lauterbach *ad ff. de J. et J. n.* 36. et quoad rem alii. *Dividitur* per modernos juris civilis interpretes in *commune , et antiquum* , de quo maxime in tribus libris ultimis codicis. Et in *speciale* , sive *hodiernum* , quod post translationem romani imperii e Graecis ad germanos in persona Caroli M. Sedis Apostolicae authoritate factam , ut habetur *c. venerabilem* 34. junct. gloss. *v. transtulit , et v. in germanos de elect.* observari coepit : atque consistit in modernis romano-germanici imperii constitutionibus , puta aurea bulla Caroli IV. instrumento pacis monasteriensis 1648. solemniter erecto , in capitulationibus imperatoriis , re-

cessibus imperii etc. de quibus sigillatim infra. Lauterb. *n.* 36. *cit.* Reiffenst. *Proem num.* 162.

149

Ex quo sequitur discrimen inter jus civile publicum, et privatum; nam etsi lex omnis feratur in bonum commune, immediate tamen, directe, et principaliter in bonum commune, et publicum totius imperii nullum aliud ordinatur, quam hoc ipsum jus publicum, quod *num. praec.* descripsi. Nempe quae lege publica sanciuntur, in executione primo in utilitatem publicam redundant, ac per consequentiam in singulos diffluunt, ut adeo in jure isto bonum publicum sit finis immediatus tam intentionis, quam executionis. Contra jura alia, licet ultimo intendant bonum commune, in executione tamen prius ad utilitatem singulorum, dein per consequentiam ad reip. totius commoda, quatenus haec per bonum statum singulorum promoventur, dimanant, ut bene notant Herman. Hermes *fasc. jur. publ. c.* 1. *n.* 3. et hunc secutus magnif. P. Schmier *c.* 6. *num.* 6.

150

Quaeritur 4. quis sit author, et quae origo juris publici? Resp. Author, et causa efficiens hujus juris est solus imperator in imperio. Patet ex definitione legis; nam lex quaelibet ab eo, qui curam communitatis habet, egreditur, est autem jus publicum vere lex, et jus legale. Ergo constitui ab illo debet, qui supremum reip. caput est, hoc autem in politicis respectu imperii romano-germanici est imperator, ergo etc. Neque *obstat*, quod ex ordinatione pacis monasteriensis *art.* 8. §. *gaudemus* procerum Imperii consilium, et suffragium praerequirere teneatur; nam hoc non obstante imperator leges conceptas imperialis culminis authoritate solus promulgat, prout demonstrant recessuum fere omnium formulae: *postquam enim nos cum statibus imperii convenimus, et illi pariter nobiscum, statuimus proinde, jubemus, et de caesareae potestatis plenitudine mandamus.* D. Baro Andlern *jurispr. publ. et privat. l.* 1. *tit.* 3. *p.* 2. *n.* 30. P. Schmier *l. cit. n.* 7.

151

Quod originem juris publici romani attinet, satis certum est, illud cum ipsa romanorum monarchia effloruisse, eundemque habuisse ortum, quem jus civile privatum; cum enim reip. cujusque salus ab ordine, quem cives ejus tum inter se, tum cum ipsa rep. habent, pendeat, ut illa rite sit constituta, legibus tum publicis, tum privatis temperari debet, quibus instructi cives jus suum quaerant, simul vero ipsius reip. commoda, et utilitatem non negligant. Publicae tamen hae leges non statim, ut a romanis conditae, sic etiam scriptae sunt: quo factum est, ut cum plerumque Philautiae vitio magis soleamus propriis studere commodis, quam utilitati publicae, praesertim cum imperatores ipsimet, atque inter hos Justinianus, privata potius, quam publica jura

tractare coeperint, pauci admodum ex veteribus jure consultis, fuerint, qui de studio adeo nobili litteris aliquid consignarunt, prout notat D. Baro ab Andlern. *Jurispr. publ. et privat. l.* 1. *tit.* 2. *p.* 2. *n.* 7. ubi addit, siquae forte scripta de jure publico olim extiterunt, ea vel cum urbe Roma circa annum urbis conditae 366. incensa conflragrasse, vel periisse in universali illo incendio constantinopolitano anno Christi 1354. in quo 3000. librorum concremati sunt, vel siquae scripta post hanc utramque cladem superfuerunt hominum incuria fuisse suppressa, atque deperdita, adeo, ut ex antiquo illo jure publico romano pauca admodum, et fere illa tantum, quae in ultimis tribus libris codicis continentur, pro tempore praesenti restent.

152

Gloriantur quidem acatholici, sibique honorem hunc sumunt, quod ipsorum opera studium juris publici, antea quasi mortuum, et extinctum ad vitam, et lucem revocatum fuerit. Laudandus quidem hic eorum est labor; in quo hi doctores ipsorum Orthodoxorum doctorum industriam plurimum vincunt; sed majori commendatione existeret dignus, si libris suis publicis quoad res, quae fidem, et historiam ecclesiasticam tangunt, non tot falsitates immiscuissent: qualis etiam illa est, quando causam, quod studium juris publici tamdiu neglectum jacuerit in Germania, cum Swedero *Introd. ad jus publ. part. gen. c.* 1. *num.* 8. et Jacob. Brunnem. *jurispr. publ. dissert.* 1. §. 4. in papatum refundunt, et pontificem in jura principum involasse arguunt. Calumnia haec est, et jure optimo in adversarios retorquetur, qui doctrina sua sollicitant principes, ut in jura ecclesiastica vicissim involent, sibique potestatem spiritualem, quam unice Christus Petro, et successoribus dedit, attribuant. Fatetur pontifex duabus potestatibus supremis, tanquam magnis luminaribus, pontificia et imperatoria, mundum regi; fatetur imperatoriam potestatem quod temporalia in romano imperio supremam esse: nihil de hoc sibi vindicat, prout constat ex *can. cum ad verum* 6. *dist.* 96. ubi Nicolaus papa, *cum ad verum*, inquit, *ventum est, ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit; quoniam idem mediator DEI, et hominum, homo Christus JESUS, si, actibus propriis, et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut christiani imperatores pro eterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur etc.*

153

Quaeritur 5. in quibus rebus consistat jus publicum? Resp. juxta *can. jus publicum* 11. *dist.* 1. jus istud *est in sacris, et in sacerdotibus, et in magistratibus:* quae verba Gratianus desumpsit ex *l. juri* 1. §. *cujus* 1. *ff. de J. et J.* ubi Ulpianus, *publicum jus*, inquit, *in sacris in sacerdotibus, in magistratibus constituit. Sacra* sunt, quae

DEO, et ejus cultui consecrata sunt. Fest. *l.* 16. qualia sunt templa, altaria, indumenta sacerdotalia, vasa, aliaque divinis ministeriis inservientia. Spectant haec ad jus publicum; quia res sacrae jure digestorum illae sunt, quae sunt publice consecratae a principe, vel ab eo potestatem habente: adeoque si quis privatus sibi sacrum constituerit, profanum erit *l. in tantum* 6. *vers. sacrae* 3. *et l. sacra loca* 9. *ff. de divis. rer. l. fin. ff. ut in possess. legat.* Plettenberg *introd. jur. can. c.* 3. *n.* 5. Apud christianos *sacri* nomen accipitur strictius pro eo, quod quoquo modo ordinem habet ad felicitatem hominis supernaturalem: cons. quae ita sacra sunt, ad jus ecclesiasticum spectant.

154

Per *Sacerdotes* hic intelliguntur omnes, qui DEO, et sacris vacant *l. non distinguemus* 32. §. *sacerdotio* 4. *ff. de recept. qui arbitr.* Gloss. *in l.* 1. *v. sacerdotes ff. de J. et J.* Hi quoque spectant ad jus publicum quia pro populo DEO preces offerunt, et sunt mediatores inter DEUM, et hominem. S. Thom. *p.* 3. *q.* 22. *art.* 4. ideoque sacerdotes dicuntur ad ministerium communis salutis a Christo electi *can. saepe* 72. *caus.* 12. *q.* 2. et communes omnium patres, ac magistri *can. quis dubitat.* 9. *distit.* 96. Plettemb. *loc. cit.*

155

Denique *Magistratuum* nomine intelliguntur personae publicae in principali dignitate constitutae, penes quas est ordinaria jurisdictio, et merum imperium, ut colligitur ex *l. eum, qui* 12. §. *magistratus* 1. *ff. de jurisd.* Pertinent hae personae ad jus publicum; quia publicae utilitati potissimum intendunt condendo leges, jura reddendo subditis etc. Plettemb. *l. cit.*

156

Quaeritur 6. quaenam jura componant jus publicum romani imperii? Resp. antiquum, ut *num.* 148. monui, continetur praecipue in tribus ultimis libris codicis, et aliquot novellis. Verum hoc jus, mutata republica, magnam quoque mutationem subiit: hinc libri illi codicis in scholis hodie non amplius explicantur. Siqua ergo circa jus publicum, et materias illius hodie controversia moveatur, adeundum pro hujus decisione erit jus publicum recentius, quod ex variis constitutionibus imperatoriis, aliisque juribus compaginatur; nam

157

1. Juris publici in imperio romano germanico vim hodie obtinet *bulla aurea*, sic dicta ab appenso sigillo aureo. Hanc Carulus IV. imperator, cum imperii ordinum, et statuum consensu, partim Norimbergae usque ad caput 24. exclusive, partim Metis a capite 24. usque ad finem, anno Christi 1356. promulgavit. Statuuntur ibidem plura, quae electionem, et coronationem imperatoris, nec non jura electorum concernunt. Vitriar. *Inst. jur. publ. l.* 1. *tit.* 2. *n.* 12. Herman.

Hermes *Fasc. jur. Publ. c.* 1. *n.* 15. *et seqq.* clariss. d. de Wollerm. *Select. q.* 6. *n.* 5. *et* 6. magnif. P. Schmier. *tr. de jur. legal. c.* 6. *n.* 15. Bullae istius unum autographum, teste Joann. Ehrner. Mayer. *de jur. stat. imper. legislat. c.* 5. *n.* 64. asservatur Francofurti ad Moenum; alterum retinetur Moguntiae, tertium, ut vult Vitriar. *l. cit. num.* 13. Romae, vel ut contendit Sweder *Introd. ad jus publ. part. gen. c.* 2. *num.* 7. Heidelbergae.

158

Pax publica profana, quae est pragmatica sanctio adversus vim privatam, vulgo *jus a pugnis*, *et clava dictum*, a Maximiliano I. in comitiis Wormatiensibus anno 1495. primitus stabilita, et postea in comitiis Augustanis anno 1500. confirmata, et deinceps ab aliis impp. ad imperii tranquillitatem magis stabiliendam, cum saluberrimarum ordinationum auctario, teste Gaill. *l.* 1. *de pac. publ. c.* 1. *num.* 2. pluries repetita, ac renovata. Retunditur hac constitutione audacia improborum pacis perturbatorum, qui non attendentes ad authoritatem imperatoriam, siqua inter ipsos orta fuisset controversia, non judicio contendere, sed armata manu, rapinis, et ruinis litem dirimere maluerunt. Contra hos igitur dicta constitutione omnis injusta vis arcetur a statibus, et subditis imperii, et in transgressores poena banni, seu praescriptionis imperialis sancitur. D. de Wollern. *q.* 6. *cit. n.* 9. *et duob. seqq.* P. Schmier. *l. cit. n.* 16.

159

3. *Ordinatio camerae*, et *judicii imperialis aulici*, qua judicium camerae, et aulae imperialis formatum, atque inter imperatorem, et status conventum est, ut illud erigeretur Spirae (quod nostris temporibus ob tumultus bellicos Wezlariam translatum est) istud Viennae in Austria. Finis, quem in erigendis his judiciis spectavit imperator, et proceres, fuit quies publica per instrumentum pacis publicae jam ante stabilita; quae ut conservaretur, et justitia non Marte deinceps sed arte quaereretur, ad haec duo judicia remissae sunt controversiae quas inferiora tribunalia aut ex defectu jurisdictionis non possunt decidere, aut quia a sententia ipsorum appellatum est, non potuerunt finire. Ernest. Gockel. *de jurisdict. suprem.* §. 2. *et* 4. D. Wollern. *q.* 6. *cit. n.* 12. P. Schmier. *l. cit. num.* 17. ordinatio camerae imperialis edita primum est a Maximiliano I. eodem anno 1495. quo pax publica, confirmata dein, et renovata a Carolo V. anno 1584. ordinatio vero judicii imperialis aulici promulgata est anno 1654.

160

4. *Pax religiosa* primum composita Passavii anno 1552. dein Augustae anno 1555. stabilita: cui causam dederunt religionis dissidia; cum enim provinciae a catholica fide deficerent integrae, Lutheri primum, dein etiam Calvini veneno corruptae, neque appareret, qua ar-

te vim mali frangeret imperator Carolus V. acatholicis adversus edictum Wormatiense protestantibus (unde etiam *protestantium* nomen adepti sunt) et in foedus Smalkaldicum contra Orthodoxos coeuntibus, dira necessitate temporum cogente factum est, ut ad evitanda majora mala, certarum sectarum, nimirum initio lutheranae, et tum etiam calvinianae liberum exercitium in imperio permitti debuerit. D. Baro ad Andlern. *l.* 1. *tit.* 1. *part.* 2. D. de Wollern *l. cit. n.* 13. P. Schmier. *n.* 18.

161

5. *Pacificationes aliae*, inter quas primas obtinet *pax Osnabrugo-monasteriensis*, per quam pax religiosa partim roborata, partim in favorem acatholicorum aucta est, nam plures dioeceses, in ducatus, et principatus erectae, in horum manibus relictae sunt, protestante nequicquam in contrarium per nuntium suum summo pontifice, imperii principes orthodoxos urgente belli vi, ac necessitate publica, ut ad majora mala evitanda consentirent inviti. D. Andlern. *p.* 2. *cit. n.* 3. *et* 20. P. Schmier *n.* 20. P. Wiestner *proem. n.* 78.

162

6. *Capitulatio Caesarea*, quae est conventio, qua imperator, per electorum suffragia deputatus, ante coronationis solemnia certas conditiones sibi propositas acceptat juratus. Ita quoad rem D. Gletle *Select. jur. publ. c.* 2. *n.* 2. D. Wollern. *in Salisburg. q.* 2. *n.* 10. P. Schmier *n.* 22. Harum capitulationum ante tempora Caroli V. nec monumenta, nec alia documenta extant: unde origo illarum ad hujus tempus revocanda videtur; cum enim electores timuissent, ne sub principe tam potente vires amittat libertas germanica, de certis quibusdam gubernandi articulis, neoelecto praescribendis, animum adjecere: in quos idem imperator eo concessit libentius, quo duriorem sibi conditionem, in casu recusationis, ejus in electione competitor Franciscus I. Galliae rex facere potuisset. D. Gletle *c.* 2. *cit. n.* 5. D. Wollern. *q.* 2. *cit. a n.* 53. Vitriar. *l.* 1. Mayer. *c.* 5. *cit. n.* 65. P. Schmier. *n.* 25.

163

7. *Recessus imperii*, quo nomine veniunt decreta comitialia, quae sub finem comitiorum a statibus, et imperatore concluduntur. Horum recessuum originem aliqui cum Pfeffingero *in not. ad Vitriar. l.* 1. *tit.* 2. *n.* 10. *lit. D.* ad tempora Caroli M. referunt; alii longius adhuc repetunt, nixi authoritate Taciti, qui *de morib. Germ. de minoribus*, inquit, *rebus principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes tractentur*: quod de imperii recessibus, intelligendum existimant. Sed quia ante bullam auream de nullo alio recessu imperii ullae existunt authenticae tabulae, esto; in conventibus procerum imperii ali-

qua ante id tempus in commune imperii bonum statuta sint, hinc ejusmodi recessus scriptis imperii legibus accenseri nequeunt, ut bene advertit magnif. P. Schmier *l. cit. n.* 14. Vim ergo legis scriptae duntaxat habebunt recessus illi, qui hodienum in manibus sunt.

164

Quaeritur 7. quinam legibus publicis obligentur? Resp. obligantur his omnes imperii status, ac subditi. Patet ex recessu imperii de anno 1654. §. 6. ibi: *Statuimus proinde, volumus, mandamus omnibus, et singulis, summi infimique gradus, personis, ecclesiasticis, et saecularibus, mediatis, et immediatis imperii statibus. Ex quo patet* 1. hoc jure etiam teneri subditos imperii mediatos, cum discrimine; nam status immediati immediate, mediati mediate, quatenus scilicet a principe, et domino terrae repraesentantur, obligantur. Magnif. P. Schmier *c.* 6. *cit. n.* 28. 2. ait ab obligatione hac non esse exemptos status imperii ecclesiasticos; cum enim ab imperio integras provincias, regiones, principatus, comitatus etc. acceperint in feudum, aequum est, ut vicissim jurisdictionem imperatoris, et imperii, nec non leges publicas, tanquam vasalli istorum agnoscant *c. ceterum* 5. *de judic. c. ex transmissa* 6. *et c. seq. de for. compet.*

165

An vero etiam imperator hujusmodi legibus publicis subjectus sit, dubitari potest. Sed dubium istud distinctione resolvitur. Dicendum ergo, imperatorem his legibus non teneri vi coactiva, teneri tamen vi directiva, non quidem directe, sed indirecte duntaxat. Et quidem 1. responsionis istius membrum ex eo liquet; quia imperator adhuc hodie est monarcha, vel si hoc neges, saltem est princeps summus, et caput imperii, igitur ex reliquis imperii membris nemo est, qui jurisdictionem in ipsum habeat, et vi illius justitiae vindicativae severitatem, aut vim coactivam exerceat. Hermes *fasc. cap.* 11. *n.* 84. P. Schmier *l. cit. num.* 31. Neque contrarium probatur ex bulla aurea, ubi *c.* 3. §. *fin.* Electori Palatino adstruitur praerogativa judicaturae caesareae; nam judicatura haec non tam authoritatis publicae, quam privati arbitrii rationem habet, dum imperator, qui nec camerali, nec aulico judicio imperiali subjacet, nolens in propriis causis jus sibi dicere, palatinum, quasi arbitrum, sibi delegit. Vitriar. *l.* 3. *tit.* 12. §. 16. Mulz. *in repraesent. majest. p.* 1. *c.* 16. §. 1. P. Schmier. *n.* 32.

166

2. Idem imperator etiam vi directiva istarum legum directe non obligatur. Hermes *l. cit.* P. Schmier *n.* 33. cujus ratio est; quia leges tum publicae, tum privatae directe feruntur in subditos, imperator autem nec sibi, nec imperio subditus est, igitur legibus publicis quoad vim directivam directe obligari non potest.

167

Superest ergo, ut iisdem legibus vi directiva solum obligetur indirecte, quatenus scilicet ad legum istarum observantiam ultro in ipsa legum earumdem constitutione se obligat, ut patet ex *recess. imp. de anno* 1500. alisque recessibus: imo eas servaturum ante coronationem jurata sponsione promittit, prout liquet ex capitulationibus hactenus usitatis. Neque obligatio haec caesareae majestatis fulgorem diminuit, cum spontanea illa sit, atque ad exemplum aliorum utilissima, contrarium vero periculosum ex Platonis sententia, qui *lib.* 4. *de ll.* non dubitat dicere, *interitum parari illi civitati, in qua non lex magistratibus, sed magistratus legibus dominantur.* Mulz. *p.* 1. *c.* 12. §. 4. *et seqq.* Hermes *fasc. c.* 3. *a n.* 31. D. ab Andlern. *l.* 1. *tit.* 3. *p.* 2. *n.* 16. *et* 24. P. Schmier *n.* 35.

168

Quaeritur 8. utrum imperator leges publicas mutare possit? *Certum videtur I.* ipsum solum non posse has leges in totum abrogare, vel ex parte eisdem derogare, quippe quas ipse solus non sanxit: cum ergo de statuum imperii sancitae sint placito, sine horum consensu videntur tolli non posse, praesertim cum ad eas observandas jurisjurandi religione sese obstrinxerit imperator. Hermes *fasc. jur. publ. c.* 1. *q.* 5. *n.* 30. Weizenegger. *dissert. jurid. de imperat. c.* 7. *n.* 11. magnif. P. Schmier. *de jur. leg. c.* 6. *n.* 36.

169

Certum videtur 2. posse leges publicas ex parte, vel etiam in totum mutari ab imperatore, accedente consensu statuum imperii; nam *omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, ut dicitur *c. omnis* 1. *de R. J.* Igitur sicut imperator has leges publicas cum statuum consensu edidit, ita de eorundem statuum consensu tollere, vel mutare easdem potest. Hermes *l. cit. n.* 30. P. Schmier *n.* 37.

170

Certum videtur 3. posse imperatorem cum uno, vel altero in legibus publicis dispensare, si dispensatio ista in praejudicium imperii non vergat; cum enim talis dispensatio nullo jure prohibita reperiatur, permissa censeri debet. Hermes. *c.* 11. *n.* 76. *et seq.* p. Schmier *n.* 38.

171

Dubium est inter dd. utrum ipsemet imperator sine consensu statuum in casu extremae necessitatis, vel maximae utilitatis mutare possit ea, quae in sua capitulatione, vel alias se servaturum promisit? Quod dubium videtur solvi posse distinguendo inter casum extremae necessitatis, et maximae utilitatis.

172

In casu extremae necessitatis videtur imperator posse hujusmodi mutationem facere, ut docet d. Vvollern *q.* 2. et approbat p. Schmier

n. 39. 1. quia non videtur mens ista fuisse aut imperatoris, aut statuum, ut obligatio servandi has leges ad hujusmodi casum perrigeretur, quippe quae tali casu potius noxia, quam proficua imperio foret. 2. nulla lex hominem in casu necessitatis extremae obligat, quippe cum necessitas legem non habeat, ergo nec leges publicae tali casu imperatorem ligabunt. 3. capitulationes imperatoriae casum necessitatis clare excipiunt, ut eas legentibus perspicuum fiet; nam postquam ibi recensentur varia negotia, quae sine ordinum imperii consensu peragi nequeunt, subjungitur: *Quodsi autem nos imperii causa bello impetamur, vel ipsum sacrum imperium bellum habeat, tunc possumus omnium statuum auxiliis uti.*

173

In casu utilitatis autem videtur, quod imperator hujusmodi mutationem facere sine ordinum consensu nequeat, ut cum *cit.* d. Vvollern sentit p. Schmier *n.* 44. ex duplici ratione. 1. quia hujusmodi leges, pactiones etc. se servaturum imperator promittit non solum in genere, sed etiam in specie cavet, quod in casu salutis, et utilitatis publicae, ubi statuum omnium consensus, et consilium exquiri nequit, saltem cum electoribus rem agere velit, ut videre est in *capitul. Leopold. et Joseph art.* 10. 2. quia concessa semel libertate a capitulatione sub utilitatis praetextu recedendi, jam non amplius ullus articulus foret a recessu tutus; semper enim obtenti posset utilitas, et sub istius pallio celari transgressio. *Excipiendum* videtur, si occasio se offerret recuperandi quidpiam eorum, quae imperio hactenus inique subtracta sunt, et ea occasio elaberetur, si statum consensus deberet peti, et expectari: tum enim, ut notat Mulz. *repraesent. majest. p.* 2. *c.* 5. *n.* 20. dubitandum non foret, quin imperator studium augendi imperium ipso actu testari, et consensum statuum, qui tali casu indubitatus est, anticipare possit.

§. VI.

De jure civili privato.

SUMMARIUM

174 *Definitio juris privati, et differentia ab aliis juribus.*
175 *Varium est in variis provinciis.*
176 *Aliud est jus civile merum, aliud mixtum.*
177 *Aliud commune, aliud particulare.*
178 *Scriptum, et non scriptum.*
179 *Et scriptum quidem ulterius dividitur in civile in specie, et prætorium.*

180 *Prætorium adjuvat, restringit, et extendit jus civile.*
181 *Et hujus rigorem temperat.*
182 *Jus civile oritur ex jure naturali.*
183 *Cui aliquando addit aliquid.*
184 *Aliquando detrahit.*
185 *Romanum cœpit ab Urbe condita.*
186 *Primum jus scriptum apud Romanos fuerunt leges xii. tabularum.*
187 *Accessit successu temporis interpretatio jure consultorum.*
188 *Diversi codices, ac demum id, quod hodie extat, corpus juris authoritate Justiniani confectum est.*
189 *Juris Justinianæi authoritas florere in Italia cœpit sæculo 12.*
190 *In Germaniam ante sæculum 15. traslatum non est.*
191 *Sub cujus finem expresso consensu imperatorio praescriptum est assessoribus camerœ.*
192 *Quam sanctionem dein secuti sunt Germaniæ ordines.*
193 *Tres ultimi codicis justinianæi libri non ita recepti sunt.*
194 *Partes jus civile romanum componentes.*
195 *Alia jura, quæ in corpore juris civilis continentur.*
196 *Jura non inserta huic corpori.*
197 *Pandectarum etymologia, et alia nomina.*
198 *Origo, et authoritas.*
199 *Compilatores, et annus compilationis, ac promulgationis factæ.*
200 *Partes, et numerus librorum, ex quibus componitur.*
201 *Institutionum nomen, et tempus, quo editæ sunt.*
202 *Habent vim juris.*
203 *Divisio in libros, et titulos.*
204 *Authoritas inscriptionum.*
205 *Varii dantur codices.*
206 *Justinianæus alius est primæ, alius repetitæ prælectionis.*
207 *Authoritas legum codici insertarum.*
208 *Et authenticarum, quæ ibi leguntur.*
209 *Novellæ quid?*
210 *Variæ istarum versiones.*
211 *Author illarum, et tempus, quo editæ sunt.*
212 *Ratio quare vocentur Authenticæ.*
213 *De his novellis notandæ.*
214 *Authoritas 13. edictorum Justiniani, et aliorum jurium, quæ post novellas ponuntur.*
215 *Feudorum jus consuetudinarium est.*
216 *Libri, quibus jus istud continetur, et authoritas illorum.*
217 *Speculum Saxonicum, et Suevicum.*
218 *Prævalet jus feudale romanum.*
219 *Quæ sit juris istius observantia.*
220 *An in justinianæi juris voluminibus sit admittenda aliqua antinomia?*

174

Quaeritur 1. quid sit *jus civile privatum?* Resp. *jus civile privatum* definiri potest, quod sit jus positivum, authoritate principis, vel magistratus saecularis conditum, et ad singulorum civium temporalem utilitatem immediate, directe, et principaliter ordinatum. Ita quoad sensum dd. communiter. Bonitas hujus definitionis patet; quia distinguit hoc jus ab omni alio jure, quod sub terminis definiti non comprehenditur. Nam 1. differt a *jure naturali;* quia ejus obligatio pendet ab authoritate humana, est unius tantum civitatis, aut populi, est mutabile, etiam in totum, quatenus est ex parte sua. Vallens. *proem.* §. 6. *num.* 2. 2. a *jure gentium;* quia hoc moribus introductum est; istud majorem sui partem legibus constat: illud gentes omnes, aut fere omnes obligat; istud eum duntaxat populum, vel civitatem, qui juris-

dictioni conditoris subjectus est : illud vicinius naturali , sanctius , et mutationi minus obnoxium est ; istud vero magis mutabile etc. 3. a *jure civili publico ;* quia hoc immediate . directe , et principaliter respicit utilitatem publicam ; illud autem privatam singulorum civium. 4. a *jure canonico* , quia jus canonicum dimanat a potestate ecclesiastica , et dirigitur ad bonum spirituale , etc.

175

Porro ejusmodi jura civilia privata plura sunt, quippe atheniensium, lacaedemoniorum , longobardorum , francorum etc. moderno tamen usu, et per antonomasiam juris civilis nomine venit jus romanum §. *sed jus* 2. *inst. de J. N. G. et C.* Intellige stante dubio , ac nisi aliud ex contextu pateat. Valens. §. 6. *cit. n.* 1. Alio nomine jus romanum *jus quiritum* vocatur ; quia romani , *quirites* dicebantur , vel a *quirino* , quod alterum Romuli nomen fuit *can. fin. dist.* 1. *et* §. *sed jus cit.* sumptum ab ingenti ipsius hasta , quae sabinorum lingua *quiris* vocabatur juxta gloss. *in* §. *sed jus cit.* vel Curibus sabinorum urbe Quiritum nomine mutuato. Livius *lib.* 1. Plettenberg. *introd. ad jus can. c.* 3. *num.* 4.

176

Quaeritur 2. quotuplex sit jus civile privatum ? Resp. varias hujus juris divisiones afferri a variis. 1. enim dividi potest in *jus civile merum* , quod ex mera civili ratione excogitatum est : cujusmodi sunt variae leges apud romanos , veluti lex 12. tabularum , qua parte solos filiosf. admittebat ad haereditatem paternam ; Item lex Poppaea , Flavia , Voconia , Falcidia , Fusia , Caninia , et aliae. Et in *ius civile mixtum* , quod de jure naturali , et gentium participat. Muller. *ad Struv. exerc.* 1. *th.* 55. *lit. A.* cum aliis.

177

2. Dividitur in jus commune , et particulare. *Juris communis* nomine veniunt illa jura , quae in imperio considerato , ut est una respublica , ab impp. statibus imperii vel expresse sancita , vel usu recepta , et approbata , generaliter vigent , omnesque ejusdem cives , et subditos , obligant , vulgo *communia imperii jura* , *recessus* , *et consuetudines* , quo pertinet jus Caesareum , commune scriptum , recessus, et ordinationes imperii , quae ab imperatoribus germanicis statuum suffragio in comitiis sunt latae , et promulgatae in quantum illae utilitatem singulorum immediate spectant ; nam in quantum pro fine suo immediato habent utilitatem publicam , juxta dicta *n.* 158. *et* 163. ad jus publicum pertinent. *Particulare jus* autem dicuntur jura illa , quae in particularibus imperii rebusq. seu territoriis , civitatibus etc. vi superioritatis constituta , vel usu introducta sunt , et unius solum provinciae, vel civitatis imperialis subditos ligant , vulgo *provincialia statuta* , *consuetudines principatuum* , *dominiorum* , *statuta tribunalium* , *et parti-*

cularia locorum ; cum enim non omnia omnibus convenire possint ob regionum , morumque diversitatem , et leges ad Resp. non ista ad leges accommodandae sint , hinc factum , ut singulae pene civitates , et communitates jus sibi proprium habeant. Vallens. *proem.* §. 6. *num.* 1. Talia jura sunt austriacum , bavaricum , saxonicum , tirolense etc. Eo etiam reducitur *jus municipale* , quo utuntur alicujus civitatis incolae, *jus militare* , quod ad disciplinam militarem spectat ; item *statuta*, quae a collegiis , mercatoribus , campsoribus fiunt , et ipsos duntaxat obligant. Analogice vero (quia jus legale non constituunt) ad jus particulare spectant *jus paternum* , quod pater habet ad filium , *herile* , quod dominus ad servum , et *oecumenicum* , quod vir ad uxorem. s. Thom. 2. 2. *q.* 57. *art.* 4. Imo mutuum etiam consensum duarum privatarum personarum in privato contractu factum , appellare possumus jus particulare ; nam talis consensus sufficit ad jus aliquod inter duos constituendum. s. Thom. *l. cit. art.* 2.

178

3. Dividitur jus civile privatum in scriptum , et non scriptum. Haec divisio a causa instrumentali desumpta est ; legislator enim voluntatem suam vel expresse manifestat publice legem promulgando , aut connivet , ut usu jus aliquod introducatur. *Primo modo* declarat , voluntas facit jus scriptum ; scribere enim leges est sive scriptura , sive per praeconem , sive alio modo jus futurum manifestare : *Altero modo* fit jus non scriptum. *Jus* ergo *scriptum* est jus expressa sanctione in republica viventibus latum , ac promulgatum *l. leges* 9. *C. de LL. jus* vero *non scriptum ,* quod non est authoritate publica expresse praeceptum , sed moribus solum utentium receptum , et tacite comprobatum §. *sine scripto* 9. *inst. de J. N. G. et C. l. de quibus* 32. §. *inveterata* 1. *et l. sed et ea* 35. *ff. de LL.* De jure scripto dicetur *infra libr.* 1. *tit.* 2. de non scripto *libr. eod. t.* 4. Potest autem , ut *n.* 114. monui , utrumque jus scripto excipi ; neque enim jus scriptum ita dicitur , quod litteris consignatum , sed quod praescriptum , et sancitum sit ; sicut nec leges a legendis legum tabulis dictae sunt. Nam leges , et jura solum scribuntur , ut sic diutius conservetur eorum memoria : ac proin scriptura non ad essentiam juris scripti, sed ad modum illius dumtaxat pertinet ; nam Imperator dicendo legem condit. Arum. *exerc. ad inst.* 1. *th.* 16. Dreutler. *vol.* 1. *select. disp.* 1. *th.* 5. *lit. B.* Struv. *ad ff. exerc.* 2. *th.* 2. Muller. *ad Struv. ibid.*

179

Porro jus civile scriptum subdividitur in civile in specie ita dictum, et in praetorium *l. jus autem* 7. *ff. de J. et J.* ubi etiam definitio illorum traditur ; nam *jus civile,* ut ibi Papinianus loquitur , *est, quod ex legibus , plebiscitis , Senatus consultis , decretis principum , authoritate prudentum venit. Jus praetorium vero est, quod praetores*

introduxerunt, adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia, propter utilitatem publicam: quod et honorarium dicitur, ad honorem praetorum sic nominatum. Ad civile ergo jus, prout istud praetorio opponitur, pertinere censentur, quae per legem 12. tabularum, plebiscita, Senatus consulta, responsa prudentum, aut principum placita definita sunt, et ideo *legitimam causam habere* dicuntur; illa vero, quae nullis legibus definita sunt, sed *ex praetoris* tantum *jurisdictione substantiam capiunt* et per ipsius edictum ex aequis, ac naturalibus tantum causis sunt proposita, ad *jus praetorium* spectant §. *sed istae* 3. *inst. de action.* Ex duplici hoc jure duplex nascitur actionis genus, *actio civilis* videlicet, et *praetoria;* et prior quidem ex jure civili, posterior vero ex praetorio descendit: ubi notandum, ut sciatur, ad quale genus ex his duobus actio aliqua pertineat, considerandam esse ipsius actionis originem; nam, licet praetor de re, vel negotio quodam judicium dederit, si eo nomine de jure civili quoque actio competit, non statim praetoria censenda est, cum illa a praetore non sit introducta, sed solum approbata, veluti est actio commodati, quam approbavit praetor *l. ait praetor* 1. *et l. in commodato* 17. *ff. commodat* Schneidw. *ad* §. *sed istae cit. n.* 11. magnif. D. Verlohner *de action. obs.* 4. *n.* 3.

180

Tria igitur circa jus civile jus praetorium, ut ex *l. jus autem cit.* habetur, facit; adjuvat enim illud, restringendo corrigit, et extendendo supplet. *Adjuvit* praetor jus civile, casus comprehensos ad faciliorem exitum perducendo, ut factum est §. *sunt autem* 1. *inst. de bonor. possess.* ubi bonorum possessionem secundum tabulas decernit ex causa testati scriptis haeredibus, et in causa intestati liberis, et aliis legitimis haeredibus dat possessionem, quae vocatur *unde liberi, unde legitimi.* Forster. *de success. l.* 2. *c.* 28. Muller. *ad Struv. exerc.* 2. *th.* 4. *lit. A. restringendo correxit,* dum casus, verbis generalibus comprehensos, ob aequitatem quasi subduxit, et admisit, quod jure civili generalibus verbis vetitum videbatur. Exempla hujus rei passim occurrunt: e. g. filiusfamilias jure civili videbatur teneri ex mutuo, cum eodem jure non reperiatur exceptus; Praetor vero illi dedit exceptionem Senatus cons. Macedoniani. Item legibus 12. tabularum sui tantum ad successionem ab intestato vocabantur, excludebantur vero emancipati, sive non sui; Praetor etiam istos per aequitatem admittit ad bonorum possessionem, quae eundem pene effectum habet cum haereditate civili, et sic corrigit jus civile strictum, vel rescindit dando bonorum possessionem contra tabulas. Muller. *l. cit. lit. B. extendendo supplevit* jus civile, casus omissos pro comprehensis habendo, uti factum est, quando actionem in factum, vel subsidiariam dat, aequitate id flagitante *l. quia actionum* 11. *ff. de prae-*

script. verb. item quando dat bonorum possessionem in causa testati secundum tabulas posthumo alieno instituto. Muller. *l. cit. lit. G.* Ex causa intestati vide quinque exempla apud Forster. *l.* 2. *cit. c.* 27. *n.* 3. *et seqq.*

181

Quia igitur rigorem legum in hunc modum aequitate temperabant, praetores, hinc factum, ut edicta ipsorum non a populo tantum recepta, sed etiam ab Impp. fuerint approbata; imo postquam haud amplius praetoribus licuit jus aliquod introducere, edicta prius ab ipsis edita, Imp. sic jubente, a Juliano in corpus juris relata sint: post quam relationem eadem edicta, seu jus praetorium vim legis, aut constitutionis nactum videtur, in multis tamen partibus distincta a jure civili natura juri praetorio relicta est, ut proin jus praetorium, et actiones inde descendentes, etiam post novam Justiniani promulgationem, et hodiernam receptionem priorem suam naturam retineat. Wesnhec. *ad* §. 7. *num.* 6. *inst. de J. N. G. et C.* Muller. *loc. cit. lit. D.*

182

Quaeritur 3. unde originem suam jus civile deducat? Resp. Juris civilis origo ab ipsarum Rerump. ortu, et ex jure naturali, ac gentium deducitur, non per modum conclusionis, sed per modum determinationis, aut arbitramenti humani; namque illud non ratio absoluta constituit, sed homines pro arbitrio sibi sanxerunt, prout ad vitae, et reip. usum id conferr. censebant. Muller. *ad Struv. exerc. c.* 1. *th.* 57. *lit. A.* Unde factum, ut quemadmodum Ulpianus *l. jus civile* 6. *ff. de J. et J.* monet, *jus civile neque in totum a jure naturali, vel gentium recedat, neque per omnia ei serviat,* sed ei vel *addat*, vel *detrahat.*

183

Addit autem his juribus aliqua modo triplici. 1. constituendo quaedam, ut magis adstringantur cives ad juris naturae, et gentium praecepta servanda: quo referendae nonnullae ulteriores prohibitiones graduum, nec non solemnitates jure civili proditae in matrimoniis, ubi tamen jus hoc civile non aliter obligat, quam quatenus cum canonico jure concordat. 2. ea, quae jure naturae, et gentium non sunt definita, determinando per illationem aliquam a primis principiis remotiorem: Sic jus naturae et gentium volunt, ut sontes puniantur, non autem praescribunt, quo genere poenae; sed jus civile determinationem hanc facit, ut si latro, e. g. sit, puniatur gladio, vel rota, si fur, laqueo. Pirhing. *Proem. n.* 12. *pr.* cum aliis. 3. actus, ex jure naturali, vel gentium provenientes, ad usum temporalem reip. ex rationibus civilibus ita formando, ut adjiciat iis substantialia, quibus non observatis, actus, utpote forma illa praescripta destitutus, sit nullus, et ita quidem, ut nec in conscientia quis ad ipsum servandum sit obli-

gatus *l. non dubium* 5. *C. de LL. l. si unus* 12. *C. de testam. et tot. tit. C. de praed. minor.*

184

Detrahit vero jus civile juri naturali, et gentium non quidem aliquid jubendo, quod in se, et ex natura sua illicitum est, vel prohibendo, quod licitum, sed ea jura ob circumstantias personarum, et rerum saepe limitando: quod facit 1 ex ratione politica non assistendo juri naturae, ita scilicet, ut ex justa quadam ratione vim, et effectum deneget alicui actui, qui alias, secluso ejusmodi jure positivo haberet effectum: ut cum filiof. dat exceptionem Senatus consult. Macedoniani contra mutuatarium, cum mulieri concedit beneficium Senatus consult. Vellejani contra fidejussionem a se interpositam, cum pacto nudo denegat actionem civilem etc. 2. permittendo nulla, quod conditio rerum humanarum non aliter ferat, ut cum marito permittit occisionem adulterae, vel adulteri deprehensi in adulterio, cum laesus infra dimidium non defendit concessas ipsi actiones etc. quibus casibus jus civile talia non positive approbat, sed permittit solum, et cujusque conscientiae relinquit, atque ideo illum, qui talia contra jus naturale agit, et in conscientia de illo convictus est, non absolvit. 3. ob causas praegnantes, atque in reip. commodum, libertatem, jure gentium, et naturali datam, restringendo, ut fit in donationibus, quas jus civile ad certam summam restringit, et pro excessu insinuationem apud judicem postulat. Grotius *de jur. bell. et pac. l.* 2. *c.* 2. *n.* 5. Struv. *ad ff. exercit.* 1. *th.* 58. Pirhing. *n.* 12. *cit. vers. interdum.*

185

Quaeritur 4. quando jus civile romanum sit conditum? Resp. Hoc jus temporum successu conditum, perfectumque est; initio enim, ut *l. necessarium* 2. §. *et quidem* 1. *ff. de orig. jur.* traditur, populus romanus a Romulo urbis conditore, et primo rege sine lege certa, et jure certo, pro arbitrio solum gubernabatur. Aucta dein civitate, et populo in XXX. partes diviso, quae *curiae* appellatae sunt, ab ipso Romulo, populo per 30. suas curias convocato certae leges, quae propterea *curiatae* dicebantur, sancitae sunt, quas postea Numa Pompilius, et ceteri ejusdem successores auxerunt, et propterea *regiae* vocatae sunt: atque istas temporibus Tarquinii, sextus Papirius juris consultus in unum volumen collegit, cui a compilatore *juris civilis papiriani* nomen est inditum *l. et* §. *cit.* Lauterbach *ad ff. de orig. jur.* §. 1. Hoc jure aliquandiu regebatur populus, usque dum tandem expulsis regibus, etiam leges hae regiae cum regia potestate exolevere.

186

Sublatis his legibus, aliquamdiu populus romanus utebatur incerto jure, et consuetudine maxime: quia vero sic publica tranquillitas diu consistere non poterat, authore Titio Romilio, viro consulari, seo

consultum factum, plebiscito confirmatum, de extraneis legibus colligendis. Missi ergo ad hunc finem in Graeciam, legibus, et bonis moribus tunc florentissimam, sunt viri, teste Pomponio *l. necessarium* 2. §. *postea* 4. *ff. de orig. jur.* decem, Livio vero *libr.* 3. et aliis historicis apud Lauterbach *ff. eod.* §. 2. tres, nim. Spur. Posthumus, A. Manlius, et Sev. Sulpitius Camerinus, qui leges Solonis, aliorumque Graeciae sapientum conscriberent. His post biennium reversis, centuriatis comitiis A. U. C. 301. Decemviri ex ordine senatorio creati, iisque negotium datum, ut leges a Graecis mutuatas, in certam formam, et ordinem arbitratu suo distribuerent. Confectum negotium istud ab ipsis intra anni spatium est opera, et consilio Hermodori Ephesii, qui tum forte in Italia exulabat, ac tandem leges ita collectae, facta prius potestate inspiciendi, et censendi omnibus, eboreis primum, ut vult Pomponius *l. cit.* §. 2. vel ut Dionysius, Livius, et alii AA. ferunt, aereis tabulis incisae sunt. Decem primum hujusmodi tabulae erant, quibus cum deesse aliquid animadverteretur, sequenti anno aliae duae tabulae adjectae, et ita ex accidenti leges istae *leges XII. tabularum* sunt appellatae: ab initio pro rostris propositae, postea in capitolio asservatae, quas Livius *l.* 3. *c.* 34. fontem omnis publici, privatique juris, et absolutum corpus omnis romani juris appellat, et Cicero sub persona Crassi *lib.* 1. *de orat.* omnibus philosophorum bibliothecis anteponit. Frantzk. *ff. de orig. jur. n.* 10. *et seqq.* Lauterbach *ibid.* §. 2.

187

Quia vero successu temporis animadversum est, quod his legibus 12. tabularum non omnes casus comprehensi existerent, iisdem accessit interpretatio juris consultorum quae *jus civile* communi nomine dicebatur, et per se quidem authoritatem juris non habebant, tacito tamen consensu populi abierunt in mores *l. necessarium cit.* §. *his legibus* 5. *et* §. *ita* 12. *pr. ff. de orig. jur.* Dein eodem fere tempore a juris consultis ne populus, prout vellet, actiones institueret, compositae sunt certae, solemnesque actiones, et praescripta iisdem solemnis formula, quae *actiones legis*, seu *legitimae actiones* appellabantur *l. cit.* §. *deinde* 6. *et seqq.* Supervenerunt *plebiscita*, seu sancita plebis, prout haec a Patritiis, et Senatoribus distinguebatur. *l. cit.* §. 8. Addita *Senatus consulta*, i. e. jussa, et ordinationes Senatorum *l. cit.* §. 9. Secuta *edicta praetorum*, qui juri dicundo praeerant: quo *jus honorarium* ab honore praetorum vocatum est *l. cit.* §. *eodem* 10. Tandem, cum rebus ita dictantibus, necessum esset, reip. per unum consuli, constituto principe, data est ei potestas, ut quod constituisset, ratum esset *l. cit.* §. *novissima* 11. unde *principis constitutio*, seu *placita principum*. Hi postea juris consultis licentiam respondendi solemniorem concesserunt, et hinc *responsa prudentum*, a quibus judici recedere non licebat §. *responsa* 8. *inst. de J. N. G. et C.*

188

Memoratis juribus cum successu temporis alia, et alia semper accederent, in immensum fere excrescebat eorum moles, adeo ut duo pene millia librorum, et plusquam trecenties decies millia versuum haberent. *Const. tanta* §. 1. *de confirm. digest.* Lauterbach *proleg.* §. 2. *n.* 2. Julius Caesar primum cogitationem suscepit copiam legum adeo immensam, et diffusam in paucissimos libros colligendi. Sed quia talia meditantem, et agentem mors oppressit, intentionem ipsius dein assumpsit Hadrianus imp. qui opera Salvii Juliani, juris consulti summae authoritatis, praetorum edicta, in unum volumen collecta, digessit, quod opus *edictum perpetuum* appellabatur. *Conf. tanta* §. 18. *de conf. digest. c. tanta* 2. §. 18. *C. de V. J. enucl.* quod edictum postea interpretati sunt, et commentariis suis illustrarunt Papinianus, Ulpianus, Paulus, Gajus, Scaevola etc. Interea jam ab Augusto, et successoribus variae constitutiones promulgatae sunt, quas usque ad Constantinum M. Gregorius, et Hermogenes juris consulti privata potius, quam publica authoritate collegerunt: unde *codices Gregorianus*, et *Hermogenianus*. Hos subsecutus Theodosius minor anno Christi 401. constitutiones principum, praecipue christianorum, nim. Constantini, et posteriorum uno volumine est complexus, quod ex ejus nomine *codex Theodosianus* appellatur. Sed quia magna pars juris in prudentum responsis, et scriptis posita, item novellae constitutiones ipsius Theodosii min. aliorumque principum sequentium deerant, et insuper in tribus istis codicibus multa iterata, multa inter se pugnantia, multa denique usu, et legibus posterioribus abrogata continebantur, ideo Justinianus imp. occasionem sumpsit perficiendi istud, quod, ut dixi, Julius Caesar, aliique sibi proposuerunt, et opera praesertim Treboniani, aliorumque sedecim juris consultorum usus, jus universum ex tanto librorum numero, in certum quoddam corpus, distinctum in libros suos, redegit. *l. tanta* 2. §. *quae omnia* 9. *C. de V. J. enucl.* Lauterb. *ad ff. de orig. jur.* §. 7.

189

Quaeritur 5. quando jus Justinianaeum recipi in scholis, et foro coeperit? Resp. Tempore Justiniani per totum imperium legis in modum observari debuit: post ejus mortem authoritas illius successu temporis valde est diminuta. Crescere autem iterum coepit saeculo 12. circa Lotharii imp. tempora, ubi Irnerius, postquam diuturno studio in legum romanarum explicationem incubuit, ostensa illarum aequitate, et prudentia singulari, comitissae Mathildis denique hortatu, et jussu, Bononiae scholam publicam instituit, ibique leges istas profiteri coepit: cujus exemplum deinde cum sequerentur Bulgarus, Martinus, Jacobus, Hugo, maxime illarum prae aliis usus invaluit, adeo ut leges illae non tantum docerentur in scholis italicis, sed etiam recipi

in foro coeperint. Italiam dein saeculo 13. secuta est Gallia, et Hispania. Conring. *tr. de orig. jur. germ. c.* 21. 22. 23. *et* 24. Struv. *ad ff. exerc.* 2. *th.* 34.

190

Quando Germani has romanas leges receperint, incertum est. Volunt aliqui, eas in scholas pariter, ac fora reductas esse Lotharii tempore etiam in Germania. Sed verior sententia est, jus istud ante saeculum 15. in Germaniam translatum non fuisse, ad cujus initium, cum in eadem Germania conderentur academiae, iisque professores, ex Italia acciti, praeficerentur, hinc factum est, ut ipsae academiae ad exemplum italicarum se componerent, et jus istud primo reciperetur in scholis germanicis, dein etiam practicaretur in foro imperii germanici, consensu saltem tacito imperatorum, ac statuum Germaniae, ejus professionem in scholis publicis, et usum in foro admittentium; neque enim ullo imperii publico decreto jus illud prima saeculi praedicti aetate in Germania receptum esse doceri potest, prout erudite ostendunt Conring. *de orig. jur. germ. c.* 20. *et seqq. c.* 32. *et* 33. et *in disp. de jud. reip. germ. th.* 59. Christ. Lehmann. *in chron. spir. l.* 4. *c.* 21. *p.* 327. *fin.* Lauterbach. *proleg. ad ff.* §. 1. *num.* 13. Struv. *ad ff. exerc.* 2. *th.* 35. Muller. *ibid. lit. G.*

191

Iste autem consensus expressus videtur accessisse, quando in ordinatione camerae imperialis, Maximiliano I. regnante, anno 1496. assessoribus, juramento ipsis praescripto, manifeste injunctum est, ut secundum jura communia, romana scilicet, judicent: quod ipsum jus deinde per alias imperii constitutiones confirmatum, approbatnm, et juris communis appellatione insignitum est *ord. cam. de anno* 1500. §. *ordinamus, statuimus, V. secundum jus Caesareum scriptum. Edict. Norimb. de anno* 1521. *V. differmiter juribus vel contra jura ordin. cam. de anno* 1555. *p.* 1. *tit.* 13. §. 1. ibi *secundum communia jura imperii*, et *p.* 2. *tit.* 3. §. *fin.* ibi *ordinamus, et statuimus, ut . . juxta jura communia, observetur ordinatio. Statuta politica de anno* 1577. §. 17. ibi, *quoniam ejusmodi contractus in comunibus juribus rigorose prohibiti sunt:* et alibi passim.

192

Hanc igitur publicam sanctionem plurimi, ac singuli Germaniae ordines post sensim, et separatim, liberrimo tamen semper arbitratu, secuti sunt, ita, ut hodie dum non tantum in dicta camera imperiali, sed etiam in reliquis imperii provinciis quoad decernendos processus, et causas decidendas jus istud vigeat; cons. qui hodie in nostro imperio lege Justinianaea nititur, licet ejusdem observantiam non probet, causam nihilominus tamdiu fundatam habet, donec adversarius monstret jus posterius, vel statutum contrarium. Lauterb. *proleg.* §. 2. *num.* 14.

193

Id tamen hic noto cum Struv. *exerc.* 2. *cit. th.* 36. discrimen aliquod faciendum esse inter jus romanum privatum, quod de causis, et negotiis privatis disponit, et inter publicum, quod, ut *num.* 156. dixi, potissimum habetur in libris posterioribus codicis; nam istud, quia non ita ad statum imperii romani hodierni quadrat, non similiter, ut privatum, receptum est: aliqua tamen, quae scilicet nostra resp. romano germanica cum antiqua romanorum communia habet, inde commode applicari possunt, ut ipse usus hodiernus docet.

194

Quaeritur 6. quot partes contineat jus commune romanum, seu corpus juris civilis romani? Resp. Quatuor praecipue partes continet, scilicet volumina pandectarum, institutionum, codicis, et novellarum: quae omnia volumina collecta sunt, ut dictum est, ex diversis juribus; nam eo collectae *leges*, quas populus, patritiis, ac senatoribus connumeratis, *plebiscita*, quas plebs, exclusis senatoribus, et patritiis, *senatus consulta*, quae senatus, *principum placita*, quae solus princeps, *praetorum edicta*, quae praetor, vel aedilis, *responsa prudentum*, quae juris consulti constituerunt §. *constat autem* 3. *inst. de J. N. G. et C.*

195

Praeter haec jura eidem juris corpori inserta inveniuntur plura alia. Et 1. quidem edicta 13. a Justiniano, necessitate exigente, proprio motu promulgata; et quaedam aliae ejusdem, uti et Justini Augusti, filii ipsius adoptivi, ac Tiberii impp. novellae constitutiones: quae tamen, quia magis prisco illi, quam moderno aevo accommodata sunt, non omnibus juris imperialis editionibus inserta inveniuntur. 2. Novellae constitutiones imperatoris Leonis: sed istae, quia publicatae sunt, occidente jam ab orientis imperio avulso, in occidente vim plenam juris authentici non obtinent; deferri tamen illis quandoque solet, cum Justinianaeo juri non contradicunt. 3. Consuetudines feudales ex moribus longobardicis, et quibusdam imperatorum, praesertim germanorum constitutionibus desumptae: harum duo libri vulgo circumferunt: Cujacii vero editio in quinque libros easdem distribuit.

196

His corpori juris communia insertis accesserunt denique alia jura, et constitutiones, quae vim juris perpetui in imperio romano germanico hodie habent, quamvis in dicto juris communis corpore non sint clausae: et talis est inter alias *constitutio criminalis*, de modo procedendi in judiciis publicis, et plerorumque criminum poenis, a Carolo V. et imperii ordinibus in comitiis augustanis, et ratisbonensibus promulgata anno 1530. et 1532.

197

Quaeritur 7. quid sint *pandectae? Resp. Pandectae* graecum nomen quasi *omni capientiam* significat. Datum hoc nomen isti juris civilis parti est, quod omne jus antiquum contineat §. *igitur* 4. *proem. inst. l. tanta* 2. §. *omnia* 1. et *l. dedit nobis* 3. §. *et piissimas* 1. *C. de vet. jur. enucl.* Appellantur etiam *digesta*, a forma nempe, quod scilicet confusa prudentum argumenta in justum modum digesta sint, per *ll. citt.* Quandoque etiam dicitur *codex juris enucleati*, prout fit *l. DEO authore* 1. §. *itaque* 11. *et seq. C. eod.* cujus nomenclationis ratio esse potuit, quia pandectae prae reliquis juris libris non tantum habent leges, sed et negotiorum definitiones, et divisiones; imo totam juris artem suppeditant, cum codex cum novellis decidendis controversis, et praxi magis sit accommodatus. Hahn. *ad Wesenbec. tit. de J. et J. pag.* 8. *fol.* 2. Lauterbach *proem.* §. 4. *num.* 2. Plettemberg *intr. jur. can. c.* 4. *n.* 1. alii.

198

Desumptae sunt pandectae ex veterum maxime probatorum juris consultorum libris, responsis, et immensis antiquae jurisprudentiae voluminibus: in quibus quia heterogenea exoleta, et aliquando etiam sibi pugnantia tractabantur, pandectarum compilatores pro arbitrio multa adjecerunt, multaque detraxerunt, et haec omnia olim licite: quod tamen hodie sine crimine falsi non amplius fieri potest *l. Deo authore* 1. §. *sed in hoc* 7. *l. tanta*, 2. §. *tanta autem* 10. *et* §. *haec igitur* 19. *C. de vet. jur. enuncl.* nam imperator omnia, quae in volumine hoc continentur, sua fecit, *nemine audente comparare ea, quae antiquitas habebat, cum his, quae* (Justiniani, cujus jussu compilatio facta est) *authoritas introduxit, ut* §. *tanta autem cit.* dicitur, et hoc adeo quidem, *ut si aliter fuerint apud veteres conscripta, in contrarium autem in compositione* (digestorum) *inveniantur, non scripturae, sed* (ipsius imperatoris) *electioni hoc adscribatur* §. *sed in hoc cit.* neque imposterum liceat *in judiciis, vel in alio certamine, ubi leges necessariae sunt, ex aliis libris, nisi ex* (Justiniani) *institutionibus, digestis, et constitutionibus ab ipso compositis aliquid vel recitare, vel ostendere, nisi temerator velit falsitatis crimini subjectus, una cum judice, qui eum audientiam accomodaverit, poenis gravissimis laborare.* Frustra igitur aetas, qua juris consulti veteres, et in digestis laudati vixerunt, in subsidium vocatur, aut ex singularibus legum inscriptionibus, et locis, unde desumptae sunt, conciliatio petitur; quia responsa ista vim legis non ex authoritate juris consultorum, sed ex voluntate imperatoris, ea pro lege sua habentis, acceperunt. Lauterbach *proem.* §. 5.

199

His pandectis septem, et triginta juris consulti symbolas contulerunt, ex quorum verbis, et responsis digestorum leges, velut centones, consarcinatae sunt, ut ex Bud. *in pandect.* notat Plettenberg §. 4. *cit. num.* 1. Compilatores fuerunt Trebonianus, Constantinus, Theophylus, Dorotheus, et alii clarissimi viri, quorum nomina referuntur *l. tanta* 2. §. *quae omnia* 9. *C. de vet. jur. enucl.* Compilatae sunt anno imperii Justiniani quarto, Christi 530. promulgatae 17. cal. jan. anno 533. legum authoritatem acceperunt simul cum institutis 3. cal. jan. seu 30. dec. ejusdem anni, prout videre est *const. tanta* §. *fin. et const. dedit nobis* §. *fin. de confirm. digest.* Lauterbach *proem.* §. 4. *n.* 6.

200

Distinxit haec digesta, secundum ordinem edicti perpetui conscripta, ipse Justinianus in septem partes, prout patet ex *l. tanta* 2. §. *omnia* 1. *fin. et* §§. *seq. C. de vet. jur. enuncl.* Interpretes autem postea, nim. Bulgarus, et coaetanei diviserunt in tres tantummodo. Primam a libr. 1. usque ad finem libri 24. vocarunt *digestum vetus*, quod ceteras partes antecedat. Secunda incipit a libr. 25. terminatur in libr. 38. et dicitur *digestum infortiatum*, vel potius *infartiatum*, quod inter vetus, et novum medium sit, ac quod fortissimas leges contineat. Reliqui duodecim libri componunt partem tertiam, quae *digesti novi* nomen accepit. Struv. *ad ff. exerc.* 1. *th.* 68. Adeoque digesta continent libros omnino 50. ex quibus cum lex aliqua allegatur, denotari solet signo *ff.* de quo Gothofred. *in not. ad rubr. const. de concept. digest. lit. G.* haec habet: *Cur digesta in hunc modum ff. veteres pinxerint, frustra quaeritur ab Alciato; notariorum, enim inventum est, quod plerumque nullam habet rationem.* Alii originem istius refundunt in eorundem notariorum, et librariorum inscitiam, vel imperitiam, initiali pandectarum litterae ante usitatae ff. sufficientium.

201

Quaeritur 8. quid sint *institutiones? Resp. institutiones*, alio nomine *instituta*, sunt quoddam juris compendium, ex variis antiquorum institutionibus, et praecipue ex commentariis Caji, item ex digestis, et codice Justinianaeo antiquo, aliisque novis constitutionibus, jussu, et authoritate Justiniani, opera Treboniani, Theophili, et Dorothei confectum, *ut sint totius legitime scientiae prima elementa*, prout loquitur imperator *proem. inst.* §. *igitur* 4. *fin.* Compositione digestis sunt posteriores, promulgatione autem priores; nam in publicum editae sunt anno Christi 533. 11. cal. decemb. adeoque 25. diebus ante pandectas: confirmatione tamen sunt pares; quia legis institutionum, et digestorum una 3. cal. jan. eodem anno vim juris, et vigorem ab imperatoria authoritate acceperunt *const. tanta* §. 25. *et ult. const.*

dedit nobis dedit §. 23. *et ult. de confirm. digest.* Lauterbach *proleg. digest.* §. 3. *n.* 5. *et* §. 8. *n.* 1. clariss. D. Franz. *proem. inst. n.* 13.

202

Habent institutiones vim juris indubitato, prout patet ex *proem. inst.* §. *quare ex omnibus* 6. ibi: *plenissimum constitutionum nostrarum robur eis accomodavimus.* Unde errat Wisenbach. *D.* 1. *ad inst. n.* 8. dicens, eos duntaxat institutionum testus habere authoritatem juris, qui pandectis respondent et codici; saepissime enim imperator se refert ad latiores libros, et codicis constitutiones, quae tamen saepe non extant, prout fit §. *sed nec* 27. *inst. de legat. et* §. *tripli* 24. *inst. de action.* Quare, si aliquid in institutionibus contineatur, quod in aliis non reperitur, propterea neutiquam id rejiciendum, sed merito pro jure sumendum, atque servandum est. Lauterbach §. 3. *cit. n.* 4. et videatur Cujac. *l.* 11. *obs.* 38. ubi varia producit loca singularia, quae in institutis quidem, non vero in aliis voluminibus reperiuntur. Ratio est, quia omnibus institutorum textibus imperator authoritatem juris accommodavit, constitutiones vero, ad quas ibi se refert, credendum est, vel ab eodem imperatore in reliquis juris voluminibus esse data opera omissas, vel casu, et culpa deperditas. Hoc verum est, quod in casu, quo in institutis generaliter quid proponitur, si textus ille reperiatur in digestis, vel codice, interpretationem, limitationem, explicationem ex his accipiat, prout vice versa leges digestorum explicantur per instituta.

203

Dividuntur institutiones in 4. libros, et 99. titulos, quorum singuli suas habent inscriptiones, et rubricas, authore ipso Justiniano additas, quae proin in genere, tanquam authenticae jus faciunt, et ad causarum decisiones valide allegantur, modo perfectam contineant orationem. Perfecta autem oratio plerumque incipit a particula *ut, vel ne*, et certum aliquid fieri praecipit, vel prohibet, e. g. *Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur; Ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat; Ne liceat in una, eademque causa tertio provocare; Nemini licere signum Salvatoris Christi humi vel in silice, vel in marmore aut sculpere, aut pingere; Ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat etc.* Sed hujusmodi inscriptiones, quae orationem integram faciant, et per se ad causarum decisionem aliquid tribuant, in institutis reperiuntur nullae, paucae in ff. et cod. quae autem in his reperiuntur, in tantum decisive allegari possunt, ut si sint generales, per nigrum specialius non restringantur, hoc vero per illas potius amplietur, modo nigro, seu textui non sint contrariae; tum enim illi magis standum erit, quam rubricae. Carpzov. *p.* 1. *const.* 27. *def.* 4. *n.* 5. Berlich *p.* 3. *concl.* 5. *n.* 25. Lauterb. *proleg.* §. 3. *n.* 6.

204

Inscriptiones autem paragraphorum in institutis, quae in nonnullis exemplaribus apparent, sunt interpretum, aliter, quam in digestis, ubi unusquisque eorum, qui author legis fuit, in honorem antiquitatis, Justiniano authore, inscriptus est. *Const tanta* §. 10. *de confirm. digest.* Inter hos autem legum authores unus altero potior non habetur, nec Papiniano cedit Ulpianus, vel alius quidam: et sic abrogata est *l. un. cod. Theod. de respons. prud.* ubi Papinianus singulis aliis juris consultis praefertur. Lauterb. *l. cit. n.* 7.

205

Quaeritur 9. quid intelligatur nomine *codicis?* Resp. Ut dictum est *n.* 188. codicum nomine variae legum, et constitutionum imperatoriarum compilationes veniunt, scilicet codex Gregorianus, codex Hermogenianus, codex Theodosianus, et codex Justinianaeus. De Gregoriano, et Hermogeniano fragmenta quaedam supersunt. Theodosianus adhuc fere integer superest, licet hoc uti imperator prohibuerit. *Const. cordi nostri* §. 4. *et* 5. *de emend. cod.* Interim tamen DD. quidam hodierni codicis textus saepius ex illo, aeque ac ex historia veteri explicare, et emendare solent: quod improbat *Contius*, nebulones appellans, qui ex codice Theodosiano augeant, vel emendent hodiernum Justinianaeum; quem sequitur *Alciatus*, qui codicem Theodosianum, hodie superstitem, dicit magis Alarici regis, quam Theodosii esse, eumque mendis scatere.

206

Codex Justinianaeus duplex est, primae, et secundae, seu repetitae praelectionis. *Primae lectionis* est, quem Justinianus ex Gregoriani, Hermogeniani, et Theodosiani codicum, aliorumque imperatorum constitutionibus concinnatum, a suo nomine Justinianaeum dixit, et tertio imperii sui, Christi vero 529. anno 7. id. apr. promulgavit; et hic est ille codex, cujus in institutis saepius fit mentio, quo tamen hodie destituimur. Lauterbach *proleg.* §. 5. *n.* 2. *secundae, seu repetitae lectionis codex* Justinianaeus est, quem laudatus imperator post volumina hactenus recensita jam edita, ad eundem fere cum institutis, et pandectis ordinem anno imperii septimo, Christi 534. 16. cal. dec. seu 16. novembr. vulgavit: et hic juris authoritatem accepit eodem anno 4. cal. jan. sive 28. decembr. Lauterb. *l. cit. n.* 5. In isto codice idem Justinianus ex priori codice nonnullas constitutiones detraxit, et alias novas addidit: quem etiam solum observari imposterum voluit, ut habetur *const. cordi nobis*, §. *repetita* 5. *de emendat. cod.* Atque hic intelligitur, quando codex a juris consultis citatur. Dividitur in 12. libros, quorum tamen tres ultimi, tractantes de jure publico, teste *Riccio* apud Lauterb. *l. cit.* diu post editi sunt, et in scholis explicari non solent.

207

Codici huic adjectae sunt constitutiones aliquae ab Antonio Augustino, Contio, et Cujacio quae ceu spuriae communiter juris authoritate destituuntur, nec etiam in illis casibus, qui legibus expresse decisi non sunt, tanquam authenticae in foro allegari possunt. Pro talibus haberi debent, quae vel in veteribus exemplaribus non reperiuntur, et ab Accursio, aliisque Glossatoribus non sunt illustratae glossis; vel diverso, et majori signantur numero, sic *XXXVI. XXXIX. XL. in cod. tit. de episc. et cler.* Item *XVII. et XVIII. tit. de episc. audient.* Non tamen omnes hoc diverso notantur numero, e. g. *l.* 3o. *et quatuor sequent. tit. eod.* ideoque Gothofredus, qui talia in notis admonere solet, inspiciendus erit. Similiter juris authoritate carent leges codicis, quae promanant ex libris basilicis; novas enim hasce pandectas 6o. libris distinctas, post digesta Justiniani annis plusquam 3oo. Basilius Macedo imp. et eo mortuo Leo Philosophus ipsius filius fabricati sunt. Continent hi libri inutilia, et supervacanea multa: in occidentali imperio nunquam fuerunt recepti, et pandectis Justiniani restitutis, omnem ubique authoritatem deperdiderunt. Et idcirco neque hodie pro authenticis habentur, aut allegantur. Lauterb. *proem.* §. 5. *n.* 7.

208

Eidem codici insertae leguntur aliae adhuc particulae, minusculis litteris expressae, quae vocantur *authenticae.* Et his plures Friderici imp. authoritate adjectae sunt, quae propterea *authenticae Friderici* audiunt. Hae per se non aliter, ac authenticae Justiniani legum authoritatem habent: et tales sunt *aut. item nulla, et auth. statuimus de episcop. et cler. auth. habita ne filius pro patre etc. Auth. cassa de ss. eccl. auth. sacramenta, si advers. vendit. auth. navigia de furt.* Aliae vero, et quidem plurimae ab Irnerio, seu Wernero juris consulto, qui anno Christi 1137. claruit, ex novellarum volumine privata authoritate adjectae sunt. Tales sunt *auth. quas actiones de ss. eccles. auth. sed judex de episc. et cler. auth. hodie de judic. auth. quod sine de testam. auth. ex causa de liber. praeterit. auth. excipitur de bonis, quae liberis etc. auth. quod ita de duob. reis, auth. bona damnatorum de bon. proscript. etc.* de istis authenticis communis doctrina est, quod, quotiescumque authentica aliqua in codice ex novella desumpta discrepat ab ipso textu novellae, toties magis sit standum novellae, quam authenticae, cum originali sit potius habenda fides, quam copiae, seu exemplo *l. quicumque 2. ff. de fid. instrum.* Nullam itaque vim, et vigorem juris per se habent istae authenticae, sed ad fontem semper recurrendum, illeque sequendus est, ut post *Hilliger. Umm. Bice Alb. Gentil. Hunn. Stephan. Kleinschmid, Sixtinum*, et alios notat Lauterbach *proleg.* §. 5. *n.* 10. Muller. *ad Struv.*

exerc. 1. *th.* 68. *lit. S.* Clariss. D. Widmont *pandect. praelim. resol. num.* 40. Wiestner *proem. n.* 71. Reiffenstuel *ibid. n.* 169. Dissentit tamen Besold. *Dissert. de lib. jur. c.* 5. *vers. sed sunt* Berlich. *p.* 2. *decis.* 257. *n.* 44.

209

Quaeritur 10. quid nomine *novellarum* veniat? Resp. Hoc nomine venit volumen novarum constitutionum Justiniani, quas idem imperator diversis temporibus pro causarum emergentium varietate tam suppletorias, quam correctorias promulgavit, atque ex his unum singulare volumen confici jussit. Volumen istud *novellarum* nomen accepit; quia novissime post codicem Justinianaeum sunt promulgatae: et hinc etiam *jus novissimum* dicitur. Continent *autenticas collationes* novem, quae suos in titulos, tituli in capita, et capita quandoque in §.§. distinguuntur. Summa omnium novellarum hodie extantium sunt 168. Rittershus. *proem. expos. meth. novell. c.* 1. *n.* 8. Lauterbach *proleg.* §. 6. *n.* 1.

210

Pleraeque graece fuerunt compositae, exceptis paucissimis, ut novel. 9. 11. 23. 62. 143. 150. quae originaliter latine, conscriptae sunt. Graecus textus diu latuit, quem Gregorius Holoander Zwickaviensis in lucem produxit. Versionis latinae novellarum interpretes sunt Julianus epitomator, vetus ille Anonymus, Agyleus, et Contius. *Prima editio* est Juliani. *Secunda* est semibarbara illa, in qua multae novellae desunt, quas ex graecis libris suppleverunt Holoander, et Scrimgerus: verterunt autem, tandem Henricus Agylaeus, et Antonius Contius. *Tertia* latina versio est Gregorii Holoandri, quae Norimbergae primum 1531. prodiit, dein alibi etiam, maxime Antuerpiae 1575. recusa est: accesserunt denique supplementa Agylei, et Contii, quae post novellas in corpore juris communis adjectae reperiuntur. Muller. *ad Struv. exerc.* 1. *th.* 68. *lit. T.*

211

Novellarum authorem communis sententia facit Justinianum: existimat tamen Balduinus *in protheoria de novell. constit.* quam fecit Lovanii anno Christi 1541. harum Justiniani constitutionum plures fuisse scriptores quod etiam indicare videtur diversitas Graecanicae phraseos, et stylus subinde varians. Nonnullas etiam novellas tam Justini secundi, quam Tiberii, qui huic Justino successit, cum novellis Justinianaeis commisceri annotaverunt Cujacius, Agylaeus, Rittershusius apud Muller *loc. cit.* Justinianeae non uno, et eo tempore, sed successive, necessitate sic postulante, ab anno imperii Justiniani octavo usque ad 38. ejusdem, Christi 565. vitae dicti imperatoris ultimum conditae, et promulgatae sunt. Dies illis in hoc volumine nullus additur, prout is adscribitur aliis legibus codicis: sed nec ordo tempo-

ris, quo editae sunt, observatur; nam temporis compositiones posteriores subinde ordine fiunt priores: et sic novella 23. antecedit compositione novellam 20. licet numero istam sequatur; idem accidit in novella 50. quae tempore praecedit novellam 41.

212

Vocantur novellae etiam *authentici* nomine, ad differentiam epitomes, in quam novellas contraxit Julianus Patritius, vir eloquentissimus; et civitatis Constantinopolitanae antecessor; *authenticum* enim, ab authoritate praestanda dictum, est id, unde alia exempla, et copiae transumuntur *l. quicumque* 2. *ff. de fid. istrum.* Respectu hujus igitur epitomes, tanquam exempli, et transumpti liber iste novellarum constitutionum *authentici* nomine recte insignitus est, utpote ex quo epitomen illam suam Julianus, veluti ex fonte, et originali transcripsit, et quodammodo abbreviavit. Wesenbec. *in oecon. novell. pr.* Spekkan *in exeges. jur. univ. in Protheor. th.* 19. Muller. *l. cit. lit. y.*

213

De his novellis tria notanda veniunt. 1. Versio latina vulgaris hodie recepta est, neque ab illa recedere licet, etiamsi textus graecus ostendatur esse alterius sensus. Ricius *de libr. jur.* §. 62. Muller. *ad Struv. exerc. cit. th.* 69. *lit. Æ.* 2. Tres novellae ultimae, nimirum 166. 167. 168. quas Cujacius adjecit, in foro nullius sunt authoritatis. Gentil. *de libr. jur. c.* 6. Muller. *l. cit.* reliquae vero, quas veteres glossis, et commentariis non illustrarunt, sed Holoander demum edidit, authoritatis sunt dubiae, et controversae. Gentil. Ricc. Muller. *l. cit.* 3. quando sibi invicem contrariantur novellae, tunc posterioribus cedunt priores, quae non ex serie, sed ex subscriptione judicantur. Lauterbach *proleg.* §. 6. *num.* 4. Et sic novella 53. et 74. per novellam 117. item novella 95. et 119. per novellam 127. et denique novella 106. per novellam 110. est immutata.

214

Tredecim Justiniani edicta, quae novellis istis subjiciuntur, et aliae Justini, Tiberii, et Justiniani constitutiones illis annexae in foro, et quoad causarum decisiones omni juris authoritate destituuntur. Quod etiam dicendum de novellis Leonis, constitutionibus imperatoriis, quae illas sequuntur, et de libris basilicis, licet aliquid contineant, quod jure recepto decisum non est: quod pluribus authoritatibus probat Lauterbach *concl. forens. exerc.* 1. *th.* 11. *et* 12. quidquid in contrarium dicat Arumaeus; sanctioni enim illarum communiter nihil AA. tribuunt, licet multum tribuendum sit aequitati, et rationi, si in illa fundantur. Albert. Gentil. *l.* 1. *de nupt. c.* 6. Lauterbach *proleg.* §. 6. *num.* 6.

215

Quaeritur 11. quid censendum de libris feudorum? Resp. Hi praedictis juris civilis partibus accesserunt, et jura feudalia, quae a ve-

teribus *jura militaria* solebant appellari, continent. Juris istius origo in consideratione generali gentium, in speciali vero Longobardorum moribus vulgo adscribitur, quamvis Maurit. *pos. jur. feud. contr. dec.* 1. *th.* 4. 6. *et* 7. velit, ejus ortum ex Germania repetendum. Prima ejus hinc inde desumpta collectio *l.* 2. *feud. tit.* 1. 23. *et* 25. tribuitur Oberto de Ordo, et Gerhardo Capogisto, seu nigro, consulibus mediolanensibus. Pro jure tamen non scripto, et mere consuetudinario etiam post collationem istam habetur; quia numquam ab imperatore publica quadam sanctione, sed tacito tantum generali consensu a saeculo 15. hucusque approbatum creditur. Lauterbach. *proleg.* §. 7. *n.* 3. Vallens. *proem.* §. 6. *n.* 2. Reiffenstuel *ibid. n.* 170.

216

Communiter duo numerantur feudorum libri, primus, et secundus quibus in corpore juris additur alius qui appellatur *quintus* de feudis, confectus a Cujacio ex variis diversorum impp. feudalibus constitutionibus. Textus eorum in Germania, tanquam inveterata consuetudo, plenam habent authoritatem juris, nisi vel pacto investiturae, vel particulari curiarum consuetudine aliud receptum sit. Lauterb. *l. c.* principia nonnulla sumunt ex jure romano, alia ex constitutionibus principum, quaedam ex decretis pontificum. Struv. *Synt. jur. feud. c.* 1. *aphor.* 5. *n.* 3. *et* 5. Lauterbach. *l. cit.* Distinguendum tamen est inter *capita ordinaria*, et *extraordinaria*; nam posteriora, quae incipiunt *a tit.* 58. *de notis, feudorum libr.* 2. exclusive usque ad *libr. V.* quia ex Ardizone, et Alvaroto a Cujacio privata solum authoritate adjecta sunt, pro apocryphis habentur, solent tamen allegari in casibus, ubi cum capitulis ordinariis conveniunt, vel ad istorum explicationem faciunt: ibi vero, ubi continent casum in ordinariis non decisum, vim juris nullam habent; cons. allegari pro jure nequeunt. Struv. *l. cit. aphor.* 7. *n.* 10. Strik *exam. jur. feud. c.* 1. *q.* 22. Lauterb. *l. cit. n.* 5.

217

Meminerunt DD. duplicis alterius juris feudalis, quod olim in Germania nostra obtinuisse credunt, scilicet *jus Saxonicum, et Svevicum,* quae postea in certa specula redacta sunt, *Saxonicum* ex usu magis, quam verbis speculi aestimatur. Eo deficiente, etiam in provinciis, ubi Saxonicum hoc receptum est, jus Romanum observatur, et quandoque etiam ex hoc jure illud explicatur; nam quod de jure Saxonico expresse constitutum non est, id sub juris communis dispositione relinquitur. Hartm. Pistor. *l.* 1. *q.* 32. *n.* 8. Carpz. *p.* 2. *const.* 16. *def.* 15. *n.* 8. Lauterbach. *proleg.* §. 2. *n.* 9. An *Svevicum* unquam receptum fuerit, non immerito dubitatur: de quo vide Struv. *Synt. jur. feud. c.* 1. *aph.* 5. *n.* 5. Conring. *de orig. jur. Germ. c.* 3. *p.* 135. Vitriar. *inst. jur. publ. l.* 1. *tit.* 6. *n.* 5. *p.* 64.

218

Interim his, et aliis juribus feudalibus, nisi contrarium receptum alicubi usu sit, praestat jus feudale romanum, seu illud, cujus capitula in corpore juris communis extant; nam jus istud in constitutionibus imperii receptum, atque ad illud in recessibus saepenumero provocatum est, prout constat *reformat. polit. de anno* 1548. *tit.* 3. ibi: *recess. imper. Erfurt. de anno* 1567. §. *Et postquam, etc.* Rhet. in *comment. jur. feud. p.* 10. *et seqq.* Lauterbach *proleg.* §. 7. *n.* 6.

219

Quoad observantiam hujus juris cum Marant. *p.* 3. *specul. n.* 22. *et seqq.* notat Vallens. *proem.* §. 8. *n.* 12. imprimis servandas esse particulares cujusque provinciae circa feuda constitutiones: iis cessantibus, servandum jus consuetudinarium feudorum: et si casus occurrat, qui in eo non est decisus, recurrendum ad jus commune, maxime de usufructu, et emphyteusi, arguendo de simili ad simile; dissentientibus vero jure civili, et canonico, recurrendum potius ad canonicum, cum ratione juramenti, quod a vasallis in investitura praestatur, ad hoc jus materia ista pertineat.

220

Quaeritur 12. an in relatis Justinianaei juris voluminibus necessario admittenda sit aliqua antinomia? *Certum est* 1. si imperator cum imperii statibus, emendatis, et transformatis hucusque usitatis juribus, alium, atque recentiorem codicem juberet confici, et hunc approbaret, annexa conditione, ut post definitum tempus jus inde redderetur, et omnia tanquam sua ex ultima hac editione valere deberent, talem codicem jus fore novum, et juri Justinianaeo, imo et ipsis recessibus imperii derogaturum; nam ejusdem potestatis est ferre leges, et latas abrogare.

221

Certum est 2. si recessus imperii conferantur cum jure Justinianaeo, et textus voluminum priorum Justinianaei juris conferantur cum dispositionibus novellarum, has juri Justinianaeo priori, et istis recessus imperii derogare; nam in recessibus a jure Justinianaeo, et in novellis a priorum voluminum dispositionibus non raro discessum est, prout nemo facile inficiatur, et constat de novellis *novell.* 1. 4. 18. 118. *etc.* imo aliquando una novella posterior alteram priorem abrogat. Struv. *exerc.* 1. *th.* 69. Muller. *ibid. lit. A.* Lauterbach *proleg.* §. 8. *num.* 2. et ostensum est *num.* 213.

222

Certum est 3. in uno, eodemque libro (novellis exceptis) non esse admittendam antinomiam, ne eodem quasi tempore contradictoria dixisse legislator videatur: unde disparitas est cum novellis; nam hae non uno, et eodem tempore, sed diversis, ut *num.* 210. notavi, editae

sunt. *Excipitur*, nisi aperta, et manifesta sit correctio, uti de 50. decisionibus Justinianaeis passim DD. perhibent, quae in codice positae, ipsas leges codicis reformare possunt, ac communiter ex eo dignosci solent, quod habeant subscriptionem, *Lampadio, et Oreste consulibus;* inscriptionem *ad Joannem*, vel *Julianum PP.* et additum annum regiminis Justiniani: quodque ab initio referant dubia, et altercationes juris consultorum. Videantur magnif. D. de Bassis *in* 50. *decisionibus*, magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *proem. inst. q.* 9.

223

Controversia igitur solum est, an ejusmodi antinomia sit admittenda, si repetitae praelectionis codex, pandectae, et instituta inter se invicem conferantur? Negant non pauci cum *Duareno, Arumaeo, Zasio, Harprech, Frantzkio*, qui proinde has juris partes ab omni contrarietate absolvunt. His patrocinari videtur Justinianus ipse, nihil legibus contrarium in codice inveniri asserens *l. DEO authore* 1. §. *nulla* 8. ibi, *nulla utique in omnibus praedicti codicis membris antinomia aliquem sibi locum vendicet; sed sit una concordia, una consequentia, adversario nullo constituto C. de vet. jur. enucl.* quod ipsum repetit *l. tanta* 2. §. *contrarium* 15. *et l. fin.* §. *contrariam* 15. *C. eod.*

224

Alii vero, cum diffidant, textus omnes inter se conciliari posse, cum *Ant. Matthaei, Budaeo, Cujacio, Connano, Donello, Bocero, Besoldo, Perez, Wissenbach, Manzio, Carpzovio, Barchovio, Eckold*, quos sequitur Lauterb. *proleg.* §. 8. *num.* 2. *et duob. seq.* Muller *ad Struv. exerc.* 1. *th.* 69. *lit. B.* magnif. P. Schmier *tr. de jur. legal. c.* 7. *num.* 21. libere admittunt, codicem derogare pandectis: unde dicunt, in foro, ubi codex a digestis dissentit, juri codicis, tanquam posteriori, et sic potiori standum esse *arg. l. fin. C. de constit. princ.* Idque verum esse affirmant non tantum quoad leges posteriori codici demum adjectas, sed etiam quoad illas, quae in priori, et primae praelectionis codice jam extiterunt. Lauterbach *concl. for. exerc.* 1. *th.* 13. *lit. B.* quod etiam testatur imperator *novell.* 158. *c.* 1. et aliis rationibus confirmat Hunnius *tr. de auth. et interpret. jur. l.* 1. *c.* 3. *q.* 1.

225

Exempla occurrunt complura; sic enim 1. jure ff. matrimonium solvitur deportatione *l. si quis* 56. *ff. solut. matrim.* quod correctum est *l. matrimonium* 1. *c. de repud.* et *l. res uxoris* 24. *C. de donat. int. vir. et uxor* 2. Jure digestorum, si mutus, aut surdus, ut liceret sibi testamentum facere, a principe impetraverit, valet testamentum *l. si mutus* 7. *ff. qui facer. testam. poss.* quod emendatum est per *l. discretis* 10. *C. tit. eod.* ubi surdo tantum, aut muto tantum

libera datur potestas testandi, neque requiritur licentia impetrata a principe. 3. Jure ff. liberi omnia bona tam adventitia, quam profectitia, in patris haereditatem conferre necesse habebant *l. hic titulus* 1. *pr. ff. de collation.* secus est hodie propter *l. fin. C. eod.* 4. jure ff. ut liberi sint legitimi, aut ingenui, et conceptionis, et partus tempus inspicitur *l. et servorum* 5. §. *ingenui* 2. *ff. de stat. hom.* jure codicis autem non conceptionis, sed partus tempus inspicitur *l. nuper* 11. *C. de natural. liber.* 5. jure ff. tempus in integrum restitutionis concessae minoribus erat annuum duntaxat *l. interdum* 19. *ff. de minor.* quod corrigitur *l. fin. C. de temp. in integr. restit.* ubi etiam pro majoribus ex causa justa restituendis conceditur quadriennium integrum etc.

226

An vero institutiones digestis, et codici derogent, major est difficultas; quia ut *num.* 199. dixi, simul cum digestis legum authoritatem acceperunt, et ante codicem repetitae praelectionis, quo hodie utimur, ut *num.* 206. monui, promulgatae sunt. Sed difficultas ista videtur componi posse, si dicatur, quod institutiones non derogent digestis, quatenus sunt compendium juris per digesta proditi; derogent tamen secundum textus acceptos ex codice. Clariss. D. Joan. Sigism. Stapff. *quaest. ex univ. jur. q.* 1. *n.* 11. Ratio est facilis, et deducta ex dictis *num.* 224. quia eatenus, quatenus textus codicis continent instituta sunt jus recentius. Igitur sicut leges codicis derogant digestis, ita etiam instituta secundum textus sumptos ex codice.

227

Exempla hujus correctionis non pauca habentur; sic enim 1. jure digestorum tempus pubertatis incertum erat *l.* 49. *pr. et* §. 1. *cum seqq. ff. de legat.* 1. *l.* 34. §. 2. *ff. de legat.* 3. *l.* 101. §. 2. *ff. de condit. et demonstr. l.* 22. *ff. quando dies legat. eod.* In institutis, et codice tempus hoc definitum est, ut tempus istud incipiat in foeminis anno aetatis duodecimo, in masculis decimoquarto *pr. inst. quib. mod. tutel. fin.* et *l. fin. C. quand. tut. vel curat. esse desin.* 2. jure ff. minores poterant esse tutores *l.* 73. *pr. ff. de R. J.* aliud disponitur in institutis, et codice §. *item major.* 13. *inst. de excus. tutor.* et *l. fin. C. de legit. tutel.* 3. Jure ff. minima capitis diminutio extinguebat usumfructum *l. in singulos* 8. *ff. de ann. legat. l. si tibi* 4. *ff. quib. mod. ususfr. fin.* Secus est de jure institutionum, et codicis §. *finitur.* 3. *inst. de ususfr. l. corruptionem* 16. *C. eod.*

228

Aliquando tamen in institutionibus locus ex digestis, vel codice descriptus, ex illis vel restituendus, vel extendendus, vel restringendus est. Extendendus est *pr. inst. de ingen.* per *l. et servorum* 5. *ff. de stat. hom.* Restringendus est §. *religiosum* 9. *inst. de rer. divis.*

per *l. plures* 41. *ff. de relig. et sumpt. fun.* item §. 25. *inst. eod.* per *l.* 7. §. 7. *ff. de acquir. rer. domin.* item §. 30. *inst. eod.* per *l.* 37. *et* 38. *ff. de rei vindic.* Muller. *ad Struv. exerc.* 1. *th.* 69. *litt. E.*

229

Ad textus *num.* 223. allegatos responderi potest, a Justiniano quidem in mandatis datum esse Triboniano, et ejus in repetitae praelectionis codice adornando adjutoribus, ut leges abrogatas tollerent, et omnem contrarietatem abolerent; sed hujus mandati partes omnes non usquequaque impletas: quod merito veniam habet; nam *facile, atque opere in magno fas est obrepere somnum.*

Porro quis concedere legem civilem possit: qualem obligationem lex ista producat, quas personas obstringat, et plura alia videre est *infra lib.* 1. *tit.* 2.

§. VII.

De jure canonico clauso corpore juris communis.

SUMMARIUM

230 *Etymologia juris canonici.*
231 *Ejus diversa nomina.*
232 *Definitio.*
233. 234. *Præstantia super jus civile.*
235 *Hoc sæpe corrigit.*
236 *Sæpe etiam in subsidium vocat.*
237 *Originem sumpsit ab ipsis Apostolis.*
238 *Qui certos canones, seu leges ecclesiasticas statuerunt, fidelibus observandas.*
239 *Quibus additæ successu temporis sunt constitutiones apostolicæ, a Clemente conscriptæ.*
240 *Et jura alia.*
241 *Canonum collectiones sunt præcipue decem, prima Dionysii Exigui.*
242 *Secunda Fulgentii Ferrandi.*
243 *Tertia Martini Braccarensis.*
244 *Quarta Cresconi episcopi africani.*
245 *Quinta Isidori.*
246 *Sexta Brocardi, seu Burchardi: septima cardinalis deus dedit; octava Anselmi Mantuani.*
247 *Nona Ivonis carnotensis; decima hodierna.*
248 *Jus canonicum dividitur in scriptum, et non scriptum.*
249 *Scriptum in commune, et speciale.*
250 *Commune in contentum corpore juris canonici, et in positum extra illud.*
251 *Partes, seu volumina corpus juris canonici tria continet: primo decretum Gratiani.*
252 *Hujus decreti materia.*
253 *Dicitur concordantia discordantium canonum: et quare?*
254 *Alterum volumen constituunt V. libri decretalium Gregorii IX.*
255 *Olim non erant in corpore juris.*
256 *Tertium volumen constituit sextus decretalium, Clementinæ, et extravagantes.*

257 etc. *Quam authoritatem habeant canones apostolici?*
260 *Quis fuerit author decreti?*
261 *Quando istud in lucem prodierit?*
262 *An approbati juris ecclesiastici vim obtineat?*
263 etc. *Quid judicandum de paleis, quæ sub hoc nomine in decreto Gratiani reperiuntur?*
270 271 *Quæ sit authoritas epistolarum, in collectione Isidori comprehensarum?*
272 *Quoties facta sit compilatio decretalium?*
273 274 *Quis hodiernæ sit author, et quæ materia in hac tractetur?*
275 etc. *An omnes voluminis Gregoriani textus habeant vim juris ecclesiastici totam ecclesiam obligantis?*
279 etc. *An textus juris canonici omnes ab antinomia absolvi possint?*
282 *Quæ regula observanda, quando in jure canonico contrarietas canonum sese offert?*
284 *Quis sit author libri VI. decretalium?*
285 *Clementinarum?*
286 *Extravagantium?*
287 *Liber VII. decretalium duplex est: unus collectus a Petro Matthæi.*
288 *Alter typis impressus jussu Clementis VIII. sed non vulgatus.*
289 *Liber VI. decretalium, item Clementinæ, et extravagantes Joannis XXII. habent vim indubitati juris.*
290 *De extravagantibus communibus proponitur dubium.*
291 *Sed resolvitur affirmative.*
292 *Hinc in judiciis obtinent plenam fidem.*
293 *Quam vim habeat liber decretalium septimus.*
294 *Authoritas juris denegatur tam illi, quem Petrus Matthæi condidit*
295 *Quam posteriori Clementis VIII.*
296 *Quam authoritatem habeat rubrica præfixa titulis, et capitulis?*
298 *Quot modis allegari possint rubricæ?*
302 *Quam vim habeant summaria capitulorum?*
303 *Quid judicandum de superscriptionibus, quæ ponuntur in decretalibus?*
304 etc. *Quæ sit authoritas glossæ in interpretatione juris.*

230

Quaeritur 1. quid nominis sit *jus canonicum?* Res. *Jus canonicum* sic dicitur a voce graeca *canon*, quod latinis *regulam* denotat, ac proinde idem sonat, quod *jus regulare:* cujus nomenclationis causa est; quia collectum est ex canonibus, seu regulis, quas ecclesia proponit ad dirigendas actiones christiani populi in ordine ad felicitatem supernaturalem. Lancellot. *inst. jur. canon. l.* 1. *pr.* Tholos. *parat. jur. can. l.* 1. *tit.* 2. *c.* 2. Vallens. *proem.* §. 7. *n.* 2. Pirhing *ibid. n.* 14. Konig *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 38. Posset quidem hoc nomine etiam jus civile salutari; nam et ipsum regulas vivendi in republ. et cum civibus reipubl. statuit: antonomastice tamen titulus iste canonico juri debetur, cum et potestatem multo sanctiorem, et finem longe diviniorem, et formam regendi oppido tutiorem praesupponat, ut bene advertit magnif. p. Schmier *cap.* 5. *de jur. legal. n.* 1. tribus nomen hoc tribui solet, nimirum scientiae, quae jus istud docet, vel callet;

ipsis legibus, et regulis ecclesiasticis, quae jus istud objective constituunt; et denique volumini, seu (ut phrasis vulgata habet) corpori, in quo leges, et regulae hae continentur.

231

Habet autem plura alia nomina; Nam 1. vocatur *jus ecclesiasticum;* idque tum ratione materiaé; quia agit de rebus, et personis ecclesiasticis, quae praecipue hoc jure reguntur: tum ratione originis; quia nimirum authoritate ecclesiastica constitutum, ac confirmatum est. 2. appellatur etiam *jus pontificium*, utpote per summos Pont. Christi in terris vicarios pro bono regimine ecclesiae universalis, ac spirituali fidelium salute institutum, collectum, et approbatum, a quorum proinde voluntate, et authoritate vim legis, et juris habet. 3. dicitur *jus sacrum*, et canones, quos proponit, dicuntur *canones sacri*, prout videre est *c. nobis* 25. *fin. de jur. patron. et c. intelleximus* 1. *de nov. oper. nunt.* idque tum ab authore; sumit enim exordium a persona sacra: tum a materia; quia materias sacras tractat: tum a fine; quia dirigit ad finem sacrum. 4. aliquando *juris divini* nomine honoratur, prout observat Abb. *in c. qualiter, et quando* 24. *num.* 3. *de accus.* et patet ex *c. nimis* 30. *de jurejur.* ibi, *nimis de jure divino quidam laici usurpare nituntur*, et clarius ex *c. cum de diversis* 2. *de privil. in* 6. ibi *providimus, quod ibidem* (nempe apud sedem apostolicam) *de cetero regatur, et vigeat studium juris divini, et humani, canonici videlicet, et civilis:* quod etiam agnovit imperator, cujus verba *c. inhaerentes* 1. *de juram. calumn.* relata sunt haec: *Nos itaque (divinae, et humanae legis intentione servata) decernimus etc.* per illam intelligendo jus canonicum, et per hanc jus civile. Ratio hujus nomenclationis est, non quod vere divinum sit (est enim mere humanum, et ab homine conditum) sed quia vel continet quaedam excerpta ex ss. litteris, et in conciliis repetita *c. qualiter, et quando cit.* ubi dicitur, quod *ex authoritatibus veteris, et novi testamenti processerint canonicae sanctiones;* vel quia canones instinctu, et dono, aut gratia spiritus sancti dictati sunt *can. violatores* 5. *caus.* 25. *q.* 1. vel quia sunt conclusiones deductae ex principiis legis divinae *c. qualiter cit.* vel denique quia jus istud a pontifice, tanquam Christi in terris vicario, accepta ab ipso, cons. divina potius authoritate est constitutum, ut notatur *c. quanto* 3. *de translat. episc.* junct. *c. inter corporalia* 2. *eod.* ubi Abb. *num.* 5. notanter tradit, quod factum a papa, tanquam vicario DEI, censetur esse factum ab ipso DEO. Barbos. *in can. regula num.* 6. *dist.* 3. Gonzal. *in appar. de orig. jur. can. num.* 29. Plettenberg *intr. jur. can. c.* 5. *num.* 1. Vallens. *proem.* §. 7. *num.* 2. Pirhing *ibid. num.* 14. magnif. p. Schmier *tr. de jur. leg. c.* 5. *num.* 3.

232

Quaeritur 2. quid rei sit *jus canonicum?* Resp. *jus canonicum* definiri potest, quod sit jus positivum, quod a summis pont. constitutum, vel approbatum, ecclesiae traditum, fideles proxime ad cultum divinum, pacem, et justitiam christianam conservandam; ultimato autem ad aeternam beatitudinem, tanquam ultimum finem, consequendum dirigit. Ita quoad rem omnes. Dicitur 1. *jus positivum;* quia authoritate summorum pont. latum est, qui cum in ecclesia DEI supremi principis locum obtineant, ad eos spectat universales leges ecclesiae condere. Dicitur 2. *constitutum,* i. e. latum, et legitime promulgatum per decretales epistolas, rescripta, et constitutiones summorum pont. dicitur 3. *vel approbatum;* quia in jure canonico quaedam sunt desumpta ex decretis conciliorum tum generalium, tum provincialium, ex placitis principum saecularium, et ex sententiis SS. PP. quibus nisi accedat auctoritas summi pontificis, et hujus approbatio, vim legis, seu juris canonici non habent. Dicitur 4. *fideles;* quia qui extra ecclesiam sunt, non subjiciuntur regulariter huic juri, juxta Apostolorum 1. *corinth.* 5. *v.* 12. ibi, *quid mihi de his qui foris sunt, judicare?* Hinc infideles poenis spiritualibus non sunt coercendi, licet corporalibus subjici possint, si quae prohibita illis, aut in opprobrium christianae religionis faciant *c. in nonnullis* 15. *de judaeis.* Dicitur 5. *proxime ad cultum divinum etc.* quibus verbis indicatur finis tum proximus, tum ultimatus, et principalis juris canonici; nam ultimato intendit spiritualem, et supernaturalem beatitudinem, quam cum consequi nequeamus, nisi per actus religiosos, et ad cultum divinum ordinatos, istos pro fine immediato habet eos praecipiendo, contrarios prohibendo.

233

Ex quo infertur multiplex praestantia juris canonici supra jus civile; nam 1. praestat *origine;* quia promanat ab ipso Christo, et a potestate mere spirituali, Petro, ejusque in apostolica sede successoribus immediate a Christo communicata. 2. *universalitate;* quia obligat omnes christi fideles, per mundum universum sparsos *c. canonum* 1. *de constit. etc. omnes* 4. *de major. et obed.* totus enim orbis terrarum subest conditoribus hujus juris, Christo nimirum, ejusque in terra vicariis *can. cuncta* 17. *et can. seq. caus.* 9. *q.* 1. 3. *materia;* quia haec spiritualis est, vel spirituali annexa. 4. *fine;* quia intendit pro fine ultimo aeternam beatitudinem, et salutem animae spiritualem, ac supernaturalem, per vitae, et justitiae christianae opera obtinendam.

234

Contra jus civile 1. promanat a potestate prorsus seculari, profana, et a populo proxime collata, translataque in principes; sumpsit enim initium a legibus quibusdam curiatis, a lege 12. tabularum, ab

edictis praetorum, ut *num.* 185. *et seqq.* ostendi. 2. adstringit certum duntaxat populum, e. g. romanum, jus civile romanum etc. 3. materia illius mere profana est; quia profanae sunt res, personae, et actiones, circa quas versatur. 4. finis ejusdem est mere temporalis; quia spectat solum justitiam legalem, quietem reip. temporalem, et felicitatem naturalem. Abb. *proem.* num. 16. Suar. *l.* 4. *de LL. c.* 19. *a num.* 2. Plettenberg. *introd. jur. canon. c.* 5. *num.* 3. Vallens. *proem.* §. 7. *num.* 3. Vvestner. *ibid. num.* 80.

235

Hinc etiam est, quod plura principia, et regulas, a jure civili factas, canones ecclesiae vel corrigant, vel non admittant: uti sunt 1. quae rebus, vel personis ecclesiasticis praejudicium faciunt *c. consuetudines* 1. *de consuet. c. contigit* 1. *jurejur. in* 6. *c. fin. de immunit. in* 6. 2. quae statuunt aliquid motu proprio, et ex se de personis, aut rebus ecclesiae, licet id ecclesiarum commodum, et favorem respiciat *c. ecclesia* 10. *de constitut.* ubi statuitur, ut talia *nullius firmitatis existant, nisi ab ecclesia fuerint approbata;* et ratio datur; quia *laicis super ecclesiis, et personis ecclesiasticis nulla est attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi.* 3. quae decernunt aliquid in materia mere spirituali, e. g. voti, juramenti, sacramentorum etc. *can. si imperator* 11. *dist.* 96. ubi additur ratio; quia *ad sacerdotes DEUS voluit, quae ecclesiae disponenda sunt, pertinere, non ad saeculi potestates, quas, si fideles sunt, ecclesiae suae sacerdotibus voluit esse subjectas.* 4. quae sunt bonis moribus adversantia, et absque peccato exequi non licet: et sic leges civiles permittunt concubinatum, praescriptionem cum mala fide etc. quae tamen jus canonicum abominatur, quod istud praeter justitiam, puritatem etiam conscientiae intendat, cum e contrario jus civile solum attendat vitae civilis commoditatem, civium pacem, et litium detestationem. Plettenberg *num.* 3. *cit.*

236

Interim tamen etiam suus honor per jus canonicum stat legibus civilibus, quippe, quas in subsidium saepe SS. canones vocant, non tantum, ut ancillentur, Joan. Andr. *de nov. oper. nunt. num.* 2. sed etiam, ut sanctiones canonicae juris civilis subtilitate decorentur. Bald. *proem. decret.* plurimum namque *sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur,* ut dicitur *c. intelleximus.* 1. *nov. oper. nunt.* Imo multa pontificum decreta ex legibus civilibus pene ad verbum desumpta sunt: ideoque leges civiles in foro etiam ecclesiastico recipiuntur, atque etiam obligant in conscientia, si justae sint, et sacrae scripturae canonibus, et bonis moribus non repugnent. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 8. *num.* 9. Plettenberg. *c.* 5. *cit. num.* 4.

237

Quaeritur 3. unde originem trahat jus canonicum? Res. Hanc debet ipsis Apostolis, qui ad gubernandam ecclesiam, et stabiliendam, ac propugnandam evangelicam doctrinam, in caetus aliquoties coeuntes, varias sanctiones condiderunt, et promulgarunt: inveniuntur autem hujusmodi caetus ab Apostolis celebrati omnino quatuor, qui omnes habiti sunt Hierosolymis. *Primum* celebrarunt anno Christi 34. secundum *Baronium* in domo Mariae matris Joannis, ubi divina sorte s. Matthias suffectus est in locum proditoris Judae, *act.* 1. *v.* 15. *Secundum* instituerunt eodem anno, et loco, ubi ut satisfieret querelae Graecorum, i. e. Judaeorum ex Graecia, vel provinciis, ubi graece loquebantur, conquerentibus, quod viduae illorum despicerentur in quotidiano ministerio, ex septuaginta Christi discipulis electi sunt septem diaconi, non tantum, ut ministrarent mensis communibus, sed etiam ut altaris ministerio praeficerentur, et vivificum Christi sanguinem communicantibus praeberent, teste Justino *apol.* 2. Cyprian. *serm. de laepsis* et Ambros. *libr.* 1. *off.* *Tertium* congregarunt anno Christi 51. ubi statutum est, ut conversi ex gentibus non circumciderentur, neque alia lege ceremoniali judaica obligarentur, sed abstinerent solum ab immolatis simulacrorum, et sanguine, suffocato, et fornicatione. *act.* 15. *Quartum* convocarunt anno Domini 56. vel ut alii 58. in quo confirmata sunt decreta de gentibus ad fidem conversis superiore concilio statuta, et Judaeis credentibus permissus ad tempus est usus legalium, dummodo spem suae salutis in illis non collocent, ut nimirum synagoga paulatim cum honore sepeliretur, et non statim ut impia, et mortifera damnaretur. Gonzal. *apparat. jur. canon. a num.* 31. Pletenberg *introd. jur. canon. cap.* 11. *n.* 2. magnif. P. Schmier. *tract. de jur. legal. c.* 5. *n.* 29.

238

Decretis istis, quae juris canonici quaedam quasi initia erant, accesserunt successu temporis quidam alii canones, et leges ecclesiasticae, ab Apostolis conditae. Leges autem istae ab initio non statim fuerunt scriptis commendatae, sed traditionum instar in fidelium caetibus observatae; nam ut *Tertullianus* apud Gonzal. *loc. cit. n.* 40. allegatus ait, *prior fuit anima, quam littera; et sermo prior, quam liber; et prior sensus, quam stylus.* Postea vero hae ipsae leges a s. Clemente b. Petri discipulo et successore graece conscriptae sub nomine *canonum apostolicorum* sunt, quas denique Dionysius Scytha, Abbas romanus, cognomento *Exiguus*, vir suo tempore aestimationis summae, anno 526. tempore Justini imp. teste Cassiodoro *de divin. lect. c.* 33. apud Baron. *ad annum Christi* 102. §. *rursum vero* in latinum transtulit.

239

Canonibus apostolicis cum tempore successerunt *constitutiones apostolicae*, octo libris comprehensae. Quis earum author fuerit, multi dubitant, et adhuc sub judice lis est. Communiter dicuntur ab eodem s. Clemente fuisse collectae, quod etiam titulus praefert. Marca *concord. l.* 3. *cap.* 2. existimat, codicem istum erudito scriptori, qui tertio saltem saeculo floruerit, vindicandum. Hoc certum videtur, antiquissimum esse. Multa utilia constitutiones hae continent, magnoque in pretio apud veteres Graecos fuerunt, adeo, ut non dubitet Gabriel Albaspineus episcopus aurelianensis *l.* 1. *observ. c.* 13. quin olim ecclesia graeca eas pro legibus, manuali, pontificali, seu rituali, ut vocant, codice habuerint. Æthiopes quoque eos libros vere apostolicos aestimare, testis est Bellarm. *de script. eccles. in Clemente num.* 92. At vero a posterioribus Graecis in concilio trullano *can.* 2. tanquam ab haereticis depravatae rejiciuntur. Nec magnae sunt authoritatis in ecclesia latina, quod in iis naevi quamplurimi reperiantur, et ab haereticis graeculis multa perperam relata, nonnulla adulterata, atque corrupta fateantur *Baronius, Bellarminus, Petronius, Sirmondus, Petavius, Labbè*, aliique scriptores catholici, ut notat Plettenberg *introd. jur. can. c.* 11. *num.* 7.

240

Subinde cum insequentes ecclesiarum rectores, ad exemplum Apostolorum, in rebus dubiis, et controversiis vel synodi alicujus, vel pontificis summi definitionem exquirerent, plures aliae tum a conciliis, tum a pontificibus romanis constitutiones, decreta, et canones editi, ac promulgati sunt, qui, ne oblivioni traderentur, litteris consignati circumferebantur: et sic denique factum est, ut cum prioribus decretis semper adderentur alia, et alia nova, tandem moles illorum in immensum excreverit. Accessit difficultas alia; nam quia non alio, quam temporis, quo edebantur, conscripta sunt ordine, ipsa materiarum inter se non cohaerentium multitudo ingens memoriae fidelium, et ecclesiae praesertim rectorum negotium faciebant. Quare pro faciliori illorum notitia, et usu diversae tandem tum graece, tum latine conscriptae decretorum istorum collectiones sunt: de his proinde.

241

Quaeritur 4. quot diversae collectiones canonum, et a quibus illae conscriptae sunt? Resp. Decem omnino diversae numerantur. Et *prima* quidem confecta creditur a memorato Dionysio abbate romano circa annum Christi 527. graecis in idioma latinum translatis. Collectionem istam Nicolaus papa *can. si romanorum* 1. *dist.* 19. vocat *codicem canonum:* eum approbavit Leo IV. *can. de libellis* 1. *dist.* 20. et Adrianus I. pontifex circa annum 787. Carolo magno dono dedit, qui eos observari in Gallia, et capita decretorum in capitulare Aquis-

granense, anno 789. confectum, referri jussit. Sirmondus *tom. 2. concil. gall. ad annum christi* 787. In hac collectione Dionysius, vel alius ejus author praesulum sedis apostolicae constituta, incipiendo a Syricio usque ad Hormisdam, complexus est, et in aliquem redacta ordinem titulis suis distinxit, ut ipsemet testatur in epistola ad Julianum presbyterum: quibus deinde addita sunt decreta Gregorii II. Petrus de Marca *lib. 3. c. 3.*

242

Secundam saeculo eodem concinnavit Fulgentius Ferrandus diaconus ecclesiae Carthaginensis, in qua citantur solum, non recitantur canones diversorum conciliorum. Opus istud Cresconius in sua collectione *breviarium* appellat: ejus mentionem facit Gratianus sub nomine *breviationis canonum* post *can. sacrorum* 34. *dist.* 63., et Baronius *ad annum christi* 527. *n.* 87.

243

Tertiam sub annum Christi 571. et Honorii I. tempus partim ex synodis graecis, partim etiam ex latinis, praecipue toletanis, conciliis elaboravit Martinus ordinis s. Benedicti ex abbate monasterii Dumiensis ecclesiae Braccarensis episcopus, ex Pannonia oriundus, qui vivere desiit circa annum Christi 573. prout *Baronius* testatur. Approbavit hanc ejus collectionem concilium lucense II. celebratum anno 572. Canones in hac contentos in decreto suo complures posuit Gratianus sub nomine Martini papae, prout ostendit congerendo textus Antonius Augustinus *in Gratian. dial.* 10. 11. *et* 12.

244

Quarta, et trecentis capitibus constans collectio eodem fere tempore confecta, et sub nomine *concordia canonum*; vel *libri canonum*, ut est in MS. ad Liberium pontificem, data est a memorato Cresconio episcopo africano, teste *Baronio*. In hac idem Cresconius explicat, quibus synodorum, et epistolarum decretalium locis causae illae, quarum proponit titulos, tractentur. Plettenberg *introd. jur. can. c.* 11. *n.* 6.

245

Quinta authorem Isidorum habet, qui ex antiquorum pont. epistolis, et conciliorum canonibus, facto initio a canonibus Apostolorum, usque ad concilium hispalense secundum, quod celebratum est anno Christi 657. collectionem hanc suam confecit. Quis autem fuerit hic Isidorus, disceptatur. Aliqui illam tribuunt. s. Isidoro hispalensi episcopo; de quo tamen difficultas est 1. quia author hujus collectionis in opere hoc suo meminit concilii toletani II. habiti anno 975. et concilii VI. celebrati anno 681. adeoque scripsit quadraginta, et pluribus annis post obitum Isidori hispalensis, qui vivere desiit 636. 2. quia inseruit collectioni suae epistolas Gregorii II. et III. nec non Za-

chariae, qui post annum 700. in sede apostolica sederunt 3. quia haec collectio inter opera Isidori hispalensis a ss. Braulio, et Ildephonso, item a Grialio, et Loaysa, qui ea ex vetustis exemplaribus luci dederunt, non recensetur. Hinc alii viri docti MS. codices secuti, putant, authorem hujus fuisse Isidorum episcopum setubensem, dictum *mercatorem*, verius *peccatorem*, quod demissionis ergo hoc nomen epistolarum subscriptionibus addere sit solitus; quam opinionem confirmat chronicon Juliani toletani, editum Parisiis a Laurentio Ramiretio, in quo refertur, Isidorum istum ope cujusdam monachi compilationi operam dedisse, et obiisse anno 805. Accedit Luitprandus *in chronico anno* 719. ubi, *Isidorus*, inquit, *Setuvitanus, qui interfuit concilio XVI. toletano, composuit ordinem concilii et collectionem conciliorum, quae dicitur Isidori peccatoris.* Nonnulli contendunt conciliare utramque opinionem, dum dicunt, collectionem istam a s. Isidoro hispalensi fuisse primo digestam, sed postea cum auctario non modico canonum, ex conciliis toletanis, post ipsum celebratis, depromptorum, fuisse editam ab Isidoro altero peccatore.

246

Sextam ex summorum pont. epistolis conciliorum, per annos plusquam 400. celebratorum, decretis, SS. PP. sententiis, et sanctionibus etiam imperialibus (quod nemo ante illum fecerat) meliore, quam Isidorus, ordine compilavit, et in viginti libros divisam sub *decretorum* nomine anno 1020. edidit s. Brocardus, sive Burchardus, ex monacho s. Benedicti Lobii episcopus Vvormatiensis.

247

Septimam fecit cardinalis Deusdedit, qui floruit eodem saeculo sub Victore II. papa. Scripsit illam Polycarpus, ejusque meminit Baronius *tom.* 2. *anno* 1086.

Octava edita est ab Anselmo Mantuano, episcopo lucensi, qui eodem fere tempore floruit sub pontificatu Gregorii VII. Hujus meminit Bellarm. *de script. eccles.*

Nonae author est Ivo gallus, ex praeposito monasterii Quirini Belvacensis ordinis canonicorum regularium s. Augustini episcopus carnotensis, qui in hoc suo volumine multa quoque ex pandectis-, et codice Justiniani admiscuit: volumen istud in compendium contraxit Hugo catalauniensis, et *pannoniam*, quasi leges ecclesiae omnes complecteretur, vocavit. Claruit Ivo temporibus Urbani II. usque ad annum 1114. Baron. *ad hunc annum n.* 14. Possevin. *in apparat. sacr. lit. l.* Plettenberg. *introd. jur. can. c.* 11. *n.* 9.

Decimo tandem loco post relatas, et Photii, Harmenopoli, Siagrii, et aliorum minoris notae compilationes in lucem prodiit *corpus juris canonici*, quo hodie in scholis, et foro utimur.

248

Quaeritur 5. quotuplex sit jus canonicum? Resp. 1. Dividitur in jus scriptum, et non scriptum *can. ecclesiasticarum* 5. *dist.* 11. et merito; nam, ut *can. jus generale* 2. *dist.* 1. notatur, *omne jus legibus, et moribus*, i. e. constitutionibus scriptis, aut consuetudine, quae §. *constat* 3. *instit. de J. N. G. et C.* jus non scriptum vocatur, *constat.* Reiffenstuel *proem. num.* 47.

249

2. Jus scriptum subdividitur in jus commune, et speciale, seu statutarium. *Commune* dicitur, quod pro universa ecclesia latum est, adeoque omnes fideles obligat. *Speciale* est, quod pro certo loco, provincia, dioecesi, vel communitate latum est, ideoque extra illius fines non obligat, ut sunt diversae constitutiones synodales dioecesium, et provinciarum. Tholos *l.* 1. *paraetit. jur. canon. tit.* 2. *cap.* 14. Pirhing *proem. num.* 20. *fin.*

250

3. Jus commune iterum subdividitur in illud, quod in corpus juris canonici legitima authoritate translatum est; atque hoc *in c. pastoralis* 8. *de fid. istrum.* speciali ratione *jus commune* appellatur: et in id, quod est extra corpus juris canonici, sive quod in eodem non continetur, ut sunt decretales quaedam extravagantes, quae corpori juris non sunt insertae, secundum quas judex judicare potest, si juri communi sint consonae *cap. pastoralis cit.* Pirhing *loc. cit.* Reiffenstuel *num.* 49.

251

Quaeritur 6. quibus partibus constet corpus juris canonici? Resp. Corpus juris canonici, prout defacto circumfertur, complectitur tria volumina. *Primum volumen* communi usu vocatur *decretum* vel simpliciter, vel cum addito *Gratiani* ab authore, qui illud elaboravit, et concinnavit, atque in tres partes divisit, quarum *prima* continet *distinctiones* centum, et unam, divisas in *canones*, seu *capitula*, ut nonnunquam vocantur. *Secunda* continet 36. *causas*, seu casus, et controversias, quarum fere singulae plures habent *quaestiones*, istae autem suos *canones*, quos iterum aliqui vocant *capitula*. *Tertia* inscribitur *de consecratione*, et habet *distinctiones* quinque, quae iterum singulae in canones dividuntur.

252

In *prima parte* decreti agitur de varia juris origine, partibus, et speciebus: item de iis, quae ad jura, et dignitates, gradus, electiones, ordinationes, et officia personarum ecclesiasticarum pertinent. *Altera pars* materiam rerum juridicarum, et judiciorum ecclesiasticorum complectitur. In *tertia parte* totius jurisdictionis, et ministerii ecclesiastici jura, ritus, ordinationes, consecrationes, et executiones explicantur. Pirhing *proem. num.* 21. Reinffenstuel *ibid. num.* 59.

253

Inscribitur decretum istud ab authore operis *concordantia discordantium canonum;* quia in hoc suo libro Gratianus potissimum intendit canonum ipsorum vel veram, vel apparentem contrarietatem, qua totum jus conturbatum fuit *l. DEO authore* 1. §. *nostram autem* 12. *C. de vet. jur. enucl.* tollere, et ad conformitatem, ac consonantiam revocare, eo quod magna vis, et elucidatio juris consistat in concordandis juribus contrariis, aut quovis modo discordantibus, ut colligitur ex *proem. decret.* §. *sane, et proem. cod. const.* 1. habeturque *l.* 1. *de nov. cod. faciend.* Vallens. *proem.* 8. *num.* 14.

254

Alterum volumen, in quod corpus juris canonici hodiernum dividitur, complectitur quinque *libros decretalium,* intellige *epistolarum,* ita inscriptos appellatione desumpta a majore parte eorum, quae in his continentur; quia in his multo plures sunt epistolae ss. Pontt. quam sint aliae authoritates simul sumptae: contra vero in opere Gratiani multo plura sunt decreta conciliorum, quam constitutiones, vel epistolae decretales summorum Pontt. ideoque Gratiani opus *decretum* est appellatum, Gregorii IX. autem *decretalium* nomen accepit.

255

Olim decretales non erant in corpore, sed solum decretum Gratiani. Hinc quando ex decretalibus fiebat citatio, addebatur vox *extra,* vel ejus loco littera X. ut indicaretur titulum, et capitulum citatum non in decreto, sed extra illud reperiri, in hunc modum *c. dudum extra de praebend.* quod etiamnum hodie fit a quibusdam.

256

Tertium volumen continet tres partes. *Prima* est liber IV. decretalium, divisus iterum in quinque libros eo modo, quo decretales priores; libri autem hi quinque dividuntur in suos titulos, servato in istis ordine, quo ponuntur in decretalibus prioribus, licet complures omittantur, qui in istis inveniuntur. *Secunda* sunt clementinae, sic dictae, quia a Clemente V. editae, quamvis eas non Clemens ipse, quippe ante perfectionem illarum morte praeventus, sed Joannes XXII. vulgarit Avenione 8. calend. novemb. 1317. *Tertia* extravagantes, sic appellatae, quod ante hac extra corpus juris, quasi incerta sede vagarentur. Priores Joannis XXII. dicuntur, quia hic fuit illarum conditor, qui etiam illas juris corpore clausis addidit; posteriores, seu *communes* nullius pontificis summi authoritate sunt compilatae, atque idcirco ad authores suos, et tempus *data* sunt reducendae.

257

Quaeritur 7. quam vim, et authoritatem habeant canones apostolici? Nonnulli cum magdeburgensibus omnem vim, et authoritatem legis ecclesiasticae iisdem denegant. Nituntur 1. *can. Sancta* 3. *dist.* 15.

ubi Gelasius papa librum canonum apostolorum inter apocryphos numerat: quod reperitur *can. canones* 1. *et can. Clementis* 3. *dist.* 16. 2. quia non convenit de canonum istorum numero; nam Zephyrinus papa, relatus *can. sexaginta* 2. *dist.* 16. *cit.* scribit 60. vel ut alia lectio habet, 70. sententias ab Apostolis praeceptas esse; contra in synodo universali sexta *can.* 2. canones Apostolorum 85. approbantur: alii cum Baronio tantum agnoscunt authenticos quinquaginta duos. 3. quia in dictis canonibus aliqua decernuntur plane absona; nam *canon.* 5. videtur statuere poenas segregationis, et depositionis in episcopum, presbyterum, et diaconum, qui religionis praetextu suam dimiserit uxorem, cum tamen honeste, et cum virtute hoc fieri Apostolorum exemplum doceat: *can.* 45. *et* 46. videtur indiscriminatim reprobare baptismum ab haereticis collatum, quem tamen validum esse usus ecclesiae comprobat; *canon.* 65. eum, qui dominicum diem, uno solo dempto, jejunare deprehendatur, si clericus sit, deponi, si laicus, a communione ejici jubet, cum tamen quavis die jejunare virtuosum sit.

258

Sed dicendum, canones Apostolorum 85. omnes, prout defacto in corpore juris inveniuntur, esse authenticos, et vere canonizatos. Ita Turrianus, qui ipsorum authoritatem integro libro vindicat, Covar. *var. resol. c.* 17. *num.* 6. Barbos. *in can.* 1. *dist.* 16. *num.* 3. Gonzal. *apparat. jur. canon. n.* 42. Vviestner *proem. num.* 82. Plettenberg *introd. jur. canon. c.* 11. *n.* 2. magnif. p. Schmier *tr. de jur. legal. num.* 31. consentit Tertul. *lib. adversus Praxeam*, et s. Anastasius *in synopsi* numerans illos inter hagiographos: sanctus Joannes Damascenus quoque *lib.* 4. *de fid. orthod. c.* 18. eos ponere videtur inter sacras scripturas. Responsio sumitur ex *can. placuit* 4. *et can. quoniam* 6. *dist.* 16. ubi pro canonicis scripturis agnoscuntur. Videatur Gonz. *l. cit.* ubi authentice monstrat, singulos canones a diversis pontificibus, et conciliis fuisse approbatos.

259

Neque obstant fundamenta adversariorum. *Ad* 1. *can. sancta*, et duobus ceteris, ut Turianus *l.* 1. 15. notat, tanquam apocryphus rejicitur, non liber canonum Apostolorum verus, sed alius a Prinscillianistis eo nomine editus, et multis falsis dogmatibus scatens. Deinde, ut Melchior Canus *lib.* 5. *loc. theol. c.* 5. advertit, apocryphus, seu non canonicus dici liber aliquis dupliciter potest, vel quia non est ex sacris, seu sacrae scripturae libris, vel quia non est authenticus, h. e. apostolicae, vel alterius ecclesiasticae legis authoritatem non habet: primo sensu facile omnes concedunt, canones Apostolorum non esse canonicos, quia divinae scripturae libris a trid. *sess.* 4. *decret. de scriptur.* non accensentur; in posteriori autem canonici vere sunt ob textus allatos, et authoritatem humanam maximam. *Ad* 2. quod ab aliquibus

plures, ab aliis pauciores recenseantur canones apostolici, responsioni date nihil obest; quia hoc inde proficisci potuit, quod qui pauciores numerant, duos, vel tres etiam in unum collegerint, quos alii diviserunt. *Ad* 3. in canone 5. non praecipitur, ut clerus conjugatus maritali commercio uxori suae cohabitet, sed ut ipsius curam habeat, eamque honeste sustentet juxta praeceptum s. Pauli 1. *Timoth. c.* 5. et exemplum s. Petri 1. *Cor.* 9. In canone 45 et 46. solum rejicitur baptismus ab haereticis collatus alia, quam qua institutus est, forma, qualis erat, qui tempore Apostolorum a quibusdam perperam conferebatur in tribus partibus, aut in nomine trium principii expertium, aut trium filiorum, vel trium paracletorum, vel in morte Domini, ut patet ex canone 49. et 50. Denique canone 65. jejunium die dominico prohibitum fuit propter errorem quorumdam haereticorum illius temporis, qui diem illum in jejunio, et planctu ad invidiam catholicorum obibant. Laym. *l.* 4. *tr.* 8. *c.* 2. *num.* 9. nempe pro temporum, et circumstantiarum varietate, quae in se bona, et laudabilia sunt, vetari possunt, et debent, ut bene notat magnif. p. Schmier *l. cit. num.* 34.

260

Quaeritur 8. quis fuerit author *decreti*, quod vulgo, ut *num.* 251. innui, *Gratiani* dicitur? Resp. apud omnes exploratum esse, authorem illius fuisse Gratianum, professione monachum ex ordine s. Benedicti. De patria illius non satis convenit inter AA. Trithemius *de vir. illustr. l.* 2. *c.* 13. eum classensem facit. Sed melius, dicitur clusinus; patria enim fuit Clusium, seu Guisa, civitas Thussiae, ut ex Baronio *ad annum* 1151. et Possevino *apparat. V. Gratianas* notat Plettenberg *introd. jur. canon. c.* 22. *n.* 2. Similis controversia de illo est circa locum professionis. Nam Sigonius, et plerique scriptores eum tribuunt monasterio s. Felicis bononiensis: contra monachi s. Proculi suum esse affirmant, eique statuam marmoream in claustro, quod hortum respicit, erexerunt. Partes istorum defendit Marant. *in prax. p.* 3. *n.* 34. et praepositus Alexander, asserens *in proem. decreti*, compositionem illius factam esse in monasterio s. Proculi. Arnoldus Vion utriusque monasterii monachos conciliare studet, dicitque Gratianum prius monasticam vitam professum fuisse in monasterio s. Proculi, deinde transiisse ad monasterium ss. Felicis, et Naboris, ibique decretum compilasse. Certe in hoc monasterio elaboratum esse opus hoc, probat inscriptio incisa saxo pervetusto, quod in sacrario illius ecclesiae reconditur, et epitaphium illustre, quod defuncto positum est Bononiae: utrumque recenset p. Plettenberg *num.* 2. *cit.*

261

Dub. 1. quando decretum Gratiani in lucem prodierit? Resp. Juxta verisimiliorem sententiam in lucem prodiit anno 1151. tempore Eugenii III. ut habet volumen vetustissimum decreti, et chronicon, quod

inscribitur *pomoerium ecclesiae Ravennatis*, et asservatur in bibliotheca vaticana. Alii tamen non improbabiter volunt, vulgatum illud esse anno 1141. et sic etiam habet editio jussu Gregorii XIII. emendata. Tholosanus denique *l.* 1. *tr.* 2. *c.* 14. *in schol.* existimat, editum fuisse anno 1127. Has diversas sententias conciliare nititur Bellarminus *de scriptor. eccl.* dicens, ille anno 1127. compilationem decreti forte fuisse incoeptam a Gratiano. Plettenb. *l. cit.* Composuit autem hoc suum volumen Gratianus ex variis s. Scripturae sententiis, ex conciliorum decretis, atque ex constitutionibus, et decretalibus epistolis summorum pontt. ex legibus imperatorum, necnon ex selectissimis SS. PP. sententiis quibus nonnunquam sua quoque adiecit.

262

Dub. 2. an approbati juris, et legis ecclesiasticae vim obtineant textus omnes Gratianaei decreti? Affirmant Archidiac. *in can. quis nesciat num.* 2. *dist.* 9. Abb. *inc. ex parte* 2. *num.* 12. *de rescript.* Felin. *ibid. num.* 44. Tusch. *pract. V. decretum concl.* 110. *num.* 11. Molfes. *summ. tom.* 1. *tr.* 9. *c.* 5. *n.* 73. Marant. *specul. p.* 3. *n.* 34. Martha *de jurisd. num.* 1. *c.* 30. *num.* 37. et alii 1. quia decretum hoc videtur vel expresse fuisse approbatum ab Eugenio III. vel saltem tacite tolerantia, et patientia summorum pontt. dum non ignorant, et patiuntur id in foro, et scholis passim allegari: imo ipsemet allegat, ut videre est *c. cum apostolica* 7. *de his, quae fiunt a praelat. etc. c. relatum* 11. *de test. c. nobis* 27. *de jur. patron. c. continebatur* 6. *de despons. impub. clem.* 1. *de jurejur.* 2. decretum hoc authenticum esse probat communis modus loquendi glossae, et DD. asserentium, quod leges civiles, in decretum Gratiani relatae, hoc ipso canonizatae sint, ut loquitur Gloss. *marg. in auth. quas actiones C. de SS. eccl.* in *l.* 1. *c. de episc. et cleric.* alibi passim 3. doctores juris canonici passim vocantur *doctores decretorum* ac proinde oportet etiam decretum esse authenticum; nam nomina debent convenire rebus suis §. *est et aliud* 3. *inst. de donat.* 4, si quid obstaret, obstaret hoc, quod a Gratiano, privato homine, decretum istud collectum fuerit: hoc non obstat; nam etiam decretales Gregorii IX. a s. Raymundo Pennafortio, ut *n.* 273. dicam, et quatuor libri institutionum imperialium a Treboniano, et sociis, potestate legislativa carentibus, compositi sunt, qui tamen libri indubitanter legis authoritatem obtinent 5. frustra summi pontifices inter alia gravissima christianae reip. negotia viderentur manum apposuisse pro emendatione tam accurata decreti, nisi hoc pro authentico habuissent 6. vis indubitati juris decreto tribuenda videtur hodie, postquam jussu Gregorii XIII. a variis erroribus purgatum, et vulgatum est, istius papae epistola praefixa, ubi simul cum reliquis libris illud appellat *jus canonicum*, dicendo, *nos opportune providere volentes, ut hoc jus canonicum sic expurgatum ad*

omnes, ubique Christi fideles sartum perveniat: cons. idem pontifex decretum istud cum ceteris libris in corpore juris contentis censuit esse canonicum, atque authenticum.

263

Sed melius tenetur negativa, quam etiam defendunt Ancharan. *in c. canonum statuta num.* 48. *de constit.* Ant. de Butrio *proem.* §. *sane num.* 10. Joan. Andr. *in c.* 1. *de rescript.* Frid. de Senis. *cons.* 76. Scot. *in* 4. *dist.* 6. *q.* 8. §. *sed non videtur.* Covar. *l.* 1. *var. c.* 1. *n.* 12. *et* 13. Suar. *l.* 4. *de LL. c.* 5. *num.* 6. Rodriq. *tom.* 1. *reg. q.* 6. *art.* 2. Sanch. *l.* 9. *de matr. D.* 12. *num.* 5. Salas *tract.* 14. *de LL. D.* 8. *sect.* 13. Dian. *p.* 5. *tr.* 14. *resol.* 68. Laym. *l.* 1. *theol. mor. tr.* 5. *o.* 6. *num.* 12. Henric. Canis. *Summ. l.* 1. *tit.* 1. Besold. *dissert. de libr. jur. c.* 8. Andr. Mendo *l.* 1. *de jur. acad. q.* 28. *num.* 526. Delrio *disp. mag. l.* 5. *sect.* 16. *p.* 790. Vallens. *proem.* §. 8. *num.* 12. Zoes. *praef. ad jus canon. num.* 9. Gonzal. *appar. jur. canon. num.* 51. Plettenberg *introd. jur. can. cap.* 22. *num.* 3. Engl. *proem. num.* 51. Konig. *num.* 4. Vviestner *num.* 90. Reiffenstuel *num.* 65. magnif. p. Schmier *de jur. legal. c.* 5. *n.* 39. et decisum est a *rota decis.* 480. *apud Pennam.* Ratio est, quia Gratianus, tanquam privatus, condendae legis authoritatem non habuit, neque ab ullo pontifice ejus volumen jure ecclesiastico est acceptum, ut patebit ex objectionum solutione.

264

Hinc decreti istius textus singuli ad fontes suos, seu originem sunt reducendi; continet autem decretum hoc 1. textus scripturae. 2. constitutiones apostolicas, et conciliorum decreta 3. sanctiones et dicta SS. PP. 4. quosdam textus ex jure imperiali desumptos 5. narrationes, ex historicorum, et similium scriptorum monumentis depromptas 6. quaedam alia, quae de suo inseruit Gratianus. Ex his singuli textus eam authoritatem habent, quam habent libri, et authores, unde desumpti sunt. Proinde, quae Gratianus refert ex ss. litteris, habent authoritatem divinam; quae ex summorum pontt. constitutionibus, et decretis conciliorum, vim juris ecclesiastici obtinent: quae vero idem Gratianus adducit ex SS. PP. majorem quidem probabilitatem, quam aliorum DD. sententiae, merito sibi vindicant, authoritate autem legis non pollent, nisi forte per summum pont. canonizata sint. Illa, quae Gratianus de suo addit, dicendo sententiam propriam, probabilitatem faciunt, sicut judicium alterius periti viri: quae denique ex constitutionibus imperatorum, et legibus civilibus inspergit, tum demum in foro ecclesiastico vim habent, quando juris canonici defectum supplent, neque contraria sunt immunitati ecclesiasticae, nihilque determinant circa res, et personas ecclesiasticas.

265

Neque obstant, quae opponuntur. *Ad* 1. circa assertam approbationem Eugenii III. contrarium probat Boetius Epo *l.* 2. *de jur. sacr. n.* 135. apud Vallens. *proem.* §. 8. *n.* 12. Quod attinet ad usum immemorialem legendi in scholis, et citandi in judiciis decretum Gratiani, ex hoc approbatio tacita pontificum non eruitur, nec plus inde probatur, quam quod textus ex eo *citt.* ut *num. praeced.* dixi, revocentur ad primaevam suam authoritatem, cum qua etiam a DD. et JCtis allegantur. Porro summi pontifices dum quandoque in suis decretalibus allegaverunt decreta suorum antecessorum, ea non desumpserunt primum ex decreto Gratiani, sed jam prius, et aliunde illa habuerunt in forma authentica: et idcirco probationes ipsorum erant fortissimae, et convincentes. *Ad* 2. communis ille modus loquendi glossae, et DD. asserentium, leges civiles, in decretum Gratiani relatas, per hoc censeri canonizatas, large duntaxat accipiendus est, ita, ut solum indicare per hanc phrasim velle intelligi debeant, quod aequitas, seu convenientia istarum legum tanta sit, ut compilatori decreti viderentur esse dignae, quae pro meliori notitia, et instructione illorum, qui in studio ss. canonum versantur, in illud referrentur: si plus intendatur, negari debebit, quod leges civiles propter collectionem in decretum Gratiani canonizatae sint. Fagnan. *in c. canonum statuta num.* 38. *et* 39. *de constit.* Gonzal. *apparat. num.* 50. Reiffenstuel *proem. num.* 68. *Ad* 3. voce *decretorum* denotantur diversae constitutiones, sive decreta summorum pontt. quorum illi censentur esse doctores, non autem decreti Gratiani; alias potius nuncupandi forent doctores decreti, quam decretorum. Reiffenst. *l. cit. n.* 69. *Ad* 4. libri illi non a privatis suis compilatoribus, sed a pontifice, et imperatore, quorum jussu, et mandato compositi sunt (ut ex proemiis decretalium, et institutionum apparet) suam authoritatem desumunt, qualem authoritatem Gratiano in componendo suo decreto non constat fuisse datam. *Ad* 5. curam illam, quam pontifices habuerunt in emendando decreto, meruerunt dignitas, et utilitas hujus voluminis. *Ad* 6. ab eadem emendatione, et praefatione gregoriana decretum hoc id solum accepit, quod canones in illud relati, aliaeque authoritates cum suis originalibus sine errore, aut falsitate censeantur correspondere. Barbos. *ad proem. decret. n.* 6. *et seq.* Engl. *proem. num.* 5. *vers. sed communius.*

266

Dub. 3. quid judicandum de paleis, quae sub hoc nomine in decreto Gratiani reperiuntur? Resp. Ita appellantur quidam canones decreto huic inspersi. Cur vero ita nuncupentur, incertum est. Aliqui ita dictos putant, quod res inanes, ac leves contineant: sique instar paleae nullam mereantur considerationem, aut fidem. In sententiae

istius confirmationem adducitur aliquod Gratiani responsum, quod dedisse fertur coram pontifice, a quo decreti confirmationem petierat, de interjectis illis particulis, seu capitulis; nam de his interrogatus, dixisse fertur: *palea est, nec de grano meo.* Bart. Coepoll. *de cognit. libr. jur. can. princ.*

267

Alii sic dici existimant a *palea* discipulo Gratiani, quem aliqui *protopaleam*, vel potius *pocopaleam* vocant, nonnulli *quartopaleae* nomen habuisse referunt. Joan. Andr. *in addit. specul. tit. de disput. et alleg.* Barbos. *in proem. decret. num.* 9. Thom. Canan. *repet. in proem. decret. num.* 618. *et* 624. Marant. *p.* 3. *specul. num.* 36. Plettemberg *introd. jur. can. c.* 22. *n.* 5. Jason. cum quibusdam putat, illum fuisse cardinalem: qui forte idem ipse erat, cujus meminit Coepoll. *tract. de cogn. lib. jur. can.* apud Fagnan. *de constit. p.* 22. *num.* 44. Hujus ergo opera collectos existimant istos canones, et ab authoris nomine appellatos.

268

Communior sententia prioribus rejectis, derivat nomen istud ab adverbio πάλιν, depravate μάλιν i. e. *rursum*, quasi *additiones;* dicunt enim, capitula ista esse additiones quasdam, quae primitus per Gratianum in decreto positae non fuerant, sed postea primum vel ab ipso Gratiano, vel aliis ipso posterioribus ad marginem adscriptae fuerunt, quas deinde librarii quidam omiserunt, quidam vero in contextu posuerunt, donec tandem cognito, quod isthaec capitula utilia sint, ea omnia decreto inserta fuerint. Ita *admonitio ad lectorem Gratiani decreto praefixa* §. *in alio*, Fagnan. *in c. canonum statuta num.* 44. *de constit.* Barbos. *proem. decret. n.* 8. Vallens. §. 8. *num.* 5. Pirhing *num.* 21. Engl. *num.* 6. Reiffenstuel *num.* 84. *et seqq.* Desumitur ex eo, quod ejusmodi capitula, paleae inscripta, a primo vaticani exemplari absint (prout notatur *in annotationibus ad can. sed pensandum V. palea dist.* 6. *et alibi*) nec inveniantur in pluribus aliis, praesertim antiquis decretorum libris, qui paleas ejusmodi vel non habent, vel saltem non omnes habent.

269

Paleae sunt numero 116. utpote in distinctionibus 52. in causis 64. An unus, idemque omnium author sit, incertum est. Juxta *admonitionem num. praec.* relatam aliquae a Gratiano inter relegendum adjectae, aliae ab interpretibus ad marginem adscriptae sunt. Hoc certum est, paleas istas, licet non sint omnino contemnendae, cum multae in decretalibus, aliisque collectionibus ante Gratianum reperiantur, et magistralis doctrinae contineant authoritatem, non tamen habere vim juris, et canonis, cum eam authores, quicumque illi fuerint, tribuere illis non potuerint, quippe potestate legislativa destituti. Imo

minoris sunt authoritatis, quam decretum, et dicta Gratiani, cum nec Glossas habeant, nec allegentur sub nomine capitulorum, sed palearum *can. praecariae* 5. *caus.* 10. *q.* 2. neque earum mentionem faciat Gregorius XIII. in bulla decreto praefixa. Hinc etiam AA. qui decreto vim legis tribuunt, eam denegant paleis, quod Gregorius XIII. eas non comprehenderit nomine juris canonici; hoc enim si voluisset, manifestis verbis declarasset, cum sciret, illas in communi usu, et solita DD. interpretatione juris vigorem non habere. Thom. Canan. *proem. num.* 625. Plettemberg *introd. jur. can. q.* 22. *num.* 6. qui tamen addit, juxta praepositum *in can. imprimis num.* 44. *caus.* 2. *q.* 1. iisdem communiter credi, nisi detur jus in oppositum.

270

Dub. 4. quae sit authoritas epistolarum, in collectione Isidori comprehensarum? Nonnulli cum *Francisco Turriano*, et *Severino Binnio* eas defendunt ut genuinas illorum pontificum, quorum nomina praeferunt. Contra Bellarminus *l.* 1. *c.* 14. *de script. eccles.* has epistolas *indubitatas esse affirmare non audet.* Baronius *ad annum* 862. dicit, *ex multis eas reddi suspectas:* sequuntur *Peronius, Sirmondus, Petavius, Philippus Labbè* et alii eruditissimi scriptores ecclesiastici, qui illas epistolas vel indubitatas esse negant, vel ut confictas plane rejiciunt.

271

Certum est, illas non extra omnem suspicionem esse, 1. quia elegantiam, et nitorem secundi saeculi, quo datae dicuntur, non referunt, 2. quia in omnibus epistolis idem stylus, eademque scribendi norma servatur, ita, ut non a pluribus, sed ab uno conscriptae esse videantur, 3. quia in iis author, vel authores utuntur vulgata versione scripturae, quod indicium est, illas exaratas esse post aetatem s. Hieronymi, 4. quia s. Hieronymus earum non meminit in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, adeoque videntur ipsi fuisse incognitae, cons. post ipsum probabilius editae, 5. quia Dionysius Exiguus, qui veterum pontificum epistolas summa diligentia collegit, eas in compilatione sua omisit, 6. quia, ut primus observavit Antonius Augustinus *in notis ad capitula Hadriani,* in epistolis illis reperiuntur ipsa legum imperatoriarum verba, et scholia quaedam, quae sub Aniani nomine extant ad codicem Theodosianum, cum tamen pontifices, quibus epistolae illae adscribuntur, duobus, et tribus etiam saeculis editionem codicis illius praecesserint. Plettenberg *introd. jur. can. c.* 11. *num.* 8.

272

Quaeritur 9. quis fuerit compilator decretalium Gregorii IX. quae secundum volumen in corpore juris canonici constituunt? Resp. Compilatio haec ante istum pontificem saepius fuit tentata, et etiam facta. *Primam* fecit Bernardus Balbus praepositus Papiensis, ac postea episco-

pus primum faventinus, deinde papiensis, qui cum notaret, in Gratiani volumine ex antiquis conciliis, et decretalibus nonnulla fuisse omissa, plura vero nova concilia post decretum ejusdem Gratiani celebrata, novasque constitutiones editas, novas istas decretales, insertis plurimis antiquorum canonibus, et epistolis, in unum corpus redegit. Hostiens. Joan. Andr. *in proem. decret.* *Secunda* tentata quidem a Gilberto abbate, et Alano episcopo altissiodorensi, sed perfecta a magistro Joanne Gallensi, seu Wallensi, ut eum vocat Joan. Andr. *l. cit. num.* 16. qui natus Volterris fuit, et compilatione hac sua complexus est decretales usque ad Innocentii III. tempora. *Tertia* primum a Bernardo archidiacono compostellano privata authoritate facta Romae, unde et *romana* dicta est, absoluta autem jussu Innocentii III. pont. fuit a Petro beneventano subdiacono, et praedicti papae notario. Quia vero tertia haec compilatio eas tantum constitutiones complectebatur, quas Innocentius usque ad duodecimum sui pontificatus annum ediderat, ideo *Quarta* compilatio emanavit, authore, ut plerique putant, Tancredo bononiensi archidiacono, et huic volumini insertae constitutiones dicti pontificis posteriores, cum lateranensis concilii sub eo celebrati canonibus. *Quinta* denique accessit mandato Honorii papae III. ex ipsiusmet Honorii constitutionibus confecta. Gregor. Tholos. *paratit. jur.*

273

Has omnes demum compilationes anno 1230. in unum volumen, quinque libris distinctum, redegit Gregorius IX. cura s. Raymundi Pennafortii, ordinis praedicatorum, viri sanctitate, et doctrina percelebris, ejusdem pontificis capellani, et poenitentiarii. Secutus in hac sua compilatione est pontifex fere ordinem, ac normam pandectarum, et codicis, atque in ea jus canonicum universum ad judiciorum rationem digessit; nam in *primo libro*, expositis principiis juris canonici, agit de ordinibus, gradibus, jurisdictionibus, et officiis magistratuum, qui jurisdictioni ecclesiasticae praesunt. Deinde subjunguntur quaedam, quae circa personas, et res litigantium in principio judiciorum versantur. In *secundo libro* tractat de judiciis ecclesiasticis, eorumque ordine, et processu. In *tertio libro* agit de vita clericorum, eorumque juribus, et obligationibus tum propriis, ut sunt ecclesiastica beneficia, tum communibus cum laicis, ut sunt contractus, testamenta, usus sacrorum, jus sepulturae etc. In *quarto libro* tractat de rebus potissimum laicorum propriis, et ideo de sponsalibus, et matrimonio, ejusque annexis. Unde summa horum quinque librorum continetur hoc versu:

Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen.

274

Ex quo patet, quod totum jus canonicum, in quinque decretalium libros divisum, ad quatuor capita potissimum reduci possit: nempe ad

personas clericorum, et laicorum, ad res earumdem personarum, ad judicia, et actiones, ad delicta, et eorum poenas. Clauduntur decretales istae ad imitationem pandectarum titulis *de verborum significatione*, et *de regulis juris*.

275

Dub. 1. an omnes voluminis Gregoriani textus habeant vim juris ecclesiastici, totam ecclesiam obligantis? *Ratio dubitandi* est 1. quia decretales, quae huic volumini insertae, et Alexandri III. ac Innocentii III. nomine inscriptae sunt, non omnes inter istorum pontt. epistolas reperiuntur, 2. quia sententiae, quae in ipso referuntur, non omnes sunt summorum pontt. aut conciliorum confirmatorum authoritate pontificia, 3. quia ex ipsorum summorum pontt. rescriptis complura non toti, sed particulari alicui ecclesiae, dioecesi, provinciae, et quaedam, eaque non pauca, uni, vel pluribus personis particularibus inscripta sunt; cons. videntur inter hos duntaxat jus facere, 4. quia summi pontifices quinque libros decretalium, sextum item, et Clementinas solis doctoribus, et scholaribus Bononiae commorantibus a principio transmiserunt, ut patet ex proemiis dictorum librorum.

276

Sed his non obstantibus, certum omnino est, huic Gregoriano volumini, ejusque textibus vim, et authoritatem juris indubitati competere. Ita Scot. *in* 4. *dist.* 6. *q.* 8. §. *sed non videtur*, Andr. Mendo *l.* 1. *de jur. acad. q.* 28. *n.* 528. Gonzal. *appar. jur. can. n.* 50. Plettenberg *introd. jur. can. c.* 23. *num.* 2. *fin.* Vallens. *proem.* §. 8. *n.* 12. Pirhing *ibid. num.* 22. *vers. aliud*, Engl. *n.* 8. Konig *n.* 4. Wiesner *n.* 97. Reiffenstuel *n.* 87. et alii DD. consensu unanimi; nam huic volumini, et textibus in eo contentis vim juris hoc ipso pontifex Gregorius IX. contulit, dum eos juri ecclesiastico inseruit, et in ecclesia observari praecepit. Declarat hoc satis idem pontifex in epistola praefixa huic volumini, ibi: *volentes igitur, ut hac tantum compilatione universi utantur in judiciis, et in scholis, districtius prohibemus, ne quis praesumat aliam facere absque authoritate sedis apostolicae speciali*: ubi praecipit universis per orbem christianum fidelibus, ut has decretales tanquam normam, et regulam, non tantum doctrinae in scholis tradendae, sed etiam rerum in judiciis agendarum sequantur, cum ergo pontifex non solum possit, sed etiam hic expresse velit omnes obligare subditos per decretales istas, dubium non est, quin eae jus universale faciant.

277

Excipiuntur tamen 1. textus, quorum dispositioni legitime praescripta consuetudine, aut constitutione contraria posteriore est derogatum. 2. Rescripta his libris clausa, quibus certas duntaxat personas affici constat ex illorum materia, et aliis circumstantiis: et tale est

c. ex rescripto 1. *de locat. et conduct.* ut *ibidem* notant Barbos. *num.* 3. et Gonzal. *num.* 5. Item *c. cum esses* 10. *de testam.* ut *ibi* cum aliis monet Joan. Andr. 3. allegationes partium litigantium iisdem textibus insertae, nisi sententiae, aut responso papae firmatae, vel alio juris textu sint approbatae: et sic *c. cum dilectus* 2. *de cappel. monach.* allegatur, ecclesiam intra fines parochiae sitam, de jure communi esse subjectam: et tamen hoc jus ubi sit, Innocentius ait se ignorare; imo id in jure nullibi expressum esse diserte asserit Abb. *num.* 3. Item *c. abbates* 25. *de V. S.* a parte litigante opponitur consuetudini, quod ea judicio contradictorio non sit approbata: et tamen Abb. *ibid. num.* 13. Suar. *l.* 7. *de LL. c.* 11. *num.* 2. aliique interpretes, atque DD. negant, hujusmodi approbationem ad illam a jure exigi etc.

278

Sic limitata responsione, facilis est solutio eorum, quae *n.* 275. eidem opponuntur. *Ad* 1. Decretales istae aut sunt omissae, aut error librariorum incuria contigit. *Ad* 2. textus illi, quicumque illi sint, et sive transumpti sint ex constitutionibus imperatorum, aut aliorum principum saecularium, sive ex sententiis PP. aut aliorum privatorum DD. per hoc ipsum, quod in decretales a pontifice relati sint, juris ecclesiastici authoritatem, et vim acceperunt; quia omnia nostra facimus, quibus nostram impartimur authoritatem, *l. DEO authore* 1. §. *sed neque* 6. *fin. C. de veter. jur. enucl. Ad* 3. eadem est responsio; nam licet illa rescripta primo jus particulare solum constituerint, per insertionem tamen in corpus juris communis hujus authoritatem adepta sunt. *Ad* 4. id ideo factum, quia studium utriusque juris Bononiae tum temporis communius, et generalius erat, ibique quasi de omnibus mundi partibus studentes reperiebantur: unde et *mater studiorum* Bononia appellatur, ut refert Horatius Lutius *tractatuum tom.* 18. *tr. de privil. scholar. num.* 23. Et ideo adhuc omnes fideles, et hoc non obstante, decretales hae obligant, cum non sit necessarium, rescriptorum, et legum pontificiarum notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare, ut dicitur *c. adhaec* 1. *de postul. praelat.* et notat. gloss. *proem. decret. Gregor. IX. V. Bononiae.*

279

Dub. 2. an textus corporis juris canonici omnes ab antimonia absolvi possint? *Certum est,* inter textus decreti, et decretalium plures sibi opponi, ac proinde per hos priores correctos esse, cum non appareat, qua interpretatione in concordiam reduci possint. Engl. *proem. num.* 18.

280

Controversia inter DD. est de constitutionibus, et decretis Gregoriani voluminis. Nullam dari in his antinomiam contendunt gloss.

in proem. decret. Greg. IX. cit. V. contrarietatem Monet. *p.* 2. *distrib. c.* 11. *n.* 31. Barbos. *in proem. cit. num.* 42. Engl. *n.* 18. *cit.* ea ducti ratione ; quia in una eademque compilatione contrarietas generatim non sustinetur *l. DEO authore* 1. §. *nulla* 8. et *l. tanta* 2. §. *contrarium* 15. *C. de vet. jur. enucl.* idque de decretalibus , suae compilationi insertis , ipse Gregorius IX. clarae insinuat.

281

Verum an omni ex parte hoc pontificis propositum a compilatore impletum sit , non immerito in dubium trahi potest ob complures textus , quos a contrarietate quidem vindicare complures interpretes , et DD. nituntur ; difficulter autem hoc impetrant. Tales sunt 1. *c. relatum* 19. et *c. gratum* 20. *de offic. deleg.* quorum primo dicitur , jurisdictionis delegatae perpetuationem primum induci litis contestatione , cum tamen per textum alterum eadem perpetuatio inducatur ipso citationis mandato , aut istius saltem insinuatione , 2. *c. referente* 7. *de praebend.* ubi habenti plures ecclesias permittitur electio , ut quam ex iis velit , dimittat : a qua constitutione , quamvis a se edita , recessit Alexander III. *c. quia nonnulli* 3. *de cleric. non resid.* ubi statuit , ut plures ecclesias successive recipiens , quod contra sacros canones accepit , amittat , 3. *c. de multa* 28. *de praeb.* et *c. litteras* 9. *de concess. praeb.* ubi statuitur , ut tali casu ipso jure vacet prima ecclesia , vel beneficium , et sic derogatur tam *c. quia nonnulli* , quam *c. referente citt.*

282

Dub. 3. quae regula observanda , quando in jure canonico contrarietas canonum sese offert ? Resp. interesse , an dubia sit contrarietas , an vero certa. Si dubia sit , eaque talis , ut commoda aliqua interpretatione , salva verborum proprietate , et ratione recti sermonis, conciliari possit , expedit jura juribus concordare , ut evitetur jurium correctio , et contrarietas *c. cum expediat* 29. *de elect. in* 6.

283

Si vero certa sit contrarietas , eaque talis , ut conciliari nulla arte , et modo possit , stabitur posteriori decisioni ; quia jus posterius derogat priori *c. fin. pr. de sent. excomm. in* 6. Quod observandum tantum , quando contrarietas ista occurrit in diversis corporis juris canonici partibus , sed etiam , quando in eadem , cum hoc solum discrimine , quod in diversis partibus antinomia admittatur facilius , difficilius in eadem , et fere hoc casu tum solum , quando posterior expresse terminos correctorios alterius canonis prioris habet , ut factum est in *c. exigit* 2. et *c. felicis* 3. *de censib. in* 6. Prioritas autem , et posterioritas tali casu desumenda non est ex ordine , quo inter se ponuntur in certo juris volumine , seu parte , sed a tempore , quo singulae decretales sunt editae ; nam saepe priores tempore posteriores sunt ordine.

284

Quaeritur 1o. quis compilarit libros tertii voluminis, ex quo componitur corpus juris canonici? Resp. Diversos habet authores; nam *librum sextum decretalium* sub annum Christi 1294. velut alii volunt, 1300. compilarunt Guilielmus de Mandagoro archiepiscopus ebredunensis, Berengarius Fredellus, vel Stredelius episcopus bitterensis, et Richardus de Senis S. R. E. vice-cancellarius, ac postmodum cardinalis diaconus s. Eustachii, mandato Bonifacii VIII. in locum Coelestini pontificatum renuntiantis suffecti: qui dein huic libro juris ecclesiastici authoritatem dedit. Collectus est ex summorum pontt. Gregorio IX. posteriorum, imo ipsius etiam Gregorii IX. quibusdam rescriptis, et praecipue ex conciliorum Lugdunensium primi, et secundi generalis sub Innocentio IV. circa annum 1245. et Gregorio X. anno 1274. celebratorum decretis; cui ad finem adjectae sunt regulae juris 86. majori ex parte desumptae ex regulis juris caesarei. In libro hoc multa deciduntur, quae olim in judiciis, et scholis controversa erant: hinc liber iste in collatione ad priores decretalium libros se habet, ut novellae ad codicem, et est suppletorius. Lauterbach. *proleg.* §. 9. *num.* 8.

285

Clementinas partim ex canonibus concilii Viennensis circa annum 1311. celebrati, partim ex propriis constitutionibus colligendas curavit Clemens V. easque Joannes XXII. ejus successor absolvit, et promulgavit. Fuit Joannes XXII. antea Jacobus dictus, natione Gallus, Cadruci urbe Aquitaniae a patre Arnoldo Deusa, misero, et veteramentario sutore natus, quem eximia virtus, et doctrina ad supremum dignitatis fastigium evexit; nam primum effectus est Arelatensis episcopus, et Caroli II. regis cancellarius, ubi tantum sui officii famam auxit, ut archiepiscopus avenionensis, mox cardinalis, et episcopus portuensis creatus fuerit a Clemente V. et hoc demum e vivis sublato, totius ecclesiae obtinuerit principatum anno 1316. post quem altero post anno, nimirum 1317. hanc compilationem promulgavit. Plettenb. *int. jur. can. c.* 24. *n.* 2. ex Spondano *ad eundem annum.* Dividuntur Clementinae in quinque libros, sicut decretales, libri dein in titulos, sed multo pauciores, tituli denique in capitula.

286

Extravagantes Joannis XXII. continent 20. constitutiones dicti Pontificis, in 14. titulos distributas. *Extravagantes communes* dividuntur in quinque libros, libri in titulos, tituli in capitula, quorum singula novam, et distinctam constitutionem, sive extravagantes continent. In priores glossa scripsit Zenzilinus de Cassianis; in posteriores Joannes monachus Pichardus, Guilielmus de Monte Lauduno, et Joannes Franciscus de Pavinis.

287

Additur in recentiore juris canonici editione liber VII. decretalium, in quem Petrus Matthaei juris consultus lugdunensis bullas quasdam, et constitutiones posteriorum pontt. quae in corpus commune juris nondum receptae sunt, collegit, et juxta ordinem quinque librorum decretalium distribuit.

288

De alio septimo decretalium libro animum, et curam suscepit Gregorius XIII. qui operam hanc commisit Flavio Ursino, Francisco Alciato, et Antonio Caraffae cardinalibus. Hoc vero pontifice defuncto, Sixtus V. ejus successor hoc opus perficiendum commisit Pinello Aldobrandino, et Matthaeo Columnae pariter cardinalibus, e quibus Aldobrandinus, nomine Clementis VIII. assumpto, post obitum Sixti in thronum sublatus, perfectioni ejusdem operis institit; cumque dubium incideret, an inferendi quoque essent canones conciliorum florentini, et tridentini ad dogmata spectantes, judicatum est, eos quoque compilationi huic inferendos: sic volumen istud ex diversorum pontt. constitutionibus, et conciliorum decretis, trecentorum prope annorum spatio editis, concinnatum labore maximo, et ad normam voluminis gregoriani in V. libros digestum accuratione summa, tandem die 25 julii 1598. perfectum est, promulgatum tamen non est, sed subsistere tum demum coepit; nam cum typis jam excusum, sub nomine *septimi libri decretalium Clementis VIII.* vulgandum propediem esset, mota quaestio est, an a jurisperitis super decretis concilii trid. huic libro insertis, glossae, et commentarii edi possent, non secus, ac super aliis compilationibus factum videmus; et ex ratione, quod ejusmodi glossae, et commentarii in trid. a Pio IV. in bulla super confirmatione ejusdem concilii edita sub gravissimis censuris prohibeantur, responsum est negative: sic suppressum est opus istud tantis laboribus, et vigiliis, elucubratum, tantisque praesulum, gymnasiorum, ac totius ecclesiae votis expeditum. Fagnan. *in c. cum venissent de judic. n.* 61. *et* 62. Plettenberg *introd. jur. can. c.* 25. *n.* 2. Reiffenst. *proem. num.* 62.

289

Dub. 1.° an juris ecclesiastici plenum robur, et authoritatem in foro, et scholis obtineat liber VI. decretalium, clementinae, et extravagantes? *Certum est*, juris ecclesiastici plenum robur, et authoritatem eandem, quam decretalium libri priores habent, competere libro IV, clementinis, et extravagantibus Joannis XXII; nam sextus a concilio lugdunensi, clementinae a concilio viennensi, et ipso Clemente pontifice, extravagantes Joannis XXII. ab hoc pontifice auctore illarum, sunt approbate.

290

Controversia moveri potest de extravagantibus communibus. *Ratio dubitandi* est, quia non constat, quod istae alicujus pontificis autho-

ritate sint compilatae, ut proinde recurrendum esse videatur ad fontem, unde desumptae sunt, et videndum, an cum originali concordent.

291

Sed omnino dicendum, etiam his ecclesiastici juris vim, et authoritatem concedendam, nisi posteriore aliqua constitutione, vel consuetudine legitime praescripta iisdem derogatum constet. Rom. *consil.* 260. *n.* 2. Tusch. *lib.* 1. *concl.* 679. Franc. de Pavinis *in prael. ad extrav. Joannis XXII.* Plettenberg *intr. jur. can. c.* 24. *num.* 3. Vviestner *proem. num.* 107. et alii passim. Ratio est, quia etsi non sint authoritate apostolica compilatae, sunt tamen ea authoritate editae, ut ex omnium subscriptionibus, et ex data compluribus subscripta liquet. Neque dici potest, quod non concordent cum originalibus, nam haec in archivio apostolico asservantur, quibus si discordarent, pontifex utique jussisset emandari errorem, praesertim cum publica, pacifica, et tribus saeculis continuata tolerantia patiatur textus istarum extravagantium in foro, et scholis allegari.

292

Quare extravagantes istae facient plenam fidem in judiciis, etiamsi non producantur, et sententia contra illas lata erit nulla, ut post alios monet Plettenberg. *l. cit.* et ratio est, quia sententia contra jus notorium lata nulla est, sed extravagantes constituunt jus notorium; nam post publicationem satis evulgatae sunt per librorum impressionem, ita, ut ignorantia de illis praesumi nequeat.

293

Dub. 2. quam vim, et authoritatem habeat liber VII. decretalium? Procedit quaestio tam de illo libro VII. quem compilavit Petrus Matthaei juxta *num.* 287. quam de eo, qui impressus est jussu Clementis VIII. sed postea suppressus. Uterque hic liber videtur vim, et robur juris ecclesiastici habere, tum quia meras constitutiones ecclesiasticas continet, tum quia posterior hoc ipso censeri canonizatus possit, quod jussu Clementis sit editus.

294

Sed dicendum, nec unum, nec alterum vim juris ecclesiastici usquequaque perfectam habere. Franc. de Pavinis. *praelud. ad extrav. Joann. XXII. vers.* 1. *debet autem.* Pirhing *proem. num.* 24. *vers. ad has*, Engl. *ibid. n.* 11. Reiffenstuel *num.* 61. Ratio de *priore* est, quia authoritate solum privata collectus est, neque constat, quod constitutiones eo comprehensae omnes debito modo sint promulgatae, et tanquam jus universale ecclesiae propositae: unde cum regula alias universalis sit, quod extravagantes bullae, quas non constat debito modo publicatas, aut in usum deductas fuisse, et an cum suis originalibus in omnibus, et per omnia correspondeant, in rigore non obligent, nisi producantur in forma authentica cum plumbo, et debita suscriptio-

ne, ut constitutiones in hoc libro VII. Petri Matthaei comprehensae fidem faciant in judicio, in originali sunt producendae.

295

Posterior, quia jussu Gregorii XIII. Sixti V. et Clementis VIII. collectus, et ultimi voluntate etiam typis impressus est, majorem videtur authoritatem habere, cum approbationem pontificis habeat, quae legis, jurisque authoritatem dat: sed spe authoritatem hanc juris ecclesiastici obtinendi idem liber jam tum excidit, quando sub nomine libri VII. decretalium Clementis VIII. propediem jam erat publicandus; cum enim ex ratione gravissima publicatio ista fuerit intermissa, eidem deest substantiale aliquod requisitum, nempe promulgatio, sine qua lex nulla obligat. Quare textus ex isto libro nulli allegari utiliter poterunt, sed recurrendum ad originales textus, et ipsas constitutiones pontificum, et conciliorum flor. et trid. decreta, quae liber iste complectitur.

296

Quaeritur 11. quam authoritatem habeat *rubrica* praefixa titulis, et capitulis? Resp. distinguendum esse inter rubricas praefixas textibus voluminis Gratianaei, et inter rubricas praefixas testibus duorum posteriorum voluminum. *Rubricae voluminis Gratianaei* legis ecclesiasticae authoritatem non habent. Abb. *proem. decretal. n.* 8. Coepoll. *tr. de cognit. lib. jur. can. num.* 16. Reiffens. *proem. num.* 93. Ratio est, tum quia neque authenticae, neque ab ipso decreti compilatore, sed ab aliquo quodam praefixae sunt, prout notatur §. *nota in fin. post summam dist.* 1. tum quia non tam rubricae, quam summae quaedam canonum subjectorum sunt, et ex iis aliquae falsae, et aliae corruptae reperiuntur.

297

Alia est ratio rubricae, quae praefixa invenitur testibus duorum posteriorum voluminum; nam hujus maxima est authoritas, ut notat Gloss. *in decret. lib.* 6. *proem. V. titulus.* Abb. *num.* 8. *cit.* Jason *in l.* 1. *ff. de reb. credit. a num.* 2. Vviestner *proem. num.* 108. Reiffenstuel *ibid. num.* 93. Ratio est, quia teste Bonifacio VIII. *proem. lib.* 6. ibi *nos decretales hujusmodi etc.* authoritate apostolica praefixa est. Ex quo sequitur, eas utiliter allegari.

298

Possunt autem rubricae allegari ad quatuor potissimum effectus. 1. *dispositive*, si contineant orationem perfectam, uti est rubrica *ne sede vacante aliquid innovetur*, *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur etc.* tunc enim, ut *supra* de rubricis juris civilis *n.* 203. monui, etiam rubricae juris canonici vim juris habent; cons. allegari tanquam jus certum, possunt, prout quotidiana docet experientia. Dixi, *si contineant orationem perfectam;* nam si perfectam orationem non contineant, ut istae: *de summa trinitate*, *et fide catho-*

lica , de constitutionibus , de rescriptis etc. cum ob imperfectionem sensus , sive orationis , quam habent , de nullo disponant , allegari dispositive nequeunt , bene tamen ad tres sequentes effectus.

299

2. *Declarative ;* nam quotiescumque verba canonis , legis , vel statuti , adeoque nigri obscura , vel ambigua sunt , possunt , ac debent declarari per rubricam iis praefixam gloss. *in l.* 1. *V. retractare C. ne liceat in una , eademque causa tertio provocare etc.* Jason. *ibid. num.* 2. Abb. *proem. rex pacificus , num.* 8. Reiffenstuel *proem. n.* 99. et alii passim. Et ob hanc rationem gloss. *in cap. cum monasterium V. postulantis de elect.* infert , in casu istius capituli celebratam fuisse electionem , et non mere postulationem , quia capitulum hoc non ponitur sub rubrica *de postulatione* , sed *de electione.*

300

3. *Extensive ;* nam rubrica generalior nigro , et habens perfectam orationem , nigrum magis speciale ampliat. Tusch. *lib. R. concl* 370. *num.* 1. *et seqq.* Astens. *tract. tom.* 2. *tr. de statut art.* 8. *num.* 94. *et seqq.* Barbos. *loco a rubrica num.* 4. Reiffenstuel *l. cit. n.* 100. *excipiuntur* tres casus. 1. si intelligendo rubricam generaliter insurgeret correctio nigri , sive contradictio inter rubricam , et nigrum ; tunc enim nigrum , veluti posterius , et magis speciale , magisque deliberatum , restringit rubricam : et merito ; quia tum demum rubrica generalior declarat nigrum , illudque ampliat , quando nigrum est dubium , igitur quando clarum hoc est , rubricae praevalet , neque ab ista interpretationem , vel ampliationem recipit. Roman. *consil.* 104. *n.* 5. Tusch. *l. cit.* Reiffenst. *num.* 101. 2. si consuetudo practica , seu stylus sit contrarius ; nam consuetudo est optima legum interpres *c. cum dilectus* 8. *de consuet. et l. si interpretatione* 37. *ff. de LL.* 3. si nigro generaliter intellecto , sequeretur aliquid durum , absurdum , vel iniquum contra , vel praeter significationem verborum , et mentem statuentium ; nam in materia odiosa locutio indefinita non aequipollet universali , imo strictissime debet intelligi *c. odia* 15. *de R. J. in* 6. Jason. *l. cit. num.* 7. Astens. *num.* 96. Reiffenst. *num.* 102.

301

4. Rubricae authenticae universaliter allegantur arguendo non solum ex verbis (modo hactenus declarato) sed etiam ex situatione, sive ordine ipsarum rubricarum , interpretando videlicet textum , ut conveniat titulo , sive rubricae , sub qua positus iste est. Abb. *l. cit. et in c. bona §. fin. de conf. util. vel inut.* Jason. *num.* 14. Reiffenst *num.* 103. neque enim in jure aliquid inordinatum , incorrectum , aut superfluum admitti debet, contra proemium decretalibus praefixum. Et hinc duae fieri regulae possunt. 1. ubicumque plures lecturae possunt elici ex uno textu canonis , legis , vel statuti , illa est amplectenda , quae magis conve-

nit, et adaptatur rubricae, sub qua textus ille est positus. Et sic gloss. *in c. bonae cit. V. tamdiu* ex eo, quod textus iste sit positus sub titulo *de confirmatione utili, vel inutili*, infert in casu istius capituli factam esse a papa confirmationem simplicem sententiae: alias enim si per modum secundae instantiae pronuntiatum ab eo fuisset, textus iste debuisset poni sub titulo *de appellatione*. 2. Res, et personae, de quibus in textu sermo est, induunt rationem, et qualitatem, quam rubrica significat: Et sic gloss. *in c. tibi qui* 12. *V. certo de rescript. in* 6. *et in clem. un. V. executores de offic. deleg.* ex eo, quod materia de executoribus ponatur sub titulo *de officio delegati*, infert, quod executores a sede apostolica deputati, habeant delegatam jurisdictionem. Similis delegata jurisdictio a glossa, et DD. adstruitur conservatoribus, quos sedes apostolica concedere solet ad defendendos sibi commissos a manifestis injuriis, et violentiis; quia materia conservatorum ponitur sub rubrica *de officio delegati*, prout liquet ex *c.* 1. 2. *et fin. eod. in* 6.

302

Dub. 1. quam vim habeant *summaria* capitulorum, quibus ista summantur, horumque contextus in brevem summam redigitur? Resp. ista non esse de textu, sed pro majori legentium commoditate primum addita fuerunt ex scriptis diversorum DD. praesertim *Abbatis panormitani*, *Joannis Andreae*, *Dominici*, et aliorum, qui in ipsis summariis non raro allegantur. Patet proinde, quod haec summaria sint quidem doctrinalia, vim tamen authenticam, et decisivam in judiciis nullam habeant, nisi in quantum concordant cum textu subsequenti. Quia tamen summaria ista constituuntur ex his, quae canonum, vel legum sonant expressa verba, merito in magna aestimatione habenda sunt: et per hoc distinguuntur a notabilibus, quae constituuntur ex illis, quae tacite intelliguntur. Gallesius *tract. tom.* 1. *tr. de exercit. juris petitor. lib.* 3. *n.* 70. Reiffenstuel *n.* 107.

303

Dub. 2. quid judicandum de *superscriptionibus*, quae ponuntur in decretalibus? Resp. Hae omnino authenticae sunt, atque ex illis in jure validum est argumentum. Ita gloss. *in c. quorundam* 24. *v. praedicatorum de elect. in* 6. Petrus a Monte *tract. tom.* 13. *tr. de potest. pontif.* §. *quinto quaero. n.* 2. Reiffenstuel *n.* 108. ratio clara est; quia totum volumen decretalium a papa est approbatum, et in ipso omnia superflua sunt resecata; igitur cum relictae sint superscriptiones capitulorum, etiam ipsae censendae sunt authenticae, sicque valet argumentum ex ipsis depromptum.

304

Quaeritur 12. quae sit authoritas glossae in interpretatione juris? Resp. Hujus, quamvis non legis, aut canonis, magna tamen authori-

tas est, adeo, ut eam cujusvis eximii scriptoris, imo communi DD. sententiae praevalere, et propterea in decisionibus causarum, quae ambiguae resolutionis sunt, amplectendam tradant Bartol. *in l. ut vim ff. de J. et J.* Jason *ibid. n.* 34. Bald. *in l. quanquam* 2. *C. de sentent. quae sine certa etc.* et *in l. cum haereditas C. depositi.* Butrius *in l* 1. *c. qui pro sua jurisdict. etc.* Felin. *in c.* 1. *n.* 54. *de constit.* Caevall. *praefat. ad commun. opin. a n.* 61. Mascer. *de probab. concl.* 843. *n.* 1. Reiffenstuel *proem. n.* 146. Et quidem, quod glossa vim, et authoritatem legis non habeat, ex eo patet; quia nuspiam authoritas legis condendae eidem est attributa: quinimo a privatis DD. videlicet *Bernardo*, *Tancredo*, *Joanne Andreae*, et aliis, quorum nomina ad finem glossarum plerumque apponuntur, textui canonum apposita est, atqui tales privati DD. potestatem condendi leges non habuerunt: ergo etc.

305

Quod vero magna sit ejus authoritas, inter DD. *citt.* et communiter etiam inter ceteros convenit: et patet experientia magistra. *Excipitur* 1. si glossas alias sibi contrarias habeat, 2. si juris textum aliter intelligendum doceat consuetudo, quae optima legum interpres est, 3. si sententia contraria sit juri conformior, vel nitatur meliore, ac subtiliore ratione. Ita communem de glossae authoritate sensum recte temperant Abb. *in c. capellanus num.* 3. *de feriis*, Mascard. *concl. cit. num.* 13. 14. *et* 18. et alii, praesertim RR. interpretes, juxta quos tum primum glossae authoritati in judicando, et consulendo praealiis deferendum est, quando jure, vel ratione nititur, et a textu non dissidet, secus, si dissideat; tunc enim ajunt praeferendam communem sententiam, si haec juris textui, aut rationi non repugnet; quia duo in dubio praesumuntur veritatem assecuti prae uno.

306

Quare in delectu opinionum, inter se contrariarum, non est habendus respectus, num glossa, vel alius doctor opinionem aliquam foveat, sed ad rationem, propter quam glossa, vel author certus eamdem fovet *l. Deo authore* 1. §. *sed neque* 6. *C. de vet. jur. enucl.* ibi, *sed neque ex multitudine authorum, quod melius, et aequius est, judicatote, cum possit unius forsan, et deterioris sententia et multos, et majores aliqua in parte superare.* Reiffenstuel *n.* 149.

307

Neque obstat, quod glossa tantae authoritatis esse judicata fuerit, ut majores nostri dignam censuerint, quae ad canonis, vel legis declarationem in corpore juris poneretur. Item *non obstat,* quod *Bartolus*, *Baldus*, et alii DD. passim ejus explicationem sic aestiment, ut audeant dicere, quod glossae authoritas omnes alias authoritates antecedat, a qua proin in causis magnis recedendum non sit: inter quos

DD. Jacob. Butr. *in l.* 1. *C. qui pro sua jurisd.* ait, quod ubi cum glossa concordat aliquis doctor, illa opinio censeatur communis in judicando.

308

Nam respondetur, id intelligendum in causis, quae, ut notavi *num.* 304. dubiae, et ambiguae resolutionis sunt, ita, ut pro una parte non stet major ratio, quam pro altera; ubi enim pars una rationum momentis vincit alteram, rationi posthabenda authoritas glossae est. Si par utrinque ratio pugnet, glossae authoritatem sequimur, non ex necessitate, sed per modum consilii; quia cum veritas non potest facile inveniri, utilius est accedere opinioni glossae, cujus authoritate defendimur, et excusamur facilius, quam si adstipulemur sententiae privati cujusdam doctoris, non afferentis clariora juris, aut rationum fundamenta: non tamen idcirco cogimur tunc sequi glossam, ut fatetur Bald. *in l. conventicula* 16. *n.* 3. *C. de episc. et cleric.*

§. VIII.

De decretis conciliorum, horumque authoritate.

SUMMARIUM

309 *Concilii etymologia.*
310 *Diversa acceptio, et definitio concilii ecclesiastici.*
311 *Origo conciliorum ecclesiasticorum probabilius divina est.*
312 *Quod ostenditur ex Bellarmino.*
313 *Et confirmatur ex instinctu gentium fere omnium.*
314 *Sunt utilissima ecclesiae, quamvis non necessaria absolute.*
315 *Non tenetur pontifex stare judicio concilii.*
316 *Causae particulares convocandi concilia.*
317 *Alia sunt generalia, alia particularia.*
318 *Particularia sunt triplicis generis: primo nationalia.*
319 *Secundo provincialia.*
320 *Tertio diocesana, seu episcopalia.*
321 *Ad provinvialia revocari possunt celebrata a legatis pontificis cum episcopis provinciae, et congregationes religiosorum ordinum.*
322 *Concilium generale debet convocari jussu summi pontificis.*
323 *Qui huic per se, vel per legatos praesidere debet.*
324 *Vocandi ad illud sunt omnes, qui jus habent suffragii.*
325 *Et primo quidem episcopi.*
326 *Secundo cardinales S. R. E. etiam non episcopi.*
327 *Tertio ex usu, et privilegio vocantur abbates, et generales ordinum religiosorum.*
328 *Qui omnes jus suffragii habent.*
329 *Reliqui clerici minores, qui ad-*

sunt, voto duntaxat consultivo gaudent.

330 *Procuratores, qui loco episcopi absentis intersunt concilio generali, non habent votum decisivum.*

331 *Quae sit potestas cardinalium legatorum, qui loco pontificis praesunt concilio?*

332 *Duo casus, in quibus concilium generale convocari absque pontificis romani authoritate potest.*

333 *An fieri hoc possit in aliis insuper casibus?*

334 *Respondetur negative.*

335 *Explicantur canones, et historici dicentes, concilia aliquando convocata fuisse ab imperatore, vel alio principe sæculari.*

336 *Utrum pontifex romanus potestatem praesidendi in conciliis generalibus sibi jure vindicet?*

337 *Defenditur affirmativa, orthodoxa sententia.*

338 339 *Solvuntur opposita.*

340 *Quatuor conciliorum generalium classes.*

341 *Approbata concilia generalia sunt* 18.

342 *Reprobata octo.*

343 *Partim approbata, partim reprobata sex.*

344 *Nec approbatum, nec reprobatum reperitur unum: pisanum prius.*

345 *Decreta conciliorum generalium habent vim legis totam ecclesiam obligantis, si confirmata sint a summo pontif.*

346 *Quae confirmatio proin peti debet.*

347 *Etiamsi concilio praesederint legati pontificis.*

348 *An ejusmodi decreta conciliaria vim legis universalis habeant ante confirmationem pontificis?*

349 *Respondetur negative.*

350 *Quod extenditur ad concilium convocatum in causa schismatis, vel hæresis papæ.*

351 *Respondetur ad argumentum oppositum.*

352 *An concilium generale condere valeat statuta, seu leges, ipsum papam obligantes?*

353 *Defenditur negativa.*

354 *Solvuntur argumenta contraria.*

355 *An confirmari a pont. debeant etiam concilia particularia?*

356 *Quam potestatem concilia ista habeant?*

Hactenus de jure canonico clauso corpore juris communis: sequitur de jure non clauso hoc corpore. Inter ejusmodi jura sunt praecipue decreta conciliorum.

309

Quaeritur 1. quid sit *concilium ecclesiasticum?* Discrepant DD. in radice hujus nominis assignanda; nam aliqui concilium dictum esse existimant a *consulendo*, quod ea, quae ibi decernuntur, concludantur consultatione communi prudentum, ac sapientum virorum, de rebus necessitatem, et utilitatem publicam concernentibus. Alii deducunt a *considendo*, quod eorum decreta fiant a considentibus iisdem sapientibus, super hujusmodi negotiis congregatis, et deliberantibus: quod innuitur *can. canones* 1. §. *fin. dist.* 15. ibi: *concilium a communi intentione dictum quasi consilium; consilium quasi considium D. in L. litteram transeunte.* Alii denique vocem istam derivant a *ciliis:* quia decreta illius fiunt obtutu, et communi intentione memoratorum sapientum, mentis oculos in idem dirigentium, prout explicatur *can.*

et §. cit. ibi : *vel concilium dictum est a communi intentione, eo quod in unum dirigant omnem mentis obtutum. Cilia enim oculorum sunt : unde qui sibimet dissentiunt, non agunt concilium ; quia non consentiunt in unum.*

310

Concilii nomen in triplici significatione capitur 1. late, et generaliter pro quovis conventu multorum hominum, non tantum proborum *psal.* 110. *v.* 1. sed etiam impiorum *ps.* 25. *v.* 4. 2. *pressius* cum Cicerone, qui in *orat. pro Roscio* ait, concilium esse congregationem deputatam ad aliquid cum deliberatione agendum : et in hoc sensu saepius accipitur non solum in veteri testamento 1. *paralip.* 26. *v.* 15. *esth.* 1. *v.* 13. sed etiam in novo. *Luc.* 22. *v.* 66. *act.* 5. *v.* 21. *et alibi* 3. *stricte*, et prout nunc usus obtinet pro conventu personarum ecclesiasticarum, coeuntium in eum finem, ut simul collatis sententiis, statuant, quod bonum videtur. In hoc sensu dicitur *concilium ecclesiasticum*, et definitur, quod sit congregatio, sive conventus publicus prudentum virorum ecclesiasticorum, authoritate praelati convocatorum, ad tractandum de rebus ecclesiae utilitatem, vel necessitatem publicam concernentibus. Bellarm. *l.* 1. *de concil. c.* 3. *pr.* Plettenberg *intr. jur. can. c.* 13. *num.* 1. Vallens. *proem.* §. 10. *nu.* 1. Vviestner *ibid. num.* 118. Hujusmodi concilia ecclesiastica in canonibus Apostolorum *can.* 36. et postmodum a SS. PP. et ipsis conciliis saepissime appellantur *synodi :* quod tamen nomen a plerisque ad coetus metropolitanos, et dioecesanos contrahitur. Plettenb. *l. cit.*

311

Quaeritur 2. quo jure sint introducta concilia ecclesiastica ? Resp. Antiquissimus istorum usus in ecclesia est : nam ut *n.* 237. ostendi, ab ipsis Apostolis in ipso ecclesiae nascentis primordio celebrari coeperunt, ac deinde singulis aetatibus, prout ecclesiae vel necessitas, vel utilitas exigebat, repetita. Originem conciliorum Albertus Bighius *l.* 6. *de coelest. hierarch. c.* 1. contendit esse plane humanam, et naturali ratione excogitatam. Sed probabilius tamen est, divinam esse. Ita Bellarm. *l. cit. hanc autem.*

312

Ostenditur ab eodem *Bellarmino* triplici argumento 1. quia concilium Chalcedonense *in epistola ad Leonem*, et VI. synodus *actione* 17. et Coelestinus papa *in epist. ad concil. ephes.* item concilium Toletanum III. *non procul ab initio*, docent, concilia esse demonstrata a Christo in illis verbis : *ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic in medio illorum sum.* Matth. 18. 2. Credibile est, Apostolos, qui pleni erant Spiritu Sancto, non nisi ipso Spiritu Sancto admonente, primum concilium congregasse ; unde etiam dicunt ; *visum est Spiritui Sancto, et nobis.* act. 15. atqui falso decre-

ta sua Apostoli, quae in hoc suo concilio statuerunt, Spiritui Sancto tribuissent, si iste nec author, nec actor esset in conciliis, sed ut *Pighius* vult, convocare concilia inventio solum humana esset 3. etsi ratio humana, et naturalis dictet, ut in rebus dubiis princeps consulat homines peritos, tamen ut soli episcopi convocentur, et ii non, ut consiliarii tantum, sed ut judices sententiam ferant, non videtur solius rationis humanae inventum esse.

313

Confirmat Plettenber. *l. cit. n.* 2. nam si ex jure solum humano concilia instituta essent, quibus episcopi tanquam judices interessent, mutatio saepius circa ea contigisset: talis autem non contigit; nam ubique omnium gentium consensu sacerdotes, qui divinis praeerant, judicandi de rebus maximis authoritatem habebant; sic enim 1. in lege mosaica constitutum erat concilium 70. virorum, quod ab hebraeo *Sanhedrim* dictum est, in quo, summo pontifice praesidente, graviores res causae decidebantur. *Deut.* 21. *v.* 5. et 17. *v.* 8. Sigonius *l.* 6. *de republ. heb.* 2. apud Romanos, teste Tullio *pro domo sua* augures *religionibus deorum, et summae reip. a majoribus praefecti erant* 3. apud Gallos Druides de omnibus fere controversiis publicis, privatisque constituebant. Caesar. *lib.* 6. *bell. gallic.* 4. idem faciebant sacerdotes apud Aegyptios. Strabo *l.* 17. *de Maroitarum moribus*, apud Persas. Euseb. *in chronico*, apud Athenienses. Joseph. *l.* 14. *antiq. c.* 10. Convincit ergo omnium fere gentium consensus, authoritatem sacerdotum in judicando non esse solum humani, sed naturalis, et in ecclesia etiam divini juris.

314

Quaeritur 3. ob quas causas convocari concilia, praesertim universalia soleant? Videntur, frustra haec convocari; quia summus pontifex, etiam solus, et sine concilio est judex omnium controversiarum, quae circa fidem, et mores moveri possunt, eique, tanquam Christi vicario, omnes fideles obtemperare tenentur. Sed licet hoc ita sit, causa tamen convocandi hujusmodi concilia fuit justissima, ne pontifex in decidendis hujusmodi controversiis gravioribus temere videretur agere: atque ita in ecclesia omnium saeculorum praxis obtinuit. In quem sensum Coelestinus III. *prudentiam* 21. *de offic. deleg.* ait: *illa fuit antiqua sedis apostolicae provisio, ut hujusmodi causarum recognitiones duobus, quam uni, tribus, quam duobus libentius delegaret, cum (sicut canones attestantur) integrum sit judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur.* Utilissima igitur concilia ecclesiae sunt, quamvis non necessaria absolute, et simpliciter, ut notat Bellarm. *l.* 1. *de concil. c.* 10. et ostendit ex eo, quia licet etiam primis ecclesiae temporibus non defuerint causae, ob quas concilia potuissent convocari, trecentis tamen primis annis ecclesia conciliis generalibus

caruit, nec tamen oppressa est, igitur potuisset sine dubio aliis trecentis, et rursum aliis sexcentis, atque aliis mille permanere, cum solus pontifex tum per leges suas, tum per conciliorum provincialium decreta sufficienter necessitatibus ecclesiae providere possit.

315

Atque hinc fluit, quod medium quidem ordinarium, quo pontifex circa fidem et mores utitur in rebus arduis, sit convocare concilium, atque ejus sententiam audire, non tamen teneatur semper judicio illius stare, sed si ipse cum concilio cardinalium, quod est judicium sedis apostolicae, et tribunal ecclesiae, dissentiat a sententia concilii, poterit res controversas determinare. S. Thom. 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. atque tunc sententia papae, et cardinalium praeferenda est definitioni concilii generalis; nam sententia papae est judicium sedis apostolicae, et ecclesiae catholicae, quae in fide, et moribus errare non potest, *can. quoties* 12. et *can. haec est fides* 14. *caus.* 24. *q.* 1.

316

Causae particulares, ob quas concilia generalia convocari solent, sunt variae. Et 1. quidem nova, et ante non judicata haeresis: et sic congregata est synodus nicaena I. contra Arrium, constantinopolitana I. contra Macedonium, ephesinum contra Nestorium, chalcedonense contra Dioscorum, et Eutychetem, constantinopolitanum II. contra errores Origenis, constantinopolitanum III. contra monothelitas, et istorum haereses, tum subortae, condemnatae. 2. Schisma in ecclesia ortum, dum plures pro pontifice romano se gerunt: et in hunc finem convocatum est concilium constantiense, ubi tres erant, qui se pontifices appellabant, 3. ut Turcis, aliisque ecclesiae hostibus communi subsidio resistatur: ob quam causam concilium coegerunt Urbanus II. Callixtus II. Eugenius III. 4. suspicio haeresis, vel infidelitatis, aut tyrannis incorrigibilis in romano pontifice: et ob hanc congregatum fuit sinuessanum in causa Marcellini, romanum in causa Damasi, Sixti III. Leonis III. quorum tamen nullum sententiam damnationis in papam dixit. 5. Reformatio abusuum, et extirpatio vitiorum, quae in ecclesiam irrepunt: pro quibus tollendis concilia hucusque omnia, etiam particularia, celebrata sunt, 6. excogitari posset, si cardinales aut nollent, aut non possent eligere pontificem, per morbos, mortem, vel alium casum inevitabilem impediti; nam tunc utique ad concilium generale spectaret determinare de electione pontificis. Coriolanus *in prael.* 1. *summ. concil.* Plettemberg. *introd. can. c.* 13. *num.* 4.

317

Quaeritur 4. quotuplicis generis dentur concilia ecclesiastica? Resp. Conciliorum aliqua sunt generalia, alia particularia. *Generalia* sunt, quae congregantur summi pontificis authoritate, omnibus christiani

orbis episcopis convocatis : hinc graece *oecumenica*, quasi orbis terrae concilia, ab Aug. *lib.* 2. *de bapt. c.* 3. *plenaria* appellantur, quia universalem ecclesiam repraesentant. *Particularia* vero sunt, quae celebrantur, convocatis non orbis totius, sed alicujus tantum nationis, provinciae, aut dioecesis episcopis, vel praelatis, et clericis. Gloss. *in summ. V. generalia dist.* 17. Bellarm. *l.* 1. *de concil. c.* 4. Plettenberg *intr. jur. can. c.* 13. *n.* 5. Pirhing *proem. n.* 18.

318

Particularia sunt triplicis generis. 1. *Nationalia*, quae celebrat aliquis patriarcha, vel primas, aut etiam papa cum archiepiscopis, et episcopis unius alicujus regni, vel nationis, seu duarum, trium, vel plurium provinciarum. Talia sunt multa romana, a summo pontif. cum episcopis tantum Italiae celebrata ; toletana item, et africana : de quibus id notandum, quod haec concilia, licet sint distincta a generalibus, et provincialibus, aliquando tamen *provincialia*, aliquando *universalia* appellentur, ut patet in conciliis romanis sub Symmacho, ubi semper dicitur, *Symmachus concilio generali praesidens*, et tamen aderant solum episcopi Italiae : similiter in concilio toletano III. *cap.* 18. dicitur : *praecipit haec sancta, et universalis synodus ;* et tamen solum aderant episcopi Hispaniae : idem patet in concilio carthaginensi IV. dicuntur ergo *generalia*, sive *universalia*, non absolute, sed quia vel sunt universalia, et generalia in certo regno, aut natione, vel quia sunt universalia quoad authoritatem, quia scilicet, quatenus approbata sunt a summo pont. omnes Christi fideles ad sui observationem adstringunt. *Provincialia* autem vocantur, ad distinctionem a conciliis proprie generalibus, quod certis tantum provinciis contineantur, cum illa ad omnes christianos pertineant. Bellarm. *l. cit. vers. vocantur.* Vallens. *proem.* §. 10. *num.* 6.

319

2. *Provincialia*, quae archiepiscopus, vel metropolitanus celebrat cum suis suffraganeis episcopis, abbatibus, aliisque clericis suae provinciae. Talia sunt plurima in tomis conciliorum. Praeest illis archiepiscopus, sive metropolitanus : hinc ad illorum convocationem, aut celebrationem non requiritur praesentia, vel authoritas primatis, aut patriarchae *arg. can. de conciliis* 2. *dist.* 18. Vallens. *l. cit. n.* 7. Interesse illis sub certis poenis jubentur omnes episcopi, et alii, quibus id vel de jure, vel de consuetudine competit. Olim haberi debebant singulis annis bis. *can. de conciliis cit.* et *can. pervenit* 6. *dist. cit.* postea constitutum, ut celebrarentur semel saltem in anno *can. quoniam* 7. *dist. cit. c. sicut* 25. *pr. de accusat.* quod tempus denique a Trid. *sess.* 24. *c.* 2. *de reform.* relaxatum est ad triennium, et injunctum archiepiscopis, ut singulis saltem trienniis hujusmodi synodos provinciales celebrent.

320

Dioecesana, seu *episcopalia*, quae celebrantur ab episcopo, aut sede vacante, a capitulo cum abbatibus, aliisque praelatis, et clericis suae dioecesis. Hujus generis concilia paucissima extant in tomis conciliorum: nec immerito; nam vix dici possunt concilia, cum in eis ordinarie nullus sit; qui jurisdictionem habeat, praeter unum episcopum, qui tali concilio praesidet. Bellarm. *l. cit. vers. dioecesana*, Vallens. *ll. cit. n.* 9. De jure haberi deberent singulis annis juxta *can. quando* 2. junct. Gloss. *fin. dist.* 18. *can. placuit* 51. junct. Gloss. *v. concilio caus.* 12. *q.* 2. *can. abbates* 16. *pr. caus.* 18. *q.* 2. trid. *sess. et c. cit. fin.*

321

Ad provincialia concilia revocari possunt ea, quae legatus a latere, vel alius ex speciali mandato suae legationis celebrat cum metropolitanis, et aliis clericis provinciae, aut provinciarum, intra terminos suae legationis contentarum; nam et haec provincialia, dicuntur a provincia, quae habere debet unum archiepiscopum, et decem, aut undecim episcopos. Vallens. *l. cit. num.* 8. Episcopalibus addi possunt concilia, seu congregationes, in quibus ex superiorum suorum authoritate alicujus ordinis monachi, aut alii religiosi conveniunt: eaeque sunt vel generales, vel provinciales: de quibus agitur *in c. penult. et ult. de stat. Monach.* Vallens. *n.* 9. Pirhing. *n.* 19.

322

Quaeritur 5. quid requiratur, ut legitimum, et perfectum dicatur concilium generale? Resp. 1. requiritur, ut hujusmodi concilia congregentur summi pontificis mandato, vel approbatione. Pelagius II. *ep.* 8. Alexander III. *Const. Quoniam* 9. Innocentius III. *Const. Vineam*, et ita factum est in primis quatuor conciliis, quibus s. Gregorius tantum tribuit, ut *sicut sancti evangelii quatuor libros, sic quatuor haec concilia suscipere, et venerari se fateatur*, ut refertur *can. sicut* 2. *pr. distit.* 15. Ideoque si sine summi pontificis authoritate concilia convocentur, invalide celebrantur *can. synodum* 1. *et duob. seqq.* junct. *can. multis* 5. *dist.* 17. et conciliabula potius, sive improbata conventicula, et synagogae Satanae, quam concilia dicenda sunt, per textus *cit.* s. Thom. 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. Patet ex traditione, et perpetuo usu ecclesiae, et probatur etiam ex hoc; quia omnes totius orbis christiani episcopos convocare ad eum solummodo pertinet, cujus jurisdictioni omnes subsunt. Hic autem est solus romanus pontifex: ergo etc.

323

2. Requiritur, ut pontifex concilio praesit per se, vel per legatos suos *can. regula* 2. *et can. concilia* 6. *dist.* 17. caput enim, quale est pontifex, praesidere debet corpori: idque semper in legitimis

conciliis oecumenicis observatum fuit. *Neque obstat*, quod imperatores in sexta, et octava synodo praesedisse dicantur, et propterea in his, et aliis conciliis per se, vel per legatos suos digniorem saepe locum, nimirum in medio occupaverint. Nam digniorem locum occuparunt, non jure, sed defacto tantum; et ipse Constantinus in nicaeno I. humiliorem sibi locum delegit, teste Euseb. *lib.* 3. *de vit. constant.* cujus exemplum imitati sunt alii pientissimi imperatores, et inter ceteros Martianus *can. nos ad fidem* 2. *et can. satis* 7. *dist.* 96. Quod vero saepe imperatores conciliis interfuerint, id factum ad majorem eorum celebritatem, et ut tumultus in tanta congregatorum frequentia averterentur, non vero ut in iis judicum partes sustinerent, vel suffragium ferrent, prout testatur supra laudatus Martianus, cujus verba referuntur *can. nos ad fidem cit.*

324

3. Requiritur, ut ad concilium vocentur omnes, qui jus habent suffragii, quantum moraliter fieri potest, nec ullus eorum e concilio excludatur; quia hoc repraesentat totam ecclesiam: concil. Constant. *sess.* 5. idque approbatum est a Martino V. et patet ex *reg.* 29. *in* 6. ibi: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Non tamen est necesse, ut convocatio ad singulorum aures perveniat; sed sufficit, ut ex intentione vocantis per se ad omnes referatur. Item non est opus, ut in particulari vocentur omnes, sed satis erit patriarchas, primates, et archiepiscopos invitare cum illorum suffraganeis, et praelatis subditis, ut vel omnes veniant, vel nomine omnium illos mittant, qui sufficere illis videbuntur. Plettenberg. *c.* 13. *n.* 5.

325

Quaeritur 6. quinam vocari debeant, aut soleant ad concilium generale? Resp. 1. vocandi sunt omnes totius orbis christiani episcopi; idque ex jure proprio: quia sunt pastores ecclesiae ex officio *ephes.* 4. quam tanquam primates regere debent, *act.* 20. cum in ea proprie habeant jurisdictionem *sext. sinod. act.* 11. et *sept. synod. c.* 19. ita, ut nullus positive excludi possit, nisi excommunicatus. Non tamen est necesse, ut omnes concilio intersint; nam ut Bellarmin. *l. cit. c.* 19. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 9. Vallens. *proem.* §. 10. *n.* 4. Wiestner. *ibid. n.* 120. notant, si concilium celebrabatur in Oriente, pauci ex episcopis occidentalibus, et si in Occidente, pauci ex orientalibus interesse sunt soliti. Episcopi titulares vocari possunt, et habere suffragia: sed non est necesse; quia actu carent jurisdictione episcopali, sicque habere usum testatur Suar. *D.* 9. *de concil. sect.* 1. *n.* 18. apud Plettenberg. *c.* 13. *cit. n.* 5.

326

2. Vocari debent cardinales, etiam non episcopi: idque ex privilegio, vel consuetudine, ut quidam existimant, vel ut alii cum Suar.

l. cit. n. 17. etiam ex jure ordinario ; quia actus jurisdictionis , qui ad externum ecclesiae regimen ordinantur , et intrinsece a consecratione episcopali non pendent , communicari possunt quibusvis personis ecclesiasticis capacibus.

327

3. Ex usu , et privilegio , non ex jure communi vocantur generales ordinum regularium , et abbates consecrati habentes jurisdictionem. Plettenb. *num.* 6. Praeter istos admittuntur etiam nonnulli theologi doctrina , prudentiaque conspicui , non ecclesiastici tantum , sed nonnumquam etiam laici , qui ut consiliarii in rebus solum discutiendis adjuvent. Item notarii , cursores , et alii , qui pp. congregatis in necessariis famulentur. Accedere quoque ad concilium possunt , quotquot se laesos existimant *can. propter* 4. *dist.* 18. et hi , si beneficiati sint , possunt percipere fructus beneficiorum suorum , exceptis distributionibus quotidianis , non secus , ac si praesentes essent. *concil. constant. sess.* 10. Bellarm. *l.* 1. *de concil. c.* 15.

328

Quaeritur 7. quam authoritatem episcopi et alii praelati ecclesiastici in concilio generali habeant ? Resp. 1. episcopi in concilio suffragium , seu vocem decisivam habent , eaque illis competit jure ordinario , et ex officio proprio , seu ex munere suo pastorali. 2. similiter suffragium habent in conciliis decisivum cardinales et quidem ante episcopos , licet ipsi episcopi non sint ; quia ex usu , et privilegio pontificum illis praeferuntur in iis , quae non dependent a charactere episcopali ; habentque in titulis suis jurisdictionem episcopalem *c. his quae* 11. *de majorit. et obedient.* 3. Abbates , et generales ordinum regularium ex usu , et privilegio. Bellarm. *c.* 15. *cit.*

329

Reliqui minores clerici , qui ad concilium generale vocantur , tale votum non habent , sed consultivum duntaxat : adhibentur enim , ut juvent concilii patres in disputando. Bellarm. *l. cit.* Multo minus votum decisivum habent personae laicae , licet principes , reges , aut imperatores , vel istorum legati sint. Laym. *l.* 1. 4. *c.* 6. §. 2. *num.* 10. Pirhing *proem. num.* 18. nam licet interesse possint , et nonnumquam interfuerint conciliis , interfuerunt solummodo , ut defensores , testes , consiliarii , suggestores , vel executores. Bellarm. *l. cit.*

330

Dubitari potest de praelatis , vel aliis clericis ; qui loco episcoporum absentium intersunt concilio generali : quod dubium resolvi ope distinctionis potest ; nam olim ferebant suffragium decisivum , non secus , ac episcopi ; a quibus mittebantur , et quorum vices gerebant , ut patet ex actis synodi nicaenae , constantinopolitanae I. et II. ephesinae , et chalcedonensis etc. novissime in concilio tridentino nemo ad

suffragium decisivum admissus est, qui ab alio subrogatus fuisset, sive is procurator esset cujusdam antistitis, sive generalis alicujus praesidis ordinis religiosi. Pallav. *in hist. concil. trid. l.* 6. *c.* 2.

331

Prae ceteris eminet potestas cardinalium legatorum, qui pontificis summi loco concilio praesident; nam hi 1. possunt durante concilio, litteras privatas ad se scriptas, etiam nomine regum, et rerump. recipere, privatim reserare, et legere, in quibus si quid contineatur, de quo monendum sit concilium, id, re prius cum collegis et consultoribus collata, illi proponent 2. si litterae ad universum concilium directae sint, eas non reserabunt, nisi auditis patribus, praeterquam casu, quo earum author per alias adjectas litteras arbitrio, et prudentiae ipsius legati permisit, ut illas, quae ad universum concilium scriptae sunt, proferre possit, aut supprimere 3. eorumdem legatorum, atque etiam consultorum, re tamen prius cum legatis collata, officium est decernere, quid ex iis, quae a ceteris pp. ipsis proposita fuerunt, concilio sit proponendum. Plettenberg *introd. jur. can. c.* 12. *n.* 10.

332

Quaeritur 8. an aliquando concilium generale absque pontificis romani authoritate convocari possit? Resp. Duo sunt casus, in quibus concilium generale a collegio S. R. E. cardinalium absque pontificis romani authoritate convocari potest: unus, si papa lapsus esset in haeresin; alter, si duo de papatu contenderent, et neuter in concilii convocationem consentire vellet: his enim casibus ecclesiae, et fidelium utilitas publica exposceret convocari concilium, ut tollantur, et avertantur publica scandala, ac detrimenta, quae ex hujusmodi haeresi, vel schismatis continuatione impendent. Sed hujusmodi concilia, sic congregata, imperfecta appellat Bellarm. *l.* 1. *de concil. c.* 14. *ad* 2. quod concilium sine capite statuere nihil possit in causis fidei, aliisque majoribus, de quibus statuere potest cum capite.

333

Dubitari potest, an extra hos casus concilium generale alterius, quam pontificis romani, authoritate convocari legitime possit? *Videtur posse;* sic enim, ut volunt affirmativae sententiae patroni, convocatum est nicaenum I. a Constantino Magno, constantinopolitanum I. a Theodosio Seniore, ephesinum I. a Theodosio Juniore, chalcedonense a Martiano, et alia concilia oecumenica ab aliis imperatoribus.

334

Sed manifesti erroris ex ipsis conciliorum actis convinci possunt, quicumque putant, concilia ejusmodi sine romani pontificis authoritate congregata fuisse; nam 1. nicaena synodus a Constantino, et papa est congregata, ut refertur in *sexta synodo act.* 8. 2. constanti-

nopolitanum concilium indictum est ad Damasi papae litteras : nam ita apud Theodoret. *l.* 5. *c.* 9. fatentur concilii illius episcopi , dum ipsi Damaso papae scripserunt , quod litterarum illarum , ad imperatorem missarum , mandato ad iter constantinopolim usque faciendum , se praeparaverint 3. eodem modo ephesinum coactum est interveniente consilio Cyrilli , et authoritate Coelestini papae , ut perhibet Prosper *in chronico* , et constat ex Evagrio *l.* 2. *c.* 4. 4. Martianus , indicturus concilium , per epistolam Leonem papam rogavit , ut ipse veniat , et concilium faciat , vel si nolit venire , per litteras significet , quid agi velit : quae litterae habentur ante concilii chalcedonensis acta.

335

Quare cum ex historiis , et variis canonibus apud Gratianum legimus , imperatores , vel principes congregasse aliqua concilia , accipi istud debet , vel quod illa congregarint ex sententia , et authoritate summi pontificis , et tanquam ejus voluntatis , atque decreti executores , vel quod ipsis petentibus postulantibus , et urgentibus decreta fuerint , authoritate tamen summi pontificis. Nam cum iste sit universalis ecclesiae rector , et pastor , atque imperator in spiritualibus , cumque sit judex supremus omnium fidelium , supremam , et amplissimam habens in eos potestatem sibi soli a Christo datam , ad eum spectat disponere de iis , quae concernunt universalem statum ecclesiae , et ad id concilia universalia convocare , non autem ad imperatorem , vel alium principem saecularem , qui non ecclesiae praesul , sed filius est , si catholicus est. Vallens. *proem.* §. 10. *n.* 4.

336

Quaeritur 9. utrum pontifex romanus potestatem praesidendi in conciliis generalibus sibi jure vindicet ? Negant Magdeburg. *cent.* 4. *cap.* 7. *coll.* 537. Calvin. *lib.* 4. *inst.*, *cap.* 7. §. 1. *et* 2. Carol. Molin. *in consil. de concil. trid. non recipiend.* §. 4. ubi imprudenter mentitur , quod legati pontificis post omnes episcopos in conciliis semper sederint , cum in nullo concilio inveniantur ultimo loco sedisse , Herman. Hamelmann. *l.* 3. *proleg. cap.* 8. Brentius *in proleg. contra Petrum a Soto* , et alii nostri temporis heretici , juxta quos praeses ordinarius conciliorum debet esse imperator , vel aliquis ab eo missus , aut si nullum ipse mittat , praesidem aliquem ipsa synodus constituere debet. Hinc reipsa , dicunt , in conciliis generalibus antiquis non praefuisse fere unquam romanum pontificem , sed vel imperatorem , vel ejus legatos , aut antiquiorem patriarcham , aliumve episcopum loci , in quo celebrabatur concilium : in quem finem adducunt exemplum Constantini in concilio nicaeno.

337

Sed tenendum , tanquam indubitatum , quod praesidere concilio generali pertineat ad summum pontificem , cons. iste hanc praerogati-

vam jure suo sibi vendicet, eoque utatur sive per se, sive (quod ordinarie in conciliis, quae extra urbem habentur) per legatos suos iisdem praesidendo. Ita praxis; nam ita factum hactenus semper fuisse, omnium conciliorum generalium perfectorum exemplis demonstrat Bellarm. *l.* 1. *de concil. c.* 19. Ratio est, quia ipsi soli demandata est cura gregis dominici a Christo *Joan.* 21. *v.* 17. ibi, *pace oves meas. Conf.* nam etiam s. Petrus in concilio apostolico *act.* 15. *v.* 6. praesedit, primus locutus est, primusque quaestionem propositam definivit, quem deinde secuti sunt omnes ceteri. Atque ob istam sedis apostolicae praerogativam conciliorum patres romanum pontificem *patris* nomine honorant, iste vero eos *filiorum* nomine compellat, ut patet ex Theodoret. *lib.* 5. *n.* 10. et concilii chalcedonensis epistola *ad Leonem I.* apud Bellarm. *c.* 19. *cit. V. sed hic.*

338

Ad objecta ab adversariis novatoribus jam satis responsum est *n.* 323. Ex superabundanti additur, Constantinum nicaenae synodo non praesedisse, tanquam illius moderator, ac judex esset: quod inde sit indubitatum, quia consedit in sede humiliori, quam episcopi, et non nisi his annuentibus apud Euseb. *l.* 3. *ejus vitae*, et Theodoret. *l.* 1. *c.* 17. Deinde in ipso concilio palam professus est, se debere ab episcopis judicari, eisque subjectum esse, non praepositum, ut scribit Ruffin. *lib.* 10. *c.* 2. Denique post omnes episcopos subscripsit concilio, cui tamen praeses primo loco subscripsit, ut testatur Basilius imperator *in fine octavae synodi.*

339

Dices Constantinus in eo concilio consedit in aulae capite, patres vero dextrorsum, et sinistrorsum? Resp. Imperatori delatam primam sedem solummodo materialiter, quod honoris gratia factum est, et quia illi concilio pontifex ipse non aderat; nam praesente pontifice, prima sedes imperatori neque materialiter competit, sicut neque delata est illi in florentino, licet Graeci omnino contenderent, ut in summo loco sederet eorum imperator, et summum pontificem praecederet. Bellarm. *c.* 19. *cit. vers. altera.*

340

Quaeritur 10. quot sint concilia oecumenica, seu universalia? Resp. Bellarminus *l.* 1. *de concil. c.* 4. *fin.* in quatuor classes concilia dividit; quaedam enim sunt a sede apostolica approbata, atque ab ecclesia universa recepta: quaedam omnino reprobata: quaedam partim approbata, partim reprobata: quaedam nec approbata, nec reprobata; quod tamen ultimum membrum in conciliis particularibus potissimum locum habet.

Concilia generalia approbata numerantur hucusque octodecim apud Bellarm. *l.* 1. *cit. c.* 5. scilicet 1. *nicaenum I.* sub Sylvestro papa, et Constantino magno imperatore contra Arrium, inchoatum anno Christi 327. et productum usque ad annum 330. qui fuit annus Sylvestri papae 15. Constantini imp. 20. 2. *constantinopolitanum I.* sub Damaso papa, et Theodosio seniore anno 383. celebratum adversus Macedonium, qui negabat Spiritus Sancti divinitatem. 3. *ephesinum I.* indictum authoritate Coelestini papae, Theodosio Juniore imp. anno juxta Baronium 430. juxta Bellarminum 434. ad condemnandam haeresim Nestorii, qui duas distinctas in Christo commiscebat personas, divinam humanam, et negabat B. Virginem appellandam Theotocon, h. e. deiparam. 4. *chalcedonense* adversus haeresim Eutychetis, qui unam dumtaxat in Christo naturam admisit, apertum anno 451. 3. idus octobris, authoritate Leonis I. pontificis, et jussu Martiani imp. ut constat ex ejus epistola ad Leonem data, et concilii istius actis praefixa. 5. *constantinopolitanum II.* sub Virgilio papa, et Justiniano seniore anno 553. in quo praeter alia condemnati sunt errores Origenis. *Constantinopolitanum III.* anno 681. vel 685. sub Agathone papa, et Constantino Pogonato imp. in quo damnata est haeresis eorum, qui unam tantum in Christo voluntatem esse volebant, et propterea monothelitae dicebantur 7. *nicaenum II.* sub Adriano I. pontifice, et Constantino, atque Irene impp. anno Christi 781. si Paulo diacono, vel 786. si Credreno credimus, in quo asserta sacrarum reliquiarum, et imaginum veneratio, contradicentes vero haeretici declarati, et anathemate perculsi. 8. *constantinopolitanum IV.* contra Photium sub Adriano II. papa, et Basilio imp. anno 870. 9. *lateranense I.* sub Callisto III. papa, et Henrico V. imp. pro recuperanda terra sancta. 10. *Lateranense II.* sub Innocentio II. papa, et Lothario imp. 1139. contra antipapas, et pro jure cleri. 11. *lateranense III.* sub Alexandro III. et Friderico I. imp. anno 1180. pro reformatione ecclesiae, et contra waldenses. 12. *lateranense IV.* contra varias haereses, et pro terra sancta, tempore Innocentii III. et Friderici II. anno 1215. 13. *lugdunense I.* sub Innocentio IV. papa contra Fridericum imp. et pro terra sancta anno 1245. 14. *lugdunense II.* anno 1274. contra errorem Graecorum tempore Gregorii X. et Rodulphi I. imp. 15. *viennense* anno 1311. contra varias haereses sub Clemente V. papa, et Henrico VII. imp. 16. *florentinum* contra errores Graecorum anno 1439. sub Eugenio IV. papa, et Alberto I. imp. 17. *lateranense V.* contra schismata, et pro variis negotiis tempore Julii II. et Leonis X. pontificum, et Maximiliani I. imp. anno 1512. inchoatum, finitum 1517. 18. *tridentinum* inchoatum 1545. finitum 1563. contra haeresim Lutheri, tempore Pauli III. Julii III. Pii IV. pont. et Caroli V. ac Ferdinandi I. impp.

342

Concilia generalia reprobata Bellarminus *lib.* 1. *de concil. c.* 6. recenset octo. 1. *Concilium antiochenum* anno 5. Constantii, Christi 345. in quo damnatus est Athanasius, et via patefacta ad eversionem concilii nicaeni I. 2. *mediolanense* episcoporum plusquam 300. anno Christi 354. tempore ejusdem Constantii, in quo etiam oblique fides catholica damnata est. 3. *ariminense* episcoporum 600. sub eodem Constantino anno 363. in quo sublatum est de symbolo nomen ὁμοούσιος. Hujus concilii fuit quasi pars quaedam seleuciense in oriente. 4. *ephesinum II.* tempore Theodosii junioris anno 449. in quo a factione Dioscori occisus est S. Flavianus episcopus constantinopolitanus, et legati Leonis romani pontificis fugati, ac demum haeresis Eutychiana confirmata. 5. *constantinopolitanum* sub Leone Isaurico contra SS. imagines anno 730. cui nullus patriarcharum interfuit, excepto S. Germano, qui tamen non consensit, et ideo a sua sede constantinopolitana dejectus est. 6. *constantinopolitanum* sub Constantino Copronymo anno 756. ad quod convenerunt episcopi 338. sed nullus adfuit patriarcharum, excepto pseudo-episcopo constantinopolitano: definitum in isto concilio fuit, abolendas esse Christi, et sanctorum imagines. 7. *Pisanum* posterius anno 1511. congregatum ab imperatore, et rege Galliae, et aliquot cardinalibus contra Julium II. reprobatum paulo post in concilio lateranensi sub Julio II. *sess.* 2. *et* 3. 8. *wuttenbergense*, quod lutherani generale vocant, trecentorum pastorum, praeside Luthero, anno 1536.

343

Concilia partim approbata, partim reprobata apud *cit.* Bellarm. *cap.* 7. inveniuntur sex. 1. *sardicense* convocatum anno Christi 351. authoritate Julii I. romani pontificis sub imperio Constantis, in quo 300. episcopi occidentales fidem catholicam confirmarunt, 70. orientales adhaeserunt Arrio. 2. *syrmiense* celebratum anno 356. Liberio summo pontifice, et Constantio imperatore: in quo duae formulae fidei dissentientes inter se editae sunt; una composita graece a Marco Arethusio, qui postea sub Juliano illustre martyrium pertulit, ab Hilario, tanquam catholica, explicata, altera ab aliis latine plena aperta blasphemia. 3. *quinisextum*, sic appellatum, quia nec quinta, nec sexta synodus constantinopolitana fuit, sed utrique aliquos canones addidit, qui numero 102. sunt, *trullani* dicti, a palatio, quod Trullum dicebatur, in quo canones isti compositi sunt. 4. *francofordiense* celebratum anno 794. Adriano I. pontifice, et Carolo M. Francorum rege, quod concilium ipse Adrianus confirmavit quoad partem, in qua definitur, Christum non esse filium DEI adoptivum; reprobavit autem quoad partem, in qua ex errore damnatur septima synodus. 5. *constantiense* patrum fere mille, ex quibus episcopi amplius 300. inchoa-

tum sub Joanne XXIII. 1514. et finitum 1518. sub Martino V. et Sigismundo imperatore, quod concilium, quantum ad primas sessiones, ubi decernitur concilium esse supra pontificem, reprobatum est in concilio florentino, et lateranensi ultimo, quantum vero ad ultimas sessiones, et ea omnia, quae probavit Martinus V. ab omnibus catholicis recipitur. 6. *basileense* indictum a Martino V. sed hoc e vivis exempto, convocatum ab Eugenio IV. illius successore anno 1431. finitum 1449. quo tempore cessit Nicolao V. pontifici tam concilium, quam papa Felix V. in schismate ab ipso concilio creatus. Hujus concilii nihil est ratum, et probatum, nisi quaedam dispositiones circa beneficia ecclesiastica, ab isto concilio factae, quas pacis, et unitatis gratia Nicolaus praedictus approbavit.

344

Generale concilium nec approbatum, nec improbatum videtur esse *pisanum*, quod anno 1409. deposuit Gregorium XII. et Benedictum XIII. pro pontifice se gerentes, et elegit Alexandrum V. Interfuerunt huic concilio cardinales 23. patriarchae 3. archiepiscopi, et episcopi 300. monasteriorum praefecti 280. aliique theologi, et legati principum Europae. S. Antoninus *p.* 3. *l.* 22. *c.* 5. §. 2. *et* 3. dicit, illud non concilium, sed conciliabulum fuisse, quod romani pontificis authoritate congregatum non fuerit. Contra tamen est, quia si aperte reprobatum illud fuisset, Alexander V. ab eo electus computari inter veros pontifices non potuisset: quod tamen est contra communem opinionem, quae Alexandrum istum, et Joannem, qui ei successit pro veris pontificibus habet; et hinc Alexander VI. se non quintum, sed sextum appellavit. Videtur ergo hoc concilium saltem reducendum ad quartam hanc classem conciliorum nec approbatorum, nec reprobatorum.

345

Quaeritur 11. quam vim habeant decisiones, et decreta conciliorum generalium? Resp. Si a sede apostolica confirmata sint, obtinent plenum robur, et authoritatem ita, ut hujusmodi decreta, si fidei orthodoxae doctrinam concernant, perinde, ut quatuor evangelia, amplectenda, et retinenda sint; si vero morum reformationem spectent, vim legis universalis, omnes Christi fideles obligantis, obtineant. Ratio de *decretis reformatoriis* est, quia hujusmodi leges papa solus potest condere: ergo multo magis ea condere potest cum concilio generali. De *decretis fidei* autem ex eo ostenditur; quia ejusmodi concilia, capiti suo unita, assistentiam habent Spiritus Sancti, qui est Spiritus veritatis, et repraesentant totam ecclesiam, quae est columna, et firmamentum veritatis: et hinc s. Augustinus *epistol.* 162. ejusmodi canones appellat ultimum ecclesiae judicium, quod quia ineffallibile nullique errori obnoxium est, mutari, et retractari, nisi errando, non potest, teste Epiphanio *Haeresi* 77.

346

Ex quo sequitur, ad hoc, ut hujusmodi decreta infallibilitatem, et vim legis universalem ecclesiam obligantis obtineant, indigere illa approbatione, et confirmatione pontificis; secus utraque destituentur. Hinc acta conciliorum omnia ad romanum pontificem transmitti, eorumque confirmatio peti debet, ut robur obtineant: et ita ab initio statim factum est a concilio nicaeno I. ubi pp. in epistola synodica ad Sylvestrum papam, *quidquid constituimus*, inquiunt *precamur, ut vestri oris consortio confirmetur.* Exemplum istius secuta sunt reliqua concilia, et novissime tridentinum, in quo patres concilii solemniter declararunt, et protestati sunt, omnia, et singula a se statuta, *ita decreta fuisse, ut in his salva semper authoritas sedis apostolicae et sit, et esse intelligatur*, ut habetur *sess.* 25. *cap.* 21. *de reform.*

347

Proceditque hoc, etiamsi in concilio praesederint legati pontificis; nam hoc non obstante, Romam, ut semper factum est, ab ipso pontifice confirmanda, transmitti debent: *nicaenum I. epist. ad sylv. Chalcedon. epist. ad Leon. papam.* Nam pontifex est supra concilia, non vero concilia supra pontificem. Decreta autem concilii generalis, cui pontifex non per se, sed per legatos praesidet, educuntur nomine concilii, ut patet ex octo conciliis generalibus, atque etiam ex tridentino, in quibus saepius legitur, *synodus definit, mandat, prohibet*, ergo etc.

348

Quaeritur 12. an ejusmodi decreta conciliaria vim, et robur legis universalis habeant etiam ante confirmationem sedis apostolicae? Ita quidem Sotus existimat *in* 4. *dist.* 20. *qu.* 1. *art.* 4. *ad* 2. quod concilio generali ipsa ejus convocatione conferatur potestas ferendi hujusmodi leges; haec autem potestas frustra eidem daretur, si ejus ordinationes, ac decreta vim legis ante confirmationem apostolicam non obtinerent, ergo etc.

349

Sed verius est, robur plenum, et absolutam vim obligandi ejusmodi decreta solum obtinere, si confirmatio apostolica supervenerit. Navarrus *de constitut. cons.* 1. *num.* 4. Turrecr. *l.* 2. *summ.* 71. Suar. *l.* 4. *de ll. cap.* 6. *num.* 2. Salas *D.* 8. *de ll. num.* 25. Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 6. §. 2. *num.* 9. Palao *tract.* 3. *D.* 1. *p.* 23. *num.* 15. Pirhing *proem. num.* 18. Vviestner *ibid. num.* 131. et alii, desumentes istud ex perpetua traditione, et observantia conciliorum generalium, quorum patres semper aut petierunt aut receperunt decretorum suorum confirmationem.

350

Ex quo sequitur, a concilio generali, convocato in causa haereseos papae, vel schismatis, statui quidem ea posse, quae praesens

ecclesiae status, et recta gubernatio exposcit; quia alias omni humano praesidio destituta, magis perturbaretur, et gravibus periculis exponeretur: non tamen ab eo posse condi leges ecclesiae universales, utpote cum careat capite.

351

Neque aliud probat argumentum Soti; nam potestas ferendi leges hujusmodi, et obligandi fideles omnes per ipsam convocationem conceditur quidem concilii patribus, non tamen absoluta, sed conditionata tantum, et dependens ab approbatione romani pontificis: quod inde patet, quia jurisditionem in ecclesiam suam Christus immediate dedit soli Petro, ejusque successoribus, ut constat ex verbis Christi: *tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Matth. 16. v. 18. et *pasce oves meas.* Joann. 21. vers. 6.

352

Quaeritur 13. an concilium generale condere valeat decreta, seu leges, ipsum papam obligantes? *Rationem dubitandi* faciunt 1. Synodus III. a Symmacho romano pontifice congregata, ubi *cap.* 4. prout refertur *can. non liceat* 20. *caus.* 12. *qu.* 2. alienatio praedii ecclesiastici ipsi papae est interdicta. 2. bulla reformatoria, sub Leone X. in *concil. later. V. sess.* 9. publicata, ubi statuitur, ut ea observetur etiam in romana curia. 3. Decretum s. synodi trident. *sess.* 24. *cap.* 19. *de reform.* tollens mandata de providendo, et gratias, quae *expectativae* dicuntur, et a sede apostolica emanant. 4. Ejusdem synodi decretum *sess.* 25. *c. vers.* 9. *insuper de reform.* prohibens, ne imposterum beneficia libera uniantur cum patronatis.

353

Sed his non obstantibus, indubitata est negativa. *Ratio est*, quia inferior in superiorem, imo et par in parem jus, et legem ferre non potest, ut explorati juris regula habet *can. inferior* 4. junct. gloss. *V. eodem dist.* 21. *cap. cum inferior* 16. *de major. et obed. l. nam magistratus* 4. *ff. de recept. qui arbitr.* atqui romanus pontifex supremam in terris potestatem habet, et idcirco nemini subjectus est, ut constat ex verbis Christi, *tu es Petrus, et super hanc petram etc. tibi dabo claves regni coelorum etc. quodcumque solveris etc.* Matth. 16. v. 18. quibus D. Petro, ejusque successoribus supremam, nullique subjectam potestatem traditam esse, ss. pp. doctrina, et ecclesiae traditio constans semper fuit, ut late ostendit Bellarm. *l.* 2. *de summ. pontif.* Suar. *de fid. D.* 10. card. Sfondrat. *regal. sacerdot. l.* 2. *a* §. 4.

354

Neque contrarium evincunt decreta in ratione dubitandi allata. *Ad* 1. ut Barbos. *in can. cit. num.* 5. observat, papae nomine ibidem non romanus, sed alii episcopi inferiores veniunt, quod antiquitus non infrequens fuisse notat gloss. *in can. propter* 7. *V. Martini*

dist. 17. Gregor. Tholos. *Syntagm. l.* 15. *cap.* 2. *num.* 17. *et alii.* Si contendas, intelligi summum pontificem, esto, ita sit, decreta tamen hujusmodi, respectu illius, non legis, sed discretae commonitionis, et salutaris consilii rationem habebunt. *Ad* 2. Bulla illa reformatoria non tam decretum concilii est, quam ordinatio summorum pontt. concilio approbante publicata, ut ex bullae *cit.* praefatione, et *data* illius abunde constat. *Ad* 3. laudati concilii pp. *sess. cit. c.* 21. *de reform.* expresse protestati sunt, *omnia, et singula, sub quibuscumque clausulis, et verbis, quae de morum reformatione, atque ecclesiastica disciplina in hoc sacro concilio statuta sint, ita decreta fuisse, ut in his salva semper authoritas sedis apostolicae et sit, et esse intelligatur. Ad* 4. eadem est responsio.

355

Quaeritur 14. an sicut generalia, ut orbis christiani totius, sic etiam particularia concilia, ut certae nationis, provinciae, dioecesis subditos obligent, opus habeant confirmatione apostolica? *Rationem dubitandi* faciunt verba Symmachi papae relata *can. concilia* 8. *dist.* 17. ubi, *concilia*, inquit, *sacerdotum ecclesiasticis legibus quot annis decreta per provincias, quia praesentiam papae non habent, valetudinem perdiderunt*, h. e. invalida, nulliusque momenti sunt.

356

Verum certa est negativa sententia, modo in talibus conciliis nihil statuatur contra canones, et consuetudines universalis ecclesiae. Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 2. Pirhing *proem. num.* 19. Vviestner *ibid.* 138. et patet ex *can. concilia cit. fin.* et *can. fin. dist.* 18. ubi provinciae, sive dioecesis subditis talia decreta *reseranda*, sive publicanda dicuntur: et confirmatur ex *trident* quod *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.* praecipit observari ea, quae in concilio provinciali ordinata fuerint, sine ulla mentione confirmationis apostolicae. Accedit ratio; quia episcopi, et archiepiscopi habent potestatem condendi statuta, obligantia subditos dioecesis propriae, dummodo nihil statuant, quod canonicis obviet institutis *cap. si quis* 2. *de major. et obed.* et *cap. fin. de constit. in* 6.

357

Neque obstat ratio dubitandi; nam ut bene advertit Vviestner *n.* 138. *cit.* verba ibi allegata non sunt sententia ipsius papae, sed adversariorum ipsius ab ipso proposita: hinc verbo *perdiderunt* Ennodius post *can. cit. V. eodem* signum interrogationis adjicit. Quare si recte intelligantur verba illa, aliud non evincunt, quam responsionem, objicientium insaniae a papa subjectam, scilicet a conciliis particularibus contra apostolicas sanctiones, et de fidei, aliisque negotiis, et causis majoribus nihil quidem constitui posse, posse tamen constitui de iis, quae extra hujusmodi causas sunt, et sic statuta non quidem fideles

omnes, subditos tamen obligare, atque obstringere. Ex quo solvitur, quod

358

Quaeritur 15. quam potestatem habeant concilia particularia, nationalia scilicet, provincialia, et dioecesana. Distinguendum enim est inter decreta fidei, et morum. Decreta fidei, seclusa commissione apostolica, condere nulla possunt. Statuta, seu decreta morum facere quidem possunt, sed haec ultra nationem, provinciam, vel dioecesin vim obligandi non porrigunt, nisi sedis apostolicae authoritate pro tota ecclesia recepta, et approbata sint, sicut a Leone IV. recepta, et approbata sunt ancyranum, neocaesarense, gangrense, antiochenum, laodicense, et quaedam alia *can. de libellis* 1. *post princ. dist.* 20. Pirh. *proem. num.* 19.

§. IX.

De decretis, et declarationibus sacrae synodi tridentinae.

SUMMARIUM

359 *Concilium generalium novissimum est tridentium.*
360 *Authoritatem habet parem cum ceteris conciliis.*
361 *Primo tempore omnis potestas illud interpretandi fuit reservata soli pontifici.*
362 *Et congregationi cardinalium super hoc institutae commissa sola executio.*
363 *Cui postmodum data etiam potestas est ex eodem concilio decidendi casus primum claros.*
364 *Postea vero etiam dubios.*
365 *Etc. facultates hujus congregationis.*
369 *Personae, ex quibus illa constituitur.*
370 *An declarationes hujus congregationis habeant vim, et authoritatem legis ecclesiasticae? prima sententia negat.*
371 372. *Altera affirmat.*
373 *Tertia distinguit.*
374 *Et negat de extensivis.*
375 *Nisi fiant ex speciali mandato papae, et legitime promulgentur.*
376 *Affirmat de comprehensivis.*
377 *Respondetur ad argumenta primae sententiae.*
378 *Praeter congregationem card. interp. trid. dantur aliae: et primo quidem congregatio super negotiis episcoporum, et regularium.*
379 *Congregatio jurisdictionis, et immunitatis ecclesiasticae,*
380 *Rituum.*
381 *Indicis librorum prohibitorum.*
382 *De propaganda fide catholica.*
383 *S. officii inquisitionis etc.*
384 *Quando istarum decreta vim legis habeant?*

359

Conciliorum generalium, ut ex dictis *num.* 341. *fin.* patet, novissimum est sacrosancta, et oecumenica synodus tridentina, quae sub Paulo III. rom. pont. et Carolo V. romanorum imperatore inchoata est anno Christi 1545. finita sub Pio IV. anno 1563. et confimata anno eodem ab eodem pontifice per constitutionem *Benedictus DEUS* 7. *calend. febr.*

360

Quaeritur 1. quae sit authoritas hujus synodi, et decretorum illius? Resp. Hujus concilii par cum ceteris oecumenicis, et ab ecclesia receptis conciliis authoritas est: unde fit, quod omnia ejus decreta dogmatica, ut articuli fidei firmissime retinenda, ea vero, quae reformationem morum concernunt, tanquam commune, et novissimum jus ecclesiae, custodienda, et observanda sint, ubicumque legitime promulgata, nec per desuetudinem, aut consuetudinem contrariam abrogata fuerint. Ita communis, et certa sententia DD. catholicorum: et ratio est, quia concilium hoc in Spiritu Sancto congregatum est authoritate apostolica, ejusque decreta omnia a laudato Pio IV. in consistorio secreto per constitutionem *Benedictus DEUS cit.* confirmata.

361

Quaeritur 2. penes quem sit potestas, et authoritas declarandi decreta hujus concilii? Resp. In hoc diversis temporibus diversa sunt observata. Nam primo tempore per memoratum Pium IV. *const. cit.* interpretandi potestas reservata fuit soli pontifici, et prohibitum universim, ne ad decreta concilii edantur commentaria, prout olim fecerat ad codicem Justinianus *l. DEO authore* 1. §. *nostram autem consummationem* 12. *C. de vet. jur. enucl.*

362

Subinde instituit idem Pius IV. congregationem octo cardinalium, qui dicto concilio interfuerant, ejusque sensum probe noverant, ut decreta synodi per officiales servanda curarent, et si quod dubium, aut difficultas aliqua in executione occurreret, ad pontificem referrent: super quo edita est *const. alias nonnulli* 4. *nonas Augusti* 1564.

363

Cum vero successu temporis haec congregatio saepe in rebus dubiis, ad concilii tamen intelligentiam pertinentibus, responsa dedisset, et dubitatum esset, an ad hoc facultatem haberet ob prohibitionem a Pio IV. factam, indulsit primum S. Pius V. eidem congregationi, ut posset decidere casus, quos claros putaret, dubiis ad se remissis: ac non multo post facultatem ipsi concessit decidendi causas, et controversias, interpretationem concilii concernentes, prout in libro congregationis annotavit cardinalis Caraffa apud Fagnan. *in cap. quoniam* 13. *de constit. num.* 7.

364

Denique Sixtus V. reservatis sibi, et successoribus suis tantum iis, quae ad fidei dogmata pertinent, etiam concessit praedictae congregationi potestatem declarandi decreta morum reformatoria, etiam in casibus dubiis, Papa tamen in his consulto, ut habetur *const.* incipit *immensa* edita 11. *calend. febr.* 1587.

365

Quaeritur 3. quas facultates habeat congregatio S. R. E. cardinalium, interpretum tridentini? Resp. 1. habet facultatem executionis, vel observantiae, ut hujus concilii decreta serventur, prout dictum est *num.* 362. quae potestas ipsi competit cumulative cum aliis, puta cum congregatione super negotiis episcoporum, et regularium.

366

2. Interpretari potest idem concilium quoad decreta morum reformatoria, secundum dicta *num.* 364. Interpretatur vero non tantum decreta ista in abstracto, sed etiam in concreto decidit casus particulares, remittendo ad judices ordinarios ea, quae in facto consistunt.

367

4. Concessa huic congregationi a Syxto V. *const. immensa cit.* est facultas synodos provinciales, et dioecesanas in usum deducendi, ut hae singulis, illae tertio quovis anno celebrentur; item facultas recognoscendi decreta synodorum provincialium, audiendi postulata archiepiscoporum, et episcoporum, qui limina Apostolorum visitant, ex his postulatis expediendi ea, quae ipsa congregatio per se potest, relatis ad pontificem rebus gravioribus, ab iisdem episcopis, et archiepiscopis exposcendi statum ecclesiarum, cleri, et populi illis subjecti, et discedentibus dandi litteras ex formula praescripta, testantes, obitam per eos esse visitationem liminum Apostolorum.

368

4. Idem pontifex *constit. cit.* huic congregationi concessit authoritatem non solum in urbe, et statu ecclesiastico, sed etiam in universo christiano orbe ordinandi ea, quae pertinent ad divinum cultum propagandum, et mores christiani populi componendos: quibus omnibus Gregorius XIV. adjecit facultatem scribendi nomine papae litteras in forma brevis. Fagnan. *num.* 7. *cit.* Plettenberg *notit. congreg. et tribun. cur. roman. c.* 18. §. 1. *num.* 9.

369

Porro congregatio haec constat ex meris cardinalibus, praeter unum praelatum, qui secretarii officio fungitur. Ex his cardinalibus unus est praefectus, qui cum secretario subscribit litteras, et decreta, ipsiusque congregationis curam habet, et directionem. Habetur haec congregatio vel singulis septimanis, vel bis in mense, prout negotia postulant, die sabbati, olim in domo cardinalis senioris, nunc in palatio

apostolico, et quandoque etiam coram ipso pontifice. Plettenb. *l. cit. num.* 10.

370

Quaeritur 4. an declarationes congregationis cardinalium concilii interpretum habeant vim, et authoritatem juris, sive legis ecclesiasticae? Negant Petr. de Ledesm. *Summ. tom.* 1. *de sacr. poenit. cap.* 13. *diffic.* 5. Vega *summ. tom.* 1. *cap.* 62. *cas.* 40. Sanch. *l.* 8. *de matr. D.* 2. *num.* 10. Pont. *l.* 5. *de matr. c.* 13. §. 2. *num.* 7. Dian. *p.* 1. *tract.* 10. *res.* 29. Bonac. *de LL. D.* 1. *qui* 1. *p.* 8. *n.* 4. Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 26. Pellizar. *man. tract.* 4. *c.* 4. *n.* 108. et alii non levibus persuasi argumentis. Nam 1. lex ferri debet, et solet per verba praeceptiva, vel prohibitiva, ut ex communi docet Suar. *l.* 3. *de LL. c.* 5. *num.* 8. et, ut obliget, publice promulgari, juxta illud: *leges instituuntur, cum promulgantur. can. in istis* 3. *dist.* 4. et *novell.* 66. *rubr. et c.* 1. *pr.* atqui declarationes istius congregationis non efferuntur per verba praeceptiva, vel prohibitiva: sed per verba *censuit, censemus*, quae tantum denotant sensum, vel judicium alicujus de re aliqua: item non promulgantur, vel publicantur instar legum, sed tantum petentibus reddi solent simpliciter, ergo etc. 2. id, quod vim legis omnes obligantis habet, authentice innotescere communitati debet, *can. erit autem* 2. *dist.* 4. et *l. leges* 9. *C. de LL.* atqui congregationis istius declarationes non innotescunt authentice, cum ad hanc non dirigantur, nec ita fiant ut ad dioecesium ordinarios per agentes, quot Romae habent, authentice valeant pervenire, sicut perveniunt decreta rituum, inquisitionis, et aliarum congregationum. 3. Declarationes istae fiunt ad instantiam, vel consultationem, in casu particulari inter partes controverso, vel in dubio, an conciliari decreto certus aliquis casus comprehendatur: atqui responsa super casu particulari, qualitatibus, et circumstantiis particularibus vestito, partibus litigantibus, vel alicui consulenti reddita, etsi legis vim respectu ipsorum habeant, non tamen habent respectu aliorum; quia res inter alios actae alios non afficiunt *c. quamvis* 25. *de sent. et re judic. l. res inter* 2. *C. quib. res judicat. non noc.* et leges pro iis, quae communiter, et frequenter eveniunt, non pro particulari, et raro contingente casu feruntur *l. jura* 3. *l. ex his* 4. *C. ff. de LL.* 4. ut declaratio legis vim legis habeat, necesse est, ut ab eo fiat, qui condendae legis potestatem habet, juxta *c. inter alia* 31. *de sent. excomm.* ibi, *unde jus prodiit, interpretatio quoque*, quae vim juris habet, *procedat*: atqui non constat, quod sacrae congregationi sedes apostolica condendae legis potestatem concesserit. 5. Declarationibus s. congregationis regulariter non apponitur tempus, aut locus: adeoque validae esse non possunt; invalidae enim sunt constitutiones papales, non continentes locum, et tempus. 6. Declarationes ab illa editae sunt innu-

merae, et earum non paucae aliis, et aliis verbis expressae, quandoque etiam contrariae, teste ipsamet s. congregatione in decreto Gregorii XV. jussu edito, apud Fagnan. *in c.* 13. *de const. n.* 59. ut adeo, si legale robur obtinerent, legum quotidie subnascentium multitudine resp. ecclesiastica obrueretur, varietate, et incertitudine non parum confunderetur.

371

Affirmativam defendunt Rodriq. *tom.* 1. *regul. q.* 11. *art.* 1. *et* 2. Garc. *de benef. part.* 1. *in praefat.* Mirand. *tom.* 2. *qu.* 26. *art.* 11. Salas *de ll. tract.* 14. *qu.* 97. *d.* 21. *sect.* 12. Zypaeus *analys. jur. pont. in praefat.* Barbos. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 4. *n.* 8. Ridolph. *prax. judic. p.* 1. *c.* 7. *n.* 83. Lezan. *tom.* 3. *summ. V. S. congregatio n.* 8. Fugnan. *in c. quoniam* 13. *de constit. a n.* 8. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 86. *n.* 19. Engl. *proem. n.* 19. Reiffenstuel *ibid. n.* 130. et alii passim, persuasi gemina, et utraque non levis momenti ratione. *Prima* est, quia legis vim citra omnem dubitationem habent declarationes tridentini redditae ab ipso papa, ergo eandem habent redditae a s. congregatione. *Prob. cons.* Nam 1. interpretandi facultas, ut dictum est *n.* 364. *et* 366. concessa congregationi est ab ipso papa, ut adeo locus sit regulae: *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum*, quae est 72. *in* 6. 2. ex constitutione Sixti V. ut notavi *n.* 364. *cit.* Declarationes in casibus dubiis non fiunt, nisi summo pont. consulto, et istius nomine litteris expresso per concessionem Gregorii XIV. juxta *n.* 368. atqui declarationes factae, approbante pontifice, et ejus nomine, eadem authoritate pollent, qua redditae ab ipso pontifice. 3. Declaratio est manifestatio sensus legis, atqui sensus legis sive a conditore ipsomet, sive ipsius nomine, et authoritate ab alio manifestatus, legis anima, visque ipsius, et lex ipsa est, ergo etc.

372

Altera ratio est, quia congregationis istius, utpote a S. Sede apostolica institutae, non minor authoritas est, quam prudentum, seu juris consultorum, quibus Justinianus olim legum interpretandarum authoritatem dedit. *l. DEO authore* 1. §. *et ad tuae* 3. *vers. his itaque C. de vet. jur. enuncl.* atqui istorum sententiae, et responsa vim legis obtinent, ita, ut ab illis recedere judici fas non sit. §. *responsa* 8. *inst. de J. N. G. et C.* et decernitur etiam *l. DEO authore cit.* ibi, *ut omnes, qui relati fuerint in hunc codicem, prudentissimi viri habeant authoritatem, tanquam si eorum studia ex principalibus constitutionibus profecta, et a nostro divino fuerint ore profusa;* cujus rei rationem subjicit imperator. *Omnia enim merito nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impartietur authoritas.* ergo etiam declarationes hujus sacrae congregationis vim legis ecclesiasticae obtinebunt; nam dum

pontifex facultatem interpretandi decreta concilii, antea sibi reservatam, ei concessit, hoc ipso declarationes, et interpretationes ipsius vult suas esse effectas, prout loquitur Bonifacius VIII. de provisione facta a legato, authoritate ipsi a sancta Sede concessa *c. si apostolicae* 22. *de praeb. in* 6. Atque eam ob causam congregatio haec multoties inscribitur: *Tridentini concilii santissimi domini nostri authoritate*, seu *apostolica authoritate interpres*. Plettenber. *notit. congr. et trib. cur. rom. c.* 18. §. 2. *n.* 6. Confirmat hoc etiam praxis; nam teste Garcia *l. c.* haec sacra congregatio sic rescripsit cuidam abbatissae Messanensi: *eadem ratio habenda est in his, quae scribuntur a cardinalibus sac. congr. concil. trid. nomine ipsius congregationis, ac si a papa scripta essent.*

373

Tertia, et verior sententia distinguit inter declarationes; nam hae duplicis generis sunt, comprehensivae, et extensivae. *Comprehensivae* sunt, si sensus sic declaratus a verborum propria, et usu recepta significatione non recedat. *Extensivae*, si illam egrediantur, et ultra id quod verba proprie, et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid concedant, prohibeant, dispensent etc.

374

De *extensivis* libenter concedit sententia ista, quod vim, et authoritatem legis non habeant, nisi fiant ex speciali mandato papae, et legitime promulgentur. *Ratio* solida, et perspicua est; quia hoc ipso, quod conciliarium decretorum verbis non contineantur, sunt novae leges ecclesiasticae, authoritatem legislativam in declarante exposcentes. Atqui s. congregatio ex sua institutione authoritatem istam non habet. ergo etc.

375

Dixi, *nisi fiant ex speciali mandato papae, et legitime promulgentur*; nam si ita fiant, et promulgentur, vim legis indubitato obtinent. Et tales declarationes sunt decreta ejusdem s. congr. jussu Urbani VIII. edita de alienatione rerum temporalium; ad monasteria, aliosque regularium conventus pertinentium 7. *sept.* 1624. de apostatis regularibus, et ejectis 21. *sept. anno eodem*, de celebratione missarum 21 *junii* 1635.

376

De comprehensivis autem affirmant, quod vim legis habeant, si papa consulto factae, a cardinale praefecto, et segretario subscriptae et consueto ipsius congregationis sigillo munitae sint; idque verum est non tantum respectu eorum, quibus redduntur, sed etiam respectu aliorum, qui de illis ita redditis notitiam certam habent. Ita Cotonius *l.* 2. *contr.* 8. *c.* 3. Gobat. *exper. tract.* 3. *n.* 604. card. de Luca *in annot. ad concil. trid. disc.* 1. *n.* 17. Lantusca *Thea-*

ter. regul. v. congreg. conc. trid. num. 4. Engl. *proem. num.* 16. Wiestner. *num.* 146. Reiffenstuel *num.* 129. *et seqq.* et ita suadent rationes pro secunda sententia *n.* 371. *et* 372. allatae. *Confirmatur* ex usu rotae romanae, quae dictas declarationes card. absque ulla oppositione, et ambiguitate reverenter recipit, atque omnibus modis observat, etiam dimissis ipsius rotae decisionibus, quando in contrarium adsunt declarationes saepe dictae congreg. Barbos. *l.* 1. *jur. eccl. cap.* 4. *num.* 81. Fagnan. *in cap.* 1. *quoniam cit. num.* 72. card. de Luca *disc.* 6. *de parochis numer.* 5. Reiffenstuel *num.* 136.

377

Neque contrarium evincunt rationes, et argumenta *n.* 370. allata pro prima opinione. *Ad* 1. verbo *censendi* s. congregatio saepius, et jure utitur, quia eodem quondam, cum aliquid juberet, aut vetaret, etiam uti senatus romanus consueverat *l. senatus* 52. *ff. de contrah. empt.* cujus authoritate ipsa pollet *can. ecclesia* 7. *caus.* 16. *qu.* 1. Innoc. *in c. cum te* 23. *sent. et re judic. n.* 1. et *censere* frequentius, ac juridice idem est, quod *constituere, decernere, praecipere, vel prohibere*, ut ait Javolenus *l. censeri* 111 *ff. de V. S.* Calvin. *lexic. V. censere. Ad conf.* comprehensiva legum declaratio, ut vim legis obtineat, promulgatione opus non habet; quia non conditur jus novum, sed ante conditum, jamque promulgatum solummodo explicatur, ac demonstratur: ac proinde cum a principio jam infuisse censeatur legi, quam explicat, ad tempus istius conditae retrotrahitur; quod declarat imperator *novell.* 145. *fin.* ubi de tali legum suarum declaratione loquens, *quam interpretationem*, inquit, *non in futuris tantummodo casibus, verum in praeteritis etiam valere sancimus, tanquam si nostra lex ab initio cum interpretatione tali a nobis promulgata fuisset. Ad* 2. tantum sequitur, quod agens contra legem in sensu per declarationem comprehensivam explicato ob ignorantiam invincibilem excusetur a poena, et culpa, donec ei declaratio ex ipsius congregationis litteris in forma authentica exhibitis, aut in istarum authentico transumpto, et relatione de iis fide digna, ac certa innotescat, sicut fit in aliis etiam legibus. *Ad* 3. si s. congregatio super casu, et dubio particulari interrogetur, ut testis est Fagnanus quondam ejusdem secretarius *in c. quoniam cit. n.* 65. ea, quae in facto consistunt, remittit ad judices ordinarios, ipsa vero authoritate apostolica fere tantum pronuntiat de mente PP. trident. et de sensu decretorum illius, atqui pronuntiatio principis, vel deputatorum illius ad responsa de jure reddenda, quando declarant, quid juris sit in aliquo casu, ad similes casus omnes porrigitur, ut colligitur *ex §. responsa* 8. *inst. de J. N. G. et C.* et *l. fin. C. de LL.* cujus ratio est, quia cum jus non pro uno dumtaxat, sed pro aliis quoque similibus casibus, et eventibus proditum sit, authentica ejus declaratio reddita pro

uno, ceteros quoque casus similes ex lege comprehendi ostendit. *Ad* 4. patet ex probationibus secundae sententiae. *Ad* 5. expressio temporis, et loci requiritur quidem in novae legis editione, non tamen in legis editae declaratione; haec enim, ut dixi, retrotrahitur ad tempus conditae legis, cui inest, et ab illius promulgatione vim obligandi habet. *Ad* 6. illud non pugnat contra declarationes exhibitas in forma authentica, et ex principio authentico notas, quia tales nec multae, nec falsae, neque etiam inter se contrariae facile reperiuntur, cum Fagnanus, testis omni exceptione major, *l. cit. n.* 57. testetur, quindecim annorum, quibus s. congregationi a secretis fuit, spatio ne unam quidem, anteactis autem temporibus omnibus duas dumtaxat immutatas fuisse. Qua re, siquae contrariae sibi inveniantur, pro apocryphis habundae sunt, vel si pro veris agnoscendae, ad speciem solum contrariae sunt, quia in diversis circumstantiis datae, aut si contrarietas vitari nequeat, posterior derogabit priori.

378

Quaeritur 5. quam vim habeant declarationes aliarum s. congregationum? Praeter congregationem cardinalium Trid. interpretum, plures adhuc aliae vigent Romae. Et 1. quidem *congregatio super negotiis episcoporum, et regularium*, quam instituit Sixtus V. primo divisam in duas, unam super negotiis episcoporum, alteram super negotiis regularium, dein vero ab eodem pontifice conjunctam in unam. Constituitur illa ex 24. cardinalibus, et uno praelato, qui secretarii munus gerit: antiquior inter illos cardinales est praeses, seu praefectus illius. Pertinent ad hanc congregationem duo diversorum negotiorum genera. *Unum* est, quando controversiae oriuntur inter episcopos, aliosve praelatos, aut vicarios, et officiales ex una, et inter subditos, vel regulares ex altera parte, si nimirum hi graventur vel a locorum ordinariis, aut ordinariam jurisdictionem ecclesiasticam habentibus, vel a parochis, aliisque clericis saecularibus. *Alterum*, cum contendunt inter se religiosi: quod pluribus modis fieri potest; nam controversiae intercedere possunt, 1. inter religiosos diversi ordinis, 2. inter religiosos ejusdem ordinis, 3. inter religiosum, et ipsam religionem. Terminantur negotia ista ab hac congregatione absque strepitu, et forma judicii, inspecta solum facti veritate, et frequenter etiam sumpta tantummodo extrajudiciali, ac secreta informatione: et expediuntur omnia, gravissima licet sint, gratis, etiam pro scriptura, adeoque partes nullo gravantur sumptu, nisi perexiguo, quo compensantur labores personales, et industriae corresponsalium, qui negotia curant. Nonnumquam etiam, si causarum qualitas id exigat, honorarium datur advocatis, et procuratoribus, et expensae factae in informationibus necessariis capiendis, refunduntur. Cardin. de Luc. *relat. cur. rom. disc.* 16.

Plettenberg. *notit. congr. et trib. cur. roman. capit.* 19. apud quem plura de modo procedendi congregationis istius videri possunt.

379

2. Congregatio *jurisdictionis, et immunitatis ecclesiasticae.* Haec instituta est ab Urbano VIII. Constituunt illam cardinales, et praelati plerumque ex rotae, et camerae auditoribus eo numero, qui determinatus fuerit a pontifice. Munus ejusdem proprium, et praecipuum est protegere, et defendere jurisdictionem, et immunitatem ecclesiasticam personalem, quam localem, et realem, ne haec violetur, aut illa usurpetur a magistratibus, vel communitatibus saecularibus, neve a gabellarum, aliorumque onerum localium exactoribus gravetur. Negotia haec expediuntur in illa gratis, et proceditur in iis extrajudicialiter sine processibus. Card. de Luca *l. cit. disc.* 17. Plettenberg. *l. cit. c.* 20.

380

3. Congregatio *rituum.* Haec erecta est a Sixto V. *const.* incipit *immensa,* quae inter constitutiones istius pontificis est 74 : videtur esse duplex, *una,* eaque ordinaria, erecta pro decidendis controversiis circa ritus, ceremonias, praecedentias, aliasque praeeminentias; altera extraordinaria pro canonizatione sanctorum, et beatificatione servorum DEI. Ad primam admittuntur tot cardinales, quot pontifex constituerit, et plures praelati, quorum unus secretarii munus obire solet. Proceditur in hac extrajudicialiter, et omnia fiunt gratis. Ad alteram extraordinariam spectant iidem cardinales, et secretarius, qui ad priorem, sed non iidem praelati, officiales, et theologi; nam alii pro hac congregatione constituuntur. Est etiam in ea *promotor fidei,* qui ex consuetudine idem esse solet, qui advocatus fisci. Accedunt quoque ad hanc tres antiquiores rotae auditores, veluti canonum periti, qui munus gerunt assessorum : item unus ex protonotariis participantibus, tanquam *promotor causae :* et demum alii quoque theologi, qui *consultores,* vel *qualificatores* dicuntur; et peritissimi quique in omni facultate doctores, etiam medici, et philosophi, qui judicent, an operationes, quae miraculis adscribuntur, vere sint supernaturales. Inquiruntur in hac congregatione, et examinantur omnia, etiam minima, accuratissime : de quo vide *libr.* 3. *tit.* 45.

381

4. Congregatio *pro indice librorum prohibitorum;* erexit eam Sixtus V. *cit. const. immensa,* eum praecipue in finem, ne libri haeresis veneno infecti, ac doctrina noxia aspersi imprimantur, et vulgentur. Congregatio haec constituitur ex tot cardinalibus, quot voluerit pontifex, quorum unus est praeses congregationis, cum secretario, et duodecim consultoribus. Ex his consultoribus primarius est magister s. palatii : ceteri ut plurimum eliguntur e religiosis diversorum ordi-

num Romae praesentibus, theologiae, et omnis liberalis doctrinae bene peritis. Officium istorum est, revidere, et examinare libros suspectos, qui inter eos a secretario distribuuntur, ut deinde judicium suum de iis in plena congregatione referant. Omnia in hac congregatione expediuntur gratis, et tractantur summarie sine forma judiciali, prout de aliis congregationibus dictum est. Card. de Luca *relat. cur. rom. disc.* 19. Plettenb. *c.* 22.

382

5. Congregatio *de propaganda fide catholica.* Erecta est a Gregorio XV. per constitutionem suam 26. incipit *inscrutabili.* Intersunt illi aliquot cardinales, unus protonotarius apostolicus, secretarius status, judex, qui esse solet referendarius utriusque signaturae, assessor s. officii, et praelatus aliquis, qui secretarius est congregationis, cum nonnullis religiosis. Officium hujus congregationis est investigare in vias, et modos, quibus vera fides catholica in omnibus mundi partibus propagari, et conservari possit, eaque omnia, quae ad hunc finem conducere possunt, curare, et si quae res controversae inter missionarios occurrant, eas, relatis ad pontificem rebus gravioribus, summarie, et de plano decidere, et expedire. Card. de Luca *disc.* 23. Plettenb. *c.* 26.

383

6. Congregatio *s. officii inquisitionis* contra haereticam pravitatem: de qua vide *lib. V. tit.* 7. *a num.* 74. Qui plura habere cupit, consulat Plettenb. *l. cit. c.* 16. et AA. ab hoc allegatos. Omitto congregationes ceteras, quarum plures erectae sunt Romae diversis temporibus, ut est s. congregatio examinis episcoporum, fabricae, super statu regularium, indulgentiis, et SS. reliquiis praeposita, visitationis apostolicae, pro erectione ecclesiarum, et provisionibus consistorialibus, pro consultationibus negotiorum status ecclesiastici quae *consulta* dicitur, super bono regimine status ecclesiastici etc.

384

De his ergo congregationibus quaestio est, an declarationes illarum, in quibus jus commune ecclesiae explicant, et super jure respondent, vim legis habeant? Resp. cum distinctione, qua usus sum *supra num.* 373. nam si declarationes hujusmodi munitae sunt subscriptione cardinalis praefecti, et secretarii, ac sigillo consueto, comprehensivae vim, et authoritatem legis habent, etsi in forma authentica non exibitae, modo constet uniformiter, et saepius super eodem casu, et juris dubii articulo eas redditas, aut secundum illas a rotae, aliorumque tribunalium romanorum judicibus pronuntiatum esse. *Ratio* perspicua est, quia uniformitas responsorum, ac sententiarum, super eodem articulo saepius, et uniformiter redditarum, inducit stylum, et

praxin curiae. Stylus autem, et praxis curiae jus facit *c. quam gravi* 6. *de crim. fals. et l. fin. c. de LL.*

385

Contra vero si hujusmodi subscriptione, et sigillo sint destitutae, vim legis per se non obtinent. Patet ex decreto, quod incipit *cum sacra* a s. congregatione 2. *augusti* 1632. jussu *Urbani VIII.* edito, ubi mandat pontifex, ejusmodi declarationes indici librorum prohibitorum inseri, iisque adimit omnem vim, et fidem in, et extra judicium. *Ratio* hoc decernendi redditur in ipso decreto, quod ad s. congregationis notitiam pervenerit, quamplures ex ejus declarationibus alteratas, diminutas, et forsan omnino conflictas esse.

386

Addidi *per se*, nam hoc decreti rigore non obstante, Sanch. *l.* 8. *D.* 2. *num.* 10. Salas *de LL. tract.* 14. *qu.* 97. *D.* 21. *sect.* 12. *fin.* Dian. *p.* 1. *tract.* 10. *res.* 29. Pellizar. *man. tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 108. Fagnan. *in cap. quoniam de constit. num.* 59. et alii DD. plerique declarationibus, quae a privatis, sed probatis authoribus referuntur, si sensum a verborum proprietate non recedentem, rationi, ac communibus juris regulis non repugnantem, et aliis declarationibus non contrarium reddant, sicque de vitio aliquo suspectae non sint, haud aegre deferunt, et ajunt, ab illis sine gravi ratione in praxi non recedendum; partim quia romanae, aliaeque curiae ecclesiasticae contra eas non solent pronuntiare; partim vero quia credunt, eas ex ipsis originalibus, aut alio principio authentico depromptas esse: ex qua ratione ipsi etiam decreto jussu Urbani VIII. edito fidem habent.

§. X.

De bullario, cancelleriae apostolicae regulis, et romanae rotae decisionibus.

SUMMARIUM

387 *An vim legis, universam ecclesiam obligantis, habeat bullarium romanum?*

388 *Respondetur habere quoad bullas, de quibus legitime constat, eas receptas, et pro tota ecclesia editas esse.*

389 *Cui non obstat constitutio Bonifacii VIII. praefixa libro VI. decretalium.*

390 *An juris communis vim habeant regulae cancellariae apostolicae?*

391 *Respondetur vi juris universalis destitui illas, quae solummodo con-*

cernunt expeditionem litterarum in in curia.
392 *Ceteris vero, quæ generales sunt, vim istam competere.*
393 *Sed per modum juris, novi, et novo modo lati.*
394 *An promulgatio in his regulis necessaria sit?*
395 *Solvuntur argumenta opposita,*
396 *Utrum legis rationem habeant decisiones Rot. romanæ.*
397 *Ostenditur negativa,*
398 *Quamvis magnæ sint authoritatis.*
399 *Ita, ut si plures uniformes circa eandem causam emanaverint, consuetudinem, et stylum faciant.*

387

Quaeritur 1. an vim legis, universam ecclesiam obligantis, habeat bullarium romanum, diversas summorum pont. constitutiones collectas complectens? Affirmant hoc aliqui, quod bullarium hoc evulgatum sit primo ductu, et auspicio Sixti V. a Laertio Cherubino juris consulto romano, et cum deinde auctiore numero bullae extravagantes in illud congestae, et typis datae fuissent ab Angelo Maria Cherubino, prioris filio monacho Cassinensi, dedicari sibi bullarium, hoc ita augmentatum permiserit Urbanus VIII. prefixo privilegio bibliopolae concesso; ne quis id opus sine ejus licentia imprimat, aut vendat. Verum ex hoc authoritas canonica dicto bullario nulla concessa est; nisi velis dicere, quod omnes libri, qui aut hortatu alicujus pontificis romani conscribuntur, aut eidem cum simili privilegio typografico dedicantur, libri canonici dicendi sint: quod nemo admiserit.

388

Quare dicendum, tum primum bullas, in eo contentas, habituras authoritatem juris, ecclesiam universalem obligantis, quando legitime constat, quod pro tota ecclesia latae, rite promulgatae, et usu receptae fuerint, atque insuper cum originalibus suis congruant: secus si fiat, authoritate legis destituentur, et sententia contra illas lata irrita non erit, nec in judicio illis fides habebitur. Tusch. *lit. E. concil.* 679. *n.* 1. *et* 2. Plettenberg *introd. jur. can. c.* 19. *n.* 2. Engl. *proem. n.* 13. Wiestner *num.* 114. quia sic praesumitur probabilis ignorantia talis bullae extravagantis, vel saltem merito credi potest, eam non fuisse usu receptam.

389

Moveri quidem dubium potest, etiam de iis, quas constat rite promulgatas esse, et cum originalibus suis concordare, propter constitutionem *Bonifacii VIII.* quae incipit *sacrosanta anno* 1298. cum libro VI. decretalium edita, ubi pontifex statuit non recipiendas, nec pro decretalibus habendas praedecessorum suorum constitutiones, quae sexto illo libro clausae non reperiuntur. Verum cassatio ista, et annullatio referenda est solum ad eas constitutiones, quae juris ecclesiastici communis vim habere ante debebant, aut videbantur: non vero ad illas, quae pro universali ecclesia post constitutionis istius edi-

tionem latae sunt. Imo nec iis praejudicat, quae ante illam constitutionem sunt editae, si pro personis, locis, vel communitatibus particularibus, v. g. certae alicujus dioecesis, civitatis, ecclesiae, monasterii, vel totius familiae religiosae favore emanarunt, cujusmodi plures constitutiones in bullario extant; nam hae adhuc jus facient pro is, pro quibus latae sunt, et eatenus etiam num hodie validae sunt.

390

Quaeritur 2. an juris communis vim habeant regulae cancellariae apostolicae? Negant Anchar. *cons.* 297. *n.* 1. *et* 2. Decius *in c.* 1. *de constit. n.* 2. Mascard. *de probat. concl.* 257. *n.* 1. Salas *tract.* 14. *D.* 21. *sect.* 1. *n.* 7. Nituntur 1. quia eae regulae solum sunt constitutiones locales, ut indicat ipsarum appellatio; videntur enim solum conditae pro cancellaria romana, et ad instruendos istius magistratus. 2. Lex universalis natura sua est stabilis *l. edicta* 3. *C. de edend.* Regulae autem istae cum suo authore deficiunt: cessant enim obligare post mortem pontificis, ut patet ex proemio illarum, ubi a suo tempore duraturae dicuntur. 3. sententia contra regulam cancellariae, etiam allegatam, lata valet. Felin. *inc.* 1. *de sent. et re jud.* nam ut ista, et quilibet alius actus contra regulas istas factus irritetur, necessaria est regula prohibentis impetratio, allegatio, in actis productio, et registratio. Cockier *in reg.* 26. *n.* 6. atqui si legem universalem constituerent, sententia contra ipsas lata foret irrita ipso jure *c. cum inter* 13. *de sent. et re judic.* et *l. cum prolatis* 32. *ff. de re judic.*

391

Sed melius alii distinguunt inter eas, quae ipsi cancellariae praescribuntur, et litterarum solummodo expeditionem in curia faciendam concernunt; et inter generales, sive illas, quae de reservationibus apostolicis, de dispensationibus, de indulgentiis impetrandis, et concedendis, de certis beneficiis per papam conferendis, eorumve resignationibus, et annali, vel triennali possessione etc. agunt. *Priores* solum cancellariam, et ipsius officiales ligant; *posteriores* juris universalis, etiam extra curiam, et urbem obligantis, sed novo modo, et forma ex dispositione pontificis introducti, vim, et authoritatem habent: et in judicio, saltem cum a S. R. E. vice-cancellario impetratae producuntur, fidem faciunt. Ita Nicol. Milis *in repert. V. lex.* Felin. *in c.* 2. *de rescript. et in c. quod super his de fide instr. concl.* 2. Franc. de Pavinis *in prael. extrav. Joann. XXII.* Lud. Gomez. *proem. reg. cancell. qu.* 2. *fin.* Cockier *in earumdem regularum rubr. n.* 22. *et* 23. Gonzal *apparat. n.* 57. Plettenberg *notit. conger: et trib. cur. rom. c.* 11. *n.* 5. Wiestner *proem. n.* 116. et decisum est saepius in rota. Et quidem quod priores regulae non faciant jus universale, pro-

bat ratio prima *num. praec.* allegata, et ostendit ipsa materia, quae particularis est; ut adeo etiam regula jus particulare constituat.

392

Quod vero posteriores vim, et authoritatem juris universalis habeant, his evincitur rationibus. 1. quia ex persona conditoris metienda est lex, utrum universalis illa, vel specialis sit *c. fin. de costit. in* 6. atqui conditor istarum regularum est pontifex, qui generalem habet jurisdictionem in toto orbe: ergo et lex ab eo condita generalis erit, nisi materia particularis, et ad personas, vel communitatem particularem restricta sit. 2. materia legis modificat legem, et determinat illius limites, odiosa namque restringit, favorabilis ampliat legem: *reg. odia* 15. *in* 6. atqui materia regularum cancellariae, ut sunt beneficia, dispensationes, aliaeque gratiae pontificiae, est favorabilis. ergo extenditur ad omnes toto orbe summo pontifici subjectos. 3. ab his regulis specialiter excipiuntur cardinales. ergo ceteri omnes comprehenduntur; nam exclusio unius est inclusio alterius *l. cum praetor* 12. *ff. de judic.* adeoque constituunt jus universale.

393

Quod vero regulae istae jus novum, et novo modo, ac forma introductum constituant, patet ex eo, quia carent perpetuitate, et publicatione debita. Et quidem perpetuitate carent; quia morte cujuslibet papae illas promulgantis, jus per eas introductum extinguitur; Simoneta *de reserv. qu.* 58. et hinc, sede vacante, possunt episcopi ex jure communi beneficia vacantia conferre, nisi per concordata Germaniae, aut alia ratione sint affecta pontifici: duratque facultas haec in episcopis, usque dum novus pontifex talia beneficia sibi rursum reservet; nam post reservationem denuo factam sic reservata non amplius conferre episcopus poterit, licet vacaverint vacante sede pontificia, sed sibi imputare debet, quod illa non ante contulerit. Cockier *proem. ad reg. cancell.* Vvagnereck *de praebend. et reg. cancell.* Pleltenb. *c.* 11. *cit. num.* 9.

394

Promulgatione debita carent; quia quae generaliter obligant, jure antiquo generaliter quoque promulgari debent, ut omnibus possint innotescere *c. cognoscentes* 2. *de constit. et c. fin. eod. in* 6. atqui regulae cancellariae non promulgantur, nisi in curia romana. Imo ut effectum saltem aliquem, scilicet nullitatis actus in contrarium gesti sortiantur, nulla est necessaria publicatio illarum. Æneas de Falconibus *tract. de reserval. p.* 4. 21. *et* 22. Gomez. *proem. reg. qu.* 2. §. 4. cum glossatore dicens, ante publicationem regularum pontificem statim, ac assumptus est, regulis virtutem suam tribuere, ita, ut si vacaret beneficium post pontificis creationem, et ante regularum promulgationem, id non caderet sub expectativis praedecessoris; quia hae per

regulas cancellariae censerentur revocatae ; et ita suo tempore decisum in rota idem testatur. Ceterum ordinarie fieri solent regulae cancellariae die immediate sequenti assumptionem novi pontificis. Plettenb. *l. cit. n.* 10.

395

Neque obstant argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. cancellariae regulae nomen hoc acceperunt, vel quod multae illarum spectent expeditiones, quae in ea fiunt, vel quod in ea publicentur, et registrentur : quod non impedit, quo minus jus universale faciant ; nam et jus praetorium dictum est, quia dicebatur in praetorio a praetore, et tamen jus universale est. *Ad* 2. licet in omnimoda perpetuitate deficiant, stabilitatem tamen sufficientem habent hoc ipso, quod durent ad vitam legislatoris, et numquam expirent sine certa spe resuscitationis paulo post futurae ; Cockier *l. cit. n.* 8. *Ad* 3. nec sententia lata contra extravagantes, non insertas corpori juris communis ipso jure est nulla, ne ob incertitudinem ipsarum extravagantium, etiam sententiarum valor incertus sit : et tamen extravagantes istae jus generale constituunt ; Felin. et canonistae communiter *in cap. pastoralis de fid. inst.* Igitur jus generale constituere etiam regulae cancellariae poterunt, licet sententia contra ipsas lata non sit ipso jure irrita ; nam et ipsae, mutari cum possint, incertae sunt, nec ubique notae.

396

Quaeritur 3. utrum legis rationem habeant decisiones rotae romanae, sive summi tribunalis apostolici? Aliqui vim legis iisdem adstruunt, alii solum iisdem dant vim probabilis doctrinae. Melius distinguitur ; nam inter partes litigantes jus faciunt, tanquam sententiae judiciales, ita ut sicut istae, ita et illae, si transierint in rem judicatam, amplius everti nequeant. Non tamen jus faciunt inter alios, et extra curiam, quamvis magnae sint authoritatis, talisque, ut sine magna ratione, et gravi authoritate ab iis recedendum non sit. Ita Gemin. *in c. duobus de rescript. n.* 9. *in* 6. Franc. *ibid. n.* 10. Felin. *in c. pastoralis n.* 10. *de fid. instrum.* Garc. *de benef. praef. tom.* 1. Franc. de Pavinis *prael. extrav. Joann. XXII. vers. decisiones*, Fagnan. *in c. cum venissent* 12. *n.* 32. *de judic.* Gonzal. *apparat. n.* 57. card. de Luca *relat. cur. rom. disc.* 32. *n.* 66. Plettenberg *notit. congr. et trib. cur. rom. cap.* 11. *num.* 17. Engl. *proem. num.* 17. Vviestner *num.* 117. Reiffenstuel *num.* 140.

397

Et quidem, quod decisiones istae jus universale non faciant, ex eo ostenditur, quia nuspiam reperitur, auditoribus rotae rom. fuisse concessam potestatem jus novum condendi ; sed data ipsis dumtaxat est potestas secundum jura jam posita in causis particularibus judicandi, ac sententiam ferendi ; prout in simili de decisionibus camerae impe-

rialis passim sentiunt dd. quod assessoribus data fuerit ab imperatore potestas secundum leges judicandi, non autem novas condendi. *conf.* quia rota quandoque mutat opinionem suam, idque frequenter, ut notat Decius cons, 404. Nicol. Moron. *tract. tom.* 11. *p.* 1. *tract. de treug. et pac. qu.* 121. *n.* 193. card. de Luca. *disc.* 32. *cit. n.* 10. Reiffenst. *n.* 141. hoc autem fieri non posset, si decisiones ejusdem vim legis universalis haberent, ergo etc.

398

Quod vero eaedem decisiones magnae authoritatis sint, patet ex sensu dd. communi, ex quibus plerique, iique gravissimi eas, tanquam doctrinam magistralem plurium judiciorum, in idem praevia causae cognitione tendentium, venerantur: et merito; quia non nisi summa cum maturitate prodeunt, simulque ab uno ex supremis totius orbis christiani tribunali, et capellam, seu aulam pontificiam repraesentante promanant. Hinc est, quod has rotae resolutiones inferiores judices, et magistratus, imo et superiores sacrae congregationes cum veneratione suscipiant, maximamque fidem tribuant: quorum exemplum secuti aliarum nationum professores, atque scriptores eximii, earum authoritatem frequenter allegant, suasque assertiones ex iis confirmant. Imo, ut Imol. *in cap.* 1. *de lit. contest.* Garc. *l. cit.* Fagnan. *in c. cum venissent cit. n.* 32. Reiffenst. *n.* 142. notant, rotae romanae decisiones praevalent opinioni communi, atque, ut ait Quintilian. Mandos. *tract. tom.* 3. *tract. de monitoriis qu.* 27. *n.* 6. rota loquente, cetera tribunalia obmutescunt.

399

Insuper eaedem decisiones, si plures, eaeque uniformes circa eandem causam emanaverint, consuetudinem, et stylum in curia romana pariunt, ut tradunt Franc. de Pavinis *V. decisiones cit.* Fagnan. *num.* 32. *cit.* Plettenberg *n.* 17. Engl. *proem. n.* 17. Reiffenstuel *n.* 145. arg. *l. si interpretatione* 37. *et l. nam imperator* 38. *ff. de ll.* quarum posteriore Callistratus, *nam imperator*, inquit, *noster Severus rescripsit, in ambiguitatibus, quae ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter judicatarum authoritatem vim legis obtinere debere:* ut proinde alii judices in similibus causis eidem rotae merito se conforment. Ratio est, quia ad rotam spectat interpretari verba, et mentem papae in rescriptis, et in hac quasi possessione existit ipsa, sciente, patiente, imo et mandante summo pontifice. Petten. Ubi tamen adverto cum p. Reiffenst. *l. cit.* per hoc aliis judicibus non imponi necessitatem, ut secundum rotae decisiones judicent, nisi quatenus meliora juris fundamenta aliunde non suppetant.

§. XI.

De usu juris canonici, et civilis.

SUMMARIUM

400 *Jus canonicum, et civile se invicem juvant.*
401 *Cum de ecclesia, vel personis, aut rebus ecclesiasticis agitur, in utroque foro observandum est Jus canonicum.*
402 *In his civile locum habet, quando merum favorem continet.*
403 *Idem jus canonicum observandum est in materia spirituali.*
404 *Et in iis, quæ conscientiam concernunt.*
405 *In materia profana observatur quodlibet in suo foro.*
406 *Dubiam legem interpretatur canon.*
407 *Et canonem dubium lex.*
408 *In causis, quæ processum judiciarium concernunt, Jus canonicum praefertur etiam quoad forum civile.*
409 *In criminibus mixti fori judex ecclesiasticus irrogat pœnas decretas jure canonico, sæcularis dictatas jure civili.*

400

Hactenus de partibus juris canonici : quod finem diversum quidem a jure civili, non tamen isti omnino contrarium spectat. Hinc est, quod sicut leges non dedignantur ss. canones imitari, ita ss. statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur, *c. intelleximus* 1. *de nov. oper. nunt.* adeo, ut in casu, quo leges non contradicunt canonibus, et leges, et canones mixtim allegentur in utroque foro, *abb. in cap.* 1. *cit. num.* 4. Ancharan. *in cap. canonum statuta n.* 44. *de const.* et constat ex recepta praxi tribunalium, et juris consultorum passim in utroque foro tales probationes admittentium, et assumentium : et merito ; nam fortior videtur ille casus, illaque decisio, ubi duplex concurrit dispositio, et quae non prosunt singula, juncta juvant. Gloss. *in c. cum causam V. adminicula de probat.* Imo quando in uno jure alicujus casus non invenitur decisio, ista ab altero jure peti potest, et debet, prout sumitur ex *c. dilecti* 4. *et c. fin. de arbitr. c. cum secundum leges* 19. *de haeret. in* 6. *si judex* 12. *vers. sicut de illo de sent. excomm. in* 6. Quae tamen doctrina non indiscriminatim vera, sed regulis sequentibus temperanda est.

401

Prima regula est : Cum de ecclesia, aut de personis, vel rebus ecclesiasticis agitur, in utroque foro jus canonicum observandum est.

Gloss. *in c. possessor V. sed utrum de R. J. in* 6. Joan. Andr. *ib.* Abb. *in c. licet n.* 10. *de for. compet.* Felin. *in c. causis n.* 1. *de testib.* Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 8. Fagnan. *in c. cum esses n.* 98. *de testam.* Vallens. *proem.* §. 9. *n.* 3. Engl. *n.* 19. *vers. sexta.* Konig. *n.* 8. *coroll.* 2. Sannig. *tit.* 8. *n.* 2. et sumitur *arg. c. ecclesiae* 10. *de constit.* cujus textu leges civiles, quae de his aliquid praecipiendo, aut prohibendo disponunt, habentur pro irritis. *Ratio* est, quia nulla jurisdictio, vel potestas extendere se ultra limites suos potest: ecclesia autem, et personae, ac res ecclesiasticae sunt extra limites jurisdictionis, et potestatis saecularis, quippe quae de his statuere, ac disponere nihil potest *can. si Imperator* 11. *dist.* 96. *c. fin. de reb. eccl. non alien. c. quanquam* 4. *de censib. in* 6. *l. privilegia* 12. *et auth. cassa. C. de SS. Eccl.* Atque hoc adeo verum est, ut irrita sint ejusmodi statuta legis civilis, vel magistratus saecularis, etsi in favorem ecclesiae, aut personarum ejusdem cederent, nisi ab ipsa ecclesia sint approbata, et recepta: et ratio est, quia quandam superioritatem, et potestatem praecipienti, vel prohibenti adstruunt in eum, qui praecepto, vel prohibitione ejusmodi obligatur. Abb. *in c. ecclesia cit. n.* 37. Vivian. *in ration. ibid.* Laym. *n.* 1. Vviest. *proem. n.* 156. Kon. *ib. n.* 8. *coroll.* 2.

402

Regula II. Casu tamen, quo dispositio juris civilis esset mere favorabilis, nullumque damnum, aut praejudicium, vel obligationem personis ecclesiasticis aliquid praecipiendo, vel prohibendo afferret, deficiente dispositione canonica, ipsa retineri, et in utroque foro observari debet. Abb. *l. cit.* Laym. *n.* 2. Vallens. *n.* 3. Engl. *n.* 19. *vers. dixi tametsi.* Kon. *n.* 8. *coroll.* 2. Ratio est, quia talis dispositio est merum privilegium, quod etiam non subditis, et quin jurisdictio in hos exerceatur, concedi potest. *Conf.* quia alias, quod in ecclesiarum, et ecclesiasticarum personarum favore est introductum, in earum detrimentum retorqueretur, contra *reg. quod ob gratiam* 61. *in* 6. Porro tales dispositiones sunt *auth. quas actiones C. de SS. eccl.* qua romanae 100. annorum, ceteris autem ecclesiis, quadragenariae praescriptionis privilegium datur: item *auth. item nulla C. eod.* ubi ecclesiae, et personae ecclesiasticae ab exactionibus, et oneribus, per saeculares magistratus imponendis, liberae pronuntiantur: et *auth. ingressi dist. tit.* ubi bona ingredientium religionem, si intestati decedant, monasteriis acquiruntur etc.

403

Regula III. Cum de rebus spiritualibus agitur, v. g. de matrimonio, ceterisque novae legis sacramentis, de statu clericali, vel religioso, de dignitatibus, et beneficiis ecclesiasticis, de decimis, primitiis, oblationibus, de juribus sepulturae, et patronatus etc. juris canonici

dispositio tantum est attendenda. Lauterbach *prolaeg.* §. 9. *n.* 16. Engl. *n.* 19. *vers. quinta*, Konig *n.* 8. Reiffenst. *n.* 220. Ratio est, quia spiritualia, hisque annexa, et res ecclesiasticas tractare, ordinare, deque iis authoritative disponere solius spiritualis, et ecclesiasticae, non saecularis est potestatis *c. decernimus 2. de judic.* ibi, *laici ecclesiastica negotia tractare non praesumant; et c. si judex* 12. *de sent. excomm. in* 6. ibi, *quia de re spirituali, et ecclesiastica.* Quare licet jure civili secundum aliquos invalidum sit matrimonium, quod filii fam. contrahunt sine consensu parentum, in quorum potestate existunt *l. nuptiae* 2. *et* 18. *ff. de rit. nupt.* jure tamen canonico, et concilii trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de reform. matr.* ita contractum, si non simpliciter licitum, saltem validum pronuntiatur, prout dicetur *infra ad lib.* 4. *decret. tit.* 2. *n.* 71. *et seqq.* Engl. *proem. n.* 19. *vers. quare.*

404

Regula IV. si de conscientia, et peccato agatur, et jus civile a canonico divertat, sicut fit in legibus, quae permittunt concubinatum cum una domi uxoris loco retenta, caedem adulteri cum filia, vel uxore in adulterio deprehensi, usuras mere lucratorias, praescriptionem cum mala fide etc. secundum jus canonicum, non civile pronuntiandum est. Fagnan. *in cap cum esses n.* 167. *de testam.* Gaill. *l.* 1. *obs.* 141. *n.* 5. Lauterb. *proleg.* §. 9. *n.* 16. Mull. *ad Struv. exerc.* 2. *th.* 39. *lit. G.* Vallens. *proem.* §. 9. *n.* 4. Engl. *n.* 19. *vers. quarta*, Konig *n.* 4. *coroll.* 1. Reiffenst. *n.* 217. *et* 219. et sumitur ex *c. fin. de praescript.* ubi dicitur, *generaliter omni constitutioni, et consuetudini derogandum esse, quae absque peccato mortali non potest observari.* Ratio est, quia de rebus, quae peccatum continent, et salutem animae spiritualem concernunt, aliquid statuere ecclesiasticae potestatis est, et praesertim summi pontificis, tanquam supremi animarum pastoris, cujus constitutionibus proinde jus civile, quatenus recedit a jure canonico, correctum, et abrogatum esse censebitur.

405

Regula V. In materia profana, et animarum salutem non concernente, v. g. in contractibus, testamentis, successione ab intestato, constitutione, vel restitutione dotis, actionibus, et actibus mere civilibus, si utrumque jus non conveniat, quodlibet in suo foro est observandum, nempe jus civile in imperio romano, canonicum in terris temporali dominio papae subjectis *arg. can. cum ad verum* 6. *dist.* 96. *c. causam* 7. et *c. per venerabilem* 13. *vers. is autem in patrimonio, qui fil. legit.* Gloss. *in c. ut quaestionibus* 2. *V. lex civilis de arbit. in* 6. Abb. *n.* 7. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 8. Hartm. Pistor. *cons.* 41. *n.* 6. *vol.* 6. Vallens. §. 9. *cit. n.* 4. Engl. *n.* 19.

vers. tertia, Konig *n.* 8. *coroll.* 3. Vviestner. *n.* 106. Reiffenstuel *n.* 217. *et* 223. Lauterb. *l. cit. n.* 15. Muller. *ad Struv. l. cit.* Ratio est, quia ecclesiastica, et saecularis sunt duae potestates distinctae, et in materia profana neutra alteri subordinata. In causis tamen clericorum, etiam temporalibus, et extra territorium temporale romani pontificis, juri canonico est insistendum *c. quod clericis* 9. *de for. compet.* Sed hic textus juxta singularem interpretationem Barbos. *ibid. n.* 5. non procedit eo casu, quo clericus actor convenit laicum coram judice laico; nam hoc casu sicut clericus actor forum rei laici, ita etiam ejusdem fori leges sequi debet, ut proinde verba illa, *in c.* 9. *cit.* posita, *si clerici Parisiis commorantes habuerint contra aliquos, vel aliqui contra eos etc.* intelligenda sint in hunc sensum: *si clerici parisienses contra aliquos alios clericos, coram judice tamen ecclesiastico actionem instituant, hujusmodi controversiam jure canonico decidendam.*

406

Regula VI. Quoties in materia profana decisio juris civilis dubia, juris canonici autem certa est, in utroque foro standum est posteriori; quia per pontificum decisionem sublata censetur legum obscuritas, et sopita varietas legistarum. Abb. *in c. per venerabilem cit. num.* 38. Laym. *in c. super litteris* 20. *de rescript. in* 6. Vallens. *num.* 4. Engl *n.* 19. Konig *n.* 15. Wiest. *n.* 161. Reiffenstuel *n.* 225. Lauterbach *n.* 14. *et* 17. Muller *l. cit.*

407

Regula VII. Contra si aliquid dubium, et obscurum sit in jure canonico, clare vero decisum in jure civili, et materia sit profana, insistendum est decisioni juris civilis *c. intelleximus* 1. et *c. de seq. de nov. oper. nunt.* ubi hujusmodi leges, ss. canonibus non contradicentes, ab ecclesia videntur approbatae. Menoch. *l.* 2. *de arbitr. cas.* 185. *n.* 12. Fagnan. *in c. cum esses n.* 18. *de Testam.* Palao *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 5. *n.* 4. Vallens. *n.* 4. *cit.* Engl. *n.* 19. *vers. secunda*, Kon. *n.* 15. Wiest. *n.* 162. Reiffenst. *n.* 225. Lauterb. *n.* 14. Muller *l. cit.* dixi, *si materia sit profana;* nam si materia spiritualis sit, tum solum leges civiles in ea procedunt, quando canonizatae, h. e. expresse sunt approbatae, aut usu receptae, sicut factum est in cognatione orta ex adoptione, et matrimonium dirimente. *Rubr.* et *c. un. de cognat. leg.*

408

Regula VIII. In causis, quae processum judiciarium concernunt, jus canonicum praefertur etiam quoad forum civile. Gentil. *de libr. jur. can. n.* 2. Canis. *Summ. jur. can. tit.* 1. Kleinschmid *de princ. jur. tr.* 4 *sect.* 11. *n.* 73. Muller. *l. cit.* omnes siquidem jure consulti fatentur, processum ex jure canonico maxime esse petendum, ita ta-

men, ut in camera imperiali ordinationes imperii, et cujuscumque judicii stylus stricte, et praecise sit observandus. Hunnius *Enyclop. jur. p.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. *num.* 17. *et seqq.*

409

Regula IX. In criminibus mixti fori judex ecclesiasticus irrogat poenas decretas jure canonico, saecularis dictatas jure civili, ut *lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 61. *et seqq.* statuetur. Haec prolegomenorum loco juris ecclesiastici explanationi praemittere libuit, pro meliori eorum, quae imposterum tractabuntur, intelligentia; plurimum enim in quavis scientia juvat naturam, partes, et objectum illius nosse. Quare istis expeditis, inoffenso pede licebit ingredi in ipsius sacri juris interiora penetralia.

JUDEX ECCLESIASTICUS

SEU

DECRETALIUM GREGORII IX.

PONT. MAXIMI

LIBER I.

In quinque partes discriminari liber hic potest: quarum prima regulam proponit, quam judex ecclesiasticus sequi in judicando debet, altera modum explicat, quo quis ad judicis ecclesiastici dignitatem assumitur; tertia ordinem, quo debet insignis esse; quarta officium, quod gerendum eidem est; quinta denique per quaedam praeliminaria ad judicia ecclesiastica eidem viam praemunit.

PARS I.

Regula Judicis Ecclesiastici.

Regula, quam judex, non tantum ecclesiasticus, sed quivis alius sequi in judicando debet, maxime quadruplex est. Prima *Deus* est; hunc enim in judicando, ne alienis evertatur affectibus, prae oculis habere maxime judicans debet: et hinc dum sententiam pronuntiant judices, plerumque in clausula eidem addunt *solum Deum prae oculis, et animo habentes etc.* Altera *lex* est; nam ut *can. in istis* 3. *dist.* 4. dicitur judex *non de legibus, sed secundum ipsas judicare debet.* Tertia, siquidem sit judex inferior, *rescriptum principis*, quo aut judicandi potestas ipsi conceditur, aut modus in causa procedendi praescribitur. Quarta *consuetudo;* nam ubi lex deficit, legis

vices legitime introducta consuetudo supplet. Quatuor istas regulas quatuor tituli primi proponunt judici. Sit ergo

TITULUS I.

De summa trinitate, et fide catholica.

Duo rubrica praesentis tituli capita continet: unum de summa trinitate, alterum de fide catholica, ejusque professione discurrit. Utrumque necessarium est ecclesiastico judici: primum, ut secundum eum, a quo potestatem accepit, tanquam regulam in judicando sententiam suam dirigat: nam *per me principes imperant* (inquit divina sapientia prov. 8.) *et potentes decernunt justitiam;* alterum, quia judex ecclesiasticus plerumque est in ecclesiastica aliqua dignitate constitutus, cujus fundamentum est fides catholica. Hinc ut certa sit ecclesia de judicum suorum fide, professionem ejusdem a plerisque illorum exigit, imitata in hoc principes laicos, qui dum officium judicis alicui concedunt, juramentum fidelitatis ab eo solent exigere.

§. I.

De summa Trinitate.

SUMMARIUM

1 *Rejiciuntur errores in mysterio summae trinitatis.*
2 *Primus Joachimi abbatis, asserentis, in tribus personis divinis unitatem tantum similitudinariam.*
3 *Alter Almarici, distincta tempora assignantis singularum personarum regimini.*
4 *Tertius, graecorum, negantium, quod Spiritus S. procedat a filio.*
5 *Quartus eorundem graecorum, existimantium, quod si Spiritus S. procederet a filio, processurus esset ab hoc et patre, tanquam a duobus principiis.*
6 *Quintus Raymundi Lulli, arbitrantis, mysterium istud ratione naturali demonstrari posse.*

1

Fons et norma juris canonici, juxta quod procedere judex ecclesiasticus debet, est fides catholica: haec autem tanquam objectum suum SS. Trinitatem respicit, quod ineffabile mysterium ut contrarii oppositione magis claresceret, exposita breviter ejus substantia, pon-

tifex ad rejiciendos errores, in eo mysterio ortos, procedit. Ili vero sunt maxime quinque, qui titulo praesente damnantur.

2

Primus est *Joachimi abbatis*, viri de cetero sancti, quem tamen propria ratio, non satis examinata ad trutinam fidei, eo adduxit, ut crederet, in tribus divinis personis non esse unam, eandemque indivisibilem naturam, sed easdem moraliter solum unas, et unitate quadam collectiva, ac similitudinaria tantum conjunctas esse. In hunc errorem triplex ratio innocentem induxit. 1. Quia si revera daretur una res, seu essentia, communis tribus personis, non jam *Trinitas* statueretur in Deo, sed magis *quaternitas*, videlicet tres personae, et natura illa communis, tanquam quarta quaedam essentia. 2. Quia unum, et plura, divisum, et indivisum sibi opponuntur. Igitur imperceptibile est quomodo tres distinctae personae sint una indivisa essentia, seu natura. 3. Quia Christus pro fidelibus rogans patrem, petit, *ut sint unum, sicut et nos* (pater nempe, et filius) *unum sumus. Joan.* 17. *vers.* 22. atqui fideles sunt una ecclesia, non vera, et reali, sed impropria solum, et morali unitate, communionis nempe, et fidei, igitur nec personae divinae unum sunt vere et proprie, sed improprie tantum per unionem charitatis.

Porro error iste damnatus est ab Innoc. III. in concil. lateranen. IV. prout refertur *c. damnamus* 2. *h. tit.* ubi decisum est, tanquam fidei nostrae articulus, quod in DEO sit una quaedam, et simplicissima essentia, omnibus tribus personis communis, et cuilibet identificata : ut proinde de veritate ista dubitare non amplius liceat.

Ad argumenta Joachimi facilis est responsio. *Ad* 1. patet ex dictis ; cum enim communis ista natura identificetur omnibus tribus personis, consentaneum est, in Deo non *quaternitatem* inveniri, sed *Trinitatem* duntaxat. *Ad* 2. essentia divina quidem in se est una, et simplicissima, virtualiter tamen est plura, quatenus identificatur cum tribus personis realiter inter se distinctis : ex quo sequitur, totam oppositionem, quae in divinis existit, solum dari inter personas, non vero inter has, et naturam. *Ad* 3. conjunctio *sicut* in textu *cit.* prout PP. concil. lateran. *c. c. c.* explicant, non similitudinem, et unitatem perfectam, sed aliqualem tantum proportionem denotat, ut sensus sit : *volo, ut fideles per unionem charitatis unum sint in gratia, sicut nos unum sumus per unionem identitatis in natura.*

3

Secundus error in eodem concilio lateranensi damnatus, prout habetur *c. damnamus cit. prope finem*, fuit *Almarici*, natione Galli, patria carnotensis, qui cum asseclis suis praeter alias complures haereses de tribus personis divinis ita insaniebat, ut diceret aeterni patris potestatem non fuisse porrectam ultra legem mosaicam ; testamentum

novum a filio promulgatum cum sacramentis omnibus jam suo aevo accepisse finem, et incoepisse tempus Spiritus S. cujus gratiam et charitatem sic attollebat, ut affirmaret, ejus beneficio homines sine actu exteriori salvari, neque amplius reos peccati fieri, etsi adulteria, fornicationes, et flagitia quaevis committant.

Serpebant errores isti longo tempore per populum, quia clanculum spargebantur: sed eos tandem, ut *Odoric. Rainald. ad annum Christi* 1209. *n.* 28. refert, in lucem protraxit Guarinus quidam, qui cum se asseclam hujus doctrinae fingeret, errores ejusdem didicit, eosque prodidit: quo factum, ut complures Almarici sectatores addicerentur rogo, magistri vero eorum, quia jam ante ex impatientia, quam ex probro damnationis, ob alios errores a sede romana in se fulminatae, concepit, contabuerat, ossa exhumata, igni concremata, et cineres in ventum sparsi sunt.

4

Tertius error est graecorum, negantium tertiam SS. Trinitatis personam, nempe Spiritum S. procedere a filio. Erroris istius occasionem sumpserunt ex verbis Christi *Joan.* 15. *v.* 26. ubi promittit apostolis, quod velit eisdem mittere Spiritum S. *qui a patre procedit*, nulla mentione facta, quod etiam procedat a filio, quam utique fecisset, si ab ipso procederet.

Errorem istum damnavit Gregorius IX. vel potius X. in concilio lugdunensi, prout refertur *c. un. h. tit. in* 6. imo jam antea ephesinum celebratum *anno Christi* 431. et relatum *can. de spiritu* 39. *dist.* 5. *de consecr.* ubi definitum est, Spiritum S. procedere non solum a patre, sed etiam a filio: et colligitur hoc etiam ex illo *Joan.* 16. *v.* 15. ubi Christus, *omnia*, inquit, *quaecunque habet pater, mea sunt*, si scilicet filiationi non repugnet; non repugnat autem spiratio activa filio, ergo etc.

Ad argumentum graecorum dico, Christum in textu *cit.* sufficienter innuere, quod Spiritus S. etiam ab ipso procedat; appellat enim eundem ibi *spiritum veritatis*, i. e. filii, nam *ego sum via, veritas, et vita*, inquit ipse Christus. *Joan.* 14. *v.* 6.

5

Quartus de summa Trinitate error est eorundem *graecorum*, docentium, quod si Spiritus S. procederet simul a Patre, et Filio, consectaneum sit, eundem Spiritus S. ab iisdem procedere, tanquam a duobus principiis, et per duas spirationes.

Verum haec quoque ipsorum illatio ab eodem concil. lugdun. prout *c. un. cit.* refertur, damnata est, et definitum, *quod Spiritus S. aeternaliter ex Patre, et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio; non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedat:* cujus definitionis ratio est, quia pater cum filio

communia habet omnia, in quibus ipsi sibi invicem non opponuntur: non opponuntur autem sibi quoad potestatem spirativam; quia ut concil. florent. PP. *sess.* 22. inquiunt, *Spiritus S. per se neque ad patrem, neque ad filium refertur, quatenus pater et filius sunt; spiritum enim ut spiritum ad spirantem referri oportet etc.* igitur necesse est, ut eadem sit spiratio activa Patris et Filii, et cons. non duo spiratores, aut duae spirationes.

6

Quinto vanitatis arguitur error *Raymundi Lulli*, qui inter cetera erronea dogmata jactanter asseruisse perhibetur, SS. Trinitatis mysterium a se demonstrationibus ita evidentibus probari, ut etiam paganus et mahumetanus, si eas attendere, et penetrare vellet, iisdem convinceretur: hinc existimabat, fidem rudibus duntaxat, et imperitis necessariam esse, non vero habentibus intellectum elevatum, quippe qui facilius trahantur ratione, quam fide.

Et vero naturali ratione cognosci posse mysterium istud, videtur erui ex duplici capite. 1. Quia illud litteris, et libris suis insertum posteritati reliquerunt etiam gentiles philosophi; hi autem in cognitionem ejusdem venire non potuerunt, nisi ex rationibus naturalibus. 2. Quia ipsi TT. multum laborant in investiganda ratione naturali pro hoc mysterio; horum autem conatus frustraneus, atque inutilis foret, si per rationem naturalem mysterium istud cognosci non posset, ergo etc.

Sed omnino statuendum, et firmiter tenendum est, summae Trinitatis mysterium nulla ratione humana evidenter, et efficaciter probari posse: imo probabilius est, nulla omnino revelatione praecedente, id nec per conjecturam, aut suspicionem ullam in mentem venturum fuisse homini. Ita communis TT. cum *Suar. Vasq. Tanner. etc.* Colligitur ex *c. firmiter* 1. *et c. fin. h. t.* ubi Innocentius III. cum PP. concilii lateran. IV. *Deum unum, et trinum incomprehensibilem, et ineffabilem* nuncupat, eo fere sensu, quo Dionysius *L. de divin. nom. cap.* 16. docuit, illud summae, omniaque superantis divinitatis, Dei unius simul et trini arcanum rationem omnem, mentemque vincere. *Neque obstat,* quod 1. objicitur, de gentilibus philosophis; nam isti notitiam illam sibi compararunt, non luminis naturalis ductu, sed ex lectione librorum Moysis, oraculis sybillarum, et Apollinis delphici, aliorumque idolorum responsis. *Ad* 2. Theologorum labor in eo situs est, non ut ratione naturali mysterium hoc demonstrent, sed ut ostendant, veritatem ejusdem rationi illi non repugnare.

Haec canonistae de mysterio Trinitatis praelibasse sufficiat: qui plura desiderat, theologos consulat, quorum officium est fidei articulos explicare, et contra haereticos propugnare.

§. II.

De fide catholica, et ejus professione.

SUMMARIUM.

7 *Recensentur personae obligatae ad faciendam professionem fidei.*
8 *Edi illa etiam per procuratorem potest.*
9 *Omittentes eam culpabiliter fructus beneficii, vel canonicatus non faciunt suos.*
10 *Hos probabilius tenentur restituere ante sententiam.*
11 *Distributionibus quotidianis tamen non privantur.*

Fides divina, seu catholica tripliciter potest accipi, 1. *pro actibus illis intellectus*, quibus assentimur firmissime veritatibus et dogmatis per ecclesiam nobis a Deo propositis, 2. pro *habitu supernaturali*, ex quo ejusmodi actus eliciuntur, 3. pro *summa, et collectione articulorum fidei*, seu veritatum, quae nobis a Deo per ecclesiam proponuntur credendae. Hoc tertio modo sumitur in praesenti titulo; nam in hoc praeter summae Trinitatis mysterium, de quo hactenus, etiam ceteri, sed praecipui tantum fidei nostrae articuli proponuntur. Ut autem fidei huic pastores animarum firmius adhaererent, S. synodus trid. *sess.* 24. *c.* 21. §. *provisi de reform.* praeceptum addidit, ut qui ad pastoralis curae, vel alterius dignitatis ecclesiasticae munus evecti essent, fidei istius professionem publice ederent, et cum juramento promitterent, se in ecclesiae romanae obedientia permansuros.

7

Quaeritur 1. quinam obligentur ad sic edendam professionem fidei? Resp. 1. obligantur provisi de quibuscumque beneficiis curam animarum actualem annexam habentibus §. *provisi cit.* ubi iisdem praecipitur, ut eam faciant *ad minus intra duos menses a die adeptae possessionis in manibus ipsius episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus vicario, seu officiali.* 2. Provisi de canonicatu, vel dignitate in ecclesia cathedrali, tam regulari, quam saeculari. Trid. *l. cit.* §. *provisi autem*, ubi decernitur, ut ejusmodi professionem edant similiter intra duos menses a die pacificae possessionis, sive admissionis ad participationem massae capitularis, *coram episcopo, vel vicario generali ejusdem, et capitulo:* proceditque hoc, etsi alias ab episcopo exempti sint. 3. Promovendi in patriarchas, primates, archie-

piscopos; Trid. *sess.* 25. *c.* 2. §. *idemque de reform.* ubi jubentur professionem hanc edere *in prima synodo provinciali, in qua ipsi interfuerint; et si quis eorum istud renuerit, ceteris episcopis comprovincialibus injungitur, ut statim summum pont. de eo admoneant, interim vero ab ejusdem renuentis communione abstineant*: quod praeceptum renovatum est a Gregorio XIV. *constit.* incipit *onus apostolicae* edita 13. *mart.* 1591. 4. Praelati monasteriorum, conventuum, domorum, aliorumque locorum regularium quarumcunque, etiam ordinum militarium; nam ad hoc dispositionem trid. *cit.* extendit Pius IV. *constit.* incip. *injunctum nobis. edita ibid. nov.* 1564. apud Tamb. *de jur. abb. tom.* 1. *D.* 8. *q.* 3. *num.* 2. ubi *num.* 3. cum aliis addit constitutionis istius usum non in omnibus religionibus introductum esse: consequenter singularum consuetudo observanda erit, quippe quae leges constitutas abrogat, et novas vi sua constituit. 5. Doctores magistri, regentes, et alii cujuscunque artis liberalis professores, sive clerici illi sunt, sive laici per *constit. Pii V.* incipit *in sacrosancta* relatam a Rodriq. *tom.* 2. *regul. q.* 72. *a.* 2.

8

Quaeritur 2. an fidei professio a personis ad eam obligatis edi valeat per procuratorem? Negat Gonz. *ad reg.* 8. *cancell. proem.* §. 7. *num.* 169. Stephan. Gratian. *discept. for. c.* 166. *num.* 22. et nonnulli alii. Et suaderi istud videtur 1. quia ut sententiae istius AA. referunt, ita declaratum est bis a s. congr. card. et toties decisum in rota. 2. Quia in formula juramenti, quae refertur *c. ego n.* 4. *de jurejur.* adduntur verba: *sic me DEUS adjuvet, et haec sancta DEI evangelia*; quae verba minus bene pronuntiantur a procuratore, cum non ipse proprio, sed nomine sui principalis juret. 3. Quia saepe ex speciali indulto sedis apostolicae designatur certus episcopus, qui professionem fidei a noviter ad episcopatum suscepto recipiat, ne is cum magno labore itineris, et expensis cogatur Romam tendere: atqui hac commissione opus non foret, si professio fidei edi per procuratorem posset; quia laborem et expensas jam evitaret, si constitueret procuratorem jam existentem Romae.

Verum his non obstantibus, dicendum, professionem fidei, de de qua hic sermo est, praestari per procuratorem posse. Ita Vivian. *de jur patron. l.* 13. *c.* 3. *num.* 27. Az. *p.* 2. *L.* 3. *c.* 2. *q.* 6. Tamb. *de jur. abb. D.* 8. *q.* 3. *n.* 11. Barb. *de offic. et potest. episc. alleg.* 61. *n.* 20. Sperell. *decis.* 106. *n.* 7. Wiestner *hic n.* 54. et plurimi alii ab his *cit.* quibus concordat passim recepta praxis. Ratio est, quia quod quis potest facere per seipsum, etiam facere potest per alium juxta *reg.* 68. *in* 6. nisi canone, aut lege prohibeatur, atqui professio fidei nullo jure prohibetur edi per alium, imo per *can. optatum* 4. *dist.* 100. satis clare ita edi permittitur. ergo. *Conf.* quia professio haec fidei, ut

notat P. Vviestner *hic n.* 54. nihil est aliud, quam juramentum solemne, quo assumptus ad dignitatem, aut canonicatum jurat romanae ecclesiae obedientiam, et fidelitatem: atqui juramentum ejusmodi edi per procuratorem potest ex indubitata apud omnes doctrina. ergo etc.

Argumenta negativae sententiae non convincunt. *Ad* 1. declarationes ab adversariis allegatae Sperell. *l. c. prope fin.* dicit esse apocryphas: decisionibus rotae ex Masobrio opponit tres alias, stantes pro affirmativa. *Ad* 2. non apparet, cur non, ut cetera, ita etiam haec finalia verba principalis sui nomine proferre procurator valeat. *Ad* 3. id probat, quod cautius agat, qui ejusdem indultum impetrat; non vero, quod necessarium sit. Excipio casum, quo per statuta specialia ecclesiae vel monasterii etc. professio fidei personalis exigitur.

9

Quaeritur 3. quae sit poena omissae professionis fidei cum emitti debuisset? Resp. juxta trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* si provisi de beneficio curato, vel canonicatu, aut dignitate in cathedrali ecclesia intra duorum mensium terminum professionem fidei culpabiliter omittant, in poenam privantur fructibus, qui ejusmodi beneficiis post elapsum bimestre proveniunt, adeo ut eos, professione etiam postea facta, non recuperent, nec possessio iisdem quoad fructuum istorum perceptionem suffragetur. Ita trid. *l. citt.*

Dixi 1. *provisi de beneficio curato, vel canonicatu, aut dignitate in cathedrali ecclesia*; nam provisi solum de capellaniis, et portionibus in cathedrali, vel de canonicatu, et dignitate in collegiata ecclesia, aut de aliis beneficiis simplicibus, ad professionem illam trid. decreto non adstringuntur, et cons. nec illius omissae poenas incurrunt, ut cum aliis notat Barbos. *de offic. et potest. episc. alleg.* 61. *a num.* 13.

Dixi 2. *si culpabiliter omittant*; nam ignorantia, aut oblivio inculpabilis sicut excusat ab observatione praecepti, ita etiam a poena transgressionis ejusdem: debet tamen ignorantia ista, vel oblivio probari sufficienter ab allegante; cum enim sit ignorantia juris clari, supponitur in foro externo abesse ab iis, in quibus illa non toleratur.

Dixi 3. *fructibus, qui post elapsum bimestre proveniunt*; nam fructibus, primo bimestri perceptis, tridentinum *l. cit.* non privat, quippe quorum acquisitionem conditioni professionis emittendae non alligavit.

10

Quaeritur 4. an qui omisit professionem fidei intra tempus a trid. statutum fructus, post illud perceptos ex beneficio teneatur restituere ante sententiam? Negat Sanch. *L.* 2. *moral. c.* 5. *n.* 10. Barb. *de offic. et potest. episc. alleg.* 61. *num.* 28. et ab his complures alii *cit.* ex ratione, quia lex haec tridentini est poenalis; lex autem poenalis non obligat ante sententiam, etiamsi poenam ipso jure irroget *arg. c.*

cum secundum 19. *de haeretic. in* 6. Accedit, quia ipsum trid. quando vult obligare ad restitutionem ante sententiam, id clare exprimit, adjecta clausula *alia etiam declaratione non secuta*, prout de clerico non residente fecit *sess.* 23. *c.* 1. *v. si quis autem de reform.* igitur cum in nostro casu dictam clausulam non adjecerit, dicendum, quod ad restitutionem fructuum amissorum ante sententiam in foro conscientiae noluerit obligare.

Verum his non obstantibus, tenenda est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Azor. *p.* 2. *L.* 7. *c.* 2. *q.* 1. *in fin.* Ledesm. *p.* 2. *summ. tr.* 1. *c.* 4. *concil.* 10. *diffic.* 1. Garc. *p.* 3. *de benefic. c.* 3. *num.* 35. Konig· *hic num.* 10. et colligitur et trid. *c.* 12. *cit.* ubi statuit, ut omittentes culpabiliter professionem *fructus non faciant suos*, et cons. eorum acquisitionem impedit. Igitur dum illos percipiunt, rem alienam detinent; res autem aliena ante omnem sententiam restitui debet. ergo etc.

Ad argumentum adversae sententiae lex illa trid. non est poenanalis, vel saltem, ut DD. *cit.* notant, non pure poenalis, sed conventionalis, dum acquirere volentibus beneficiorum fructus pro conditione statuit, ut professionem fidei intra tempus constitutum faciant, vel eam saltem culpabiliter non omittant. *Ad conf.* clausula illa in nostro casu subintelligitur ex natura rei; nam ad obligandum aliquem ad restitutionem ante sententiam, sufficit, quod is sit detentor rei alienae.

11

Quaeritur 5. an professionis omissione amittantur, et restitutioni obnoxiae sint etiam distributiones quotidianae? *Ratio dubitandi est*, quia etiam hae fructus praebendarum sunt, cum non nisi de praebenda provisis obveniant.

Sed probabilius respondetur negative. Ita Gonzal. *in reg.* 8. *cancell. proem.* §. 7. *n.* 154. *et* 170. Garc. *p.* 3. *de benef. c.* 3. *num.* 60. Barb. *alleg.* 61. *cit. num.* 30. *etc.* et hoc teste decisum a rota. *Excipitur* casus, quo beneficium, vel canonicatus praeter distributiones fructus alios nullos praeberet; tunc enim, ne tridentini decretum omnino eludatur, etiam distributionibus deberet intelligi, ut recte cum ceteris advertit Barb. *l. cit.*

Ad rationem dubitandi distributiones in materia odiosa, qualis est praesens, non veniunt fructuum nomine, cum exhibeantur canonicis non tituli, sed praesentiae, et ministerii personalis intuitu.

TITULUS II.

De Constitutionibus

Constitutio a *constituendo*, i. e. *simul statuendo* dicitur; vel quia principes, non solum, sed simul cum suis conciliariis condere constitutiones solent, ut colligitur *l. humanum* 8. *C. de legib.* vel quia constitutio debet esse communis, et pro pluribus, *can. erit* 2. *dist.* 4. Hujus synonyma vulgo censentur esse *lex*, *jus*, *statutum*. Verum si voces istae sumantur stricte, diversum quid sonant; nam *constitutionum* nomine proprie decreta veniunt, quae a summo pont. *legum et jurium*, quae a principe supremo saeculari; *statutorum* autem, quae a principibus, et magistratibus inferioribus sanciuntur, ut bene advertit Pal. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 1. *num.* 1. Hoc titulo *constitutionis*, et *legis* nomen accipitur, prout etiam statuta complectitur.

§. I.

De natura, varietate, actibus, et causa finali legis.

SUMMARIUM

2 *Lex est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet promulgata.*

3 *Alia est lex divina, alia naturalis, alia humana: et haec vel ecclesiastica, vel civilis.*

4 *Alia praeceptiva, alia poenalis, vel mixta.*

5 *Alia affirmativa, alia negativa, irritans, vel tantum prohibens; favorabilis, et odiosa.*

6 *Actus legis sunt quatuor, imperare, vetare, permittere, punire.*

7 *Causa finalis in omni lege proprie dicta est bonum commune.*

2

Quaeritur 1. quid sit lex? Resp. Lex est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata. Ita s. Thomas 1. 2. *q.* 90. *a* 4. quem recipiunt in hoc omnes DD. Sensus est, quod lex sit rationabilis dispositio, et imperium, legitime promulgatum, quo superior sibi subjectam communitatem obligat ad aliquid faciendum, vel omittendum, in bonum ipsius communitatis.

Ex quo sequitur, quod ad constitutionem legis quaedam quidem requirantur ex parte conditoris; alia ex parte materiae, circa quam lex conditur; alia vero ex parte ipsius legis conditae. *Ex parte conditoris* requiritur 1. potestas praecipiendi, non dominativa tantum, qualem habent parentes in filios, domini in servos, sed politica, et jurisditionis. 2. judicium intellectus, quo judicet, id quod praecipit, aut prohibet, congruere reip. et expedire, ut ab omnibus observetur. 3. Voluntas obligandi subditos sufficienter manifestata: *Ex parte materiae* autem, ut sit de re honesta, justa, et secundum naturam possibili. *Ex parte ipsius legis* denique, ut sit conveniens loco, tempori et patriae consuetudini; item ut sit necessaria utilis, et manifesta. Quae omnia innuuntur *can. erit.* 2. *dist.* 4. et per decursum istius tituli pluribus exponentur.

3

Quaeritur 2. quotuplex sit lex? Resp. Lex generice accepta varie dividitur nam 1. dividitur in legem divinam, naturalem, et humanam. *Divina* est Deus ipse, quatenus indicat, quid sit faciendum, vel omittendum, et voluntatem habet obligandi ad sui observationem. Haec prima regula est ceterarum legum, ad quam tanquam finem ultimum ordinari debent. *Naturalis proprie sumpta*, est dictamen rationis a natura inditum, quo natura rationalis discernit honestum a turpi. *Humana*, quae ab hominibus proxime et immediate ponitur. Et haec alia est *ecclesiastica*, quae descendit a potestate ecclesiastica, et *canon* indigitatur *in summ. dist.* 3. alia *civilis*, quae ponitur a potestate saeculari, *et jus forense*, seu *civile* dicitur juxta *summ. cit.*

4

2. Dividitur in legem praeceptivam, et poenalem. *Praeceptiva* est, qua aliquid absolute, et simpliciter praecipitur, aut prohibetur. *Poenalis*, qua transgressori poena, aut mulcta injungitur: estque duplex; nam alia est pure poenalis, alia mixta. Illa solum statuit poenam, non vero sub culpa obligat ad actum immediate praeceptum, prout plures sunt regulae religiosorum ordinum: ista duo continet membra, quorum primo aliquid jubetur, vel prohibetur, altero transgressoribus poena imponitur, ut si legislator caveat: *nemo subditorum arma vendat imperii hostibus; qui contra fecerit, ejus bona confiscabuntur.*

5

3. Dividitur lex in legem affirmativam, et negativam. *Affirmativa* est, quae imperat aliquid positivum et reale, esto, verbis negativis imperet, ut est lex de audiendo sacro diebus festis, de communione recipienda in pascate etc. *Negativa*, quae negationem imperat, et actum positivum prohibet; qualis est lex de non furando, de non occidendo, de non fornicando etc.

4. In legem, quae irritat actum adversus eandem factum, sicut est lex tridentini de matrimonio clandestino, et in legem, quae solum eundem prohibet fieri, ut sunt plerumque ceterae.

5. In odiosam, et favorabilem. *Odiosa* est, quae principaliter saltem in alicujus odium tendit, quamvis secundario cedat in favorem alterius; *favorabilis*, quae principaliter facta est in favorem alicujus, licet secundario redundet in alterius odium.

6

Quaeritur 3. quot, et quinam sint actus legis? Resp. Quatuor assignantur *l. legis virtus* 7. *ff. de legib.* Ubi Modestinus, *legis virtus*, inquit, *haec est imperare, vetare, permittere, punire.*

Sed haec assertio difficultatem patitur. 1. quia *imperare, et vetare* non videntur distingui. 2. lex inducit obligationem; hanc non inducit permissio. 3. punitio fit propter legem violatam, igitur hanc totam jam supponit, et cons. actus legis non est; alias etiam collatio praemii actibus legis adnumerabitur, et sic plures erunt actus legis, quam quatuor.

Verum adhuc retinenda est communis sententia, cum authoritatem pro se legis habeat. *Ad* 1. sufficiens est distinctio; nam *imperare* accomodatur praecepto affirmativo, *vetare* negativo. *Ad* 2. permissio ad legem pertinet, non per se, sed consecutive; non enim lex est respectu illius, cui permissio facta est, sed respectu aliorum, quibus per eam injungitur, ne eum, cui quid permissum est, ab hoc faciendo impediant. *Ad* 3. etsi lex poenam injungens aliquando obligationem legis cujusdam praecedentis supponat, ipsa tamen, dum poenam transgressioni statuit, distinctam, novamque obligationem inducit; quia judices quidem obligat ad poenae ejus executionem; subditos autem, ut illam sustineant. Ad id, quod additur de praemio, nego paritatem; nam praemiatio procedere potest etiam ab aequali, vel inferiore, punitio solum a judice.

7

Quaeritur 4. quae sit causa finalis legis? Resp. Causa finalis, seu finis legis est bonum commune reip. Patet ex *can. erit.* 2. *dist.* 4. ubi inter conditiones ad legem requisitas ponitur, ut *nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta sit.* Concordat *l.* 1. *ff. de legib.* ubi Papinianus. *Lex*, inquit, *est commune praeceptum.* Et hinc lex injusta, inutilis, non conveniens bono publico lex non est, nec obligationem potest inducere. Haec certa.

Dubium est, utrum lex omnis necessario respicere debeat bonum commune? *Ratio dubitandi est.* 1. quia plures sunt leges, quae respiciunt bonum speciale, quales sunt leges inductae in favorem pupillorum, minorum, militum etc. 2. Privilegium lex privata dicitur. Sed hoc in bonum privilegiati duntaxat, non vero communitatis cedit,

ergo etc. 3. Lex tributorum, et vectigalium tantum respicit utilitatem principis non vero communitatis; imo potius est in istius damnum. 4. Lex praescriptionis, etsi, quibusdam sit utilis, pluribus tamen damnosa est. 5. Denique est §. *fin. inst. de J. et J.* prodita, et a DD. approbata partitio juris in publicum, et privatum, certe non alia de causa, quamquod aliquae quidem leges publicum, aliae privatum duntaxat bonum respiciant.

Verum haec argumenta vim tantam non habent, ut a doctrina communi dimovere nos debeant, cum qua dicendum, quod lex omnis commune bonum respicere necessario debeat: id enim elicitur ex *citt.* textibus qui generales sunt. *Ad* 1. etiam illae leges bonum commune respiciunt: quia non attendunt bonum cujuslibet personae singularis; quatenus talis est, sed quatenus inducit rationem communem pupilli, minoris etc. Accedit, quia bonum istarum personarum cedit in bonum totius reip. cui maxime competit praedictis personis favere. *Ad* 2. privilegium respectu ejus, cui concessum est, facultas duntaxat est, respectu ceterorum vero lex, ut non impediant privilegiatum ab usu privilegii, et eatenus cedit in bonum commune; bonum enim publicum est privilegiatos non turbari in usu privilegiorum suorum. *Ad* 3. leges vectigalium, si justa sint vectigalia, utiles sunt reip. quia tribuuntur ad ejus defensionem. *Ad* 4. per legem praescriptionis caventur lites, constituitur pax etc. igitur etsi quibusdam damnosa sit, communitati tamen est utilis. *Ad* 5. divisionis illius ratio est, quia aliquarum legum materia proxima, circa quam primo et per se versantur, bonum privatum; aliarum bonum publicum respicit: quo tamen non obstante, utraeque vere et proprie leges sunt; quia ratio, propter quam illa circa privatum, istae circa publicum bonum versantur, semper est reip. totius bonum.

§. II.

De causa efficiente legis.

SUMMARIUM

8 *Est in hominibus potestas ferendi leges.*
9 *Potestas ferendi leges canonicas principaliter inest pontifici.*
10 *Post pontificem potestas ista competit etiam aliis praelatis jurisdictionem ecclesiasticam obtinentibus.*
11 *Quae in hoc sit potestas concilii.*
12 *Quae congregationis cardinalium?*
13 *Quae capituli cathedralis, sede vacante, vel non vacante?*
14 *Quae aliarum communitatum ecclesiasticarum?*
15 *Quis condere leges civiles possit?*
16 *Pontifex non potest condere leges civiles, quibus obligentur, qui dominio ipsius temporali non sunt subjecti.*
17 *Nec imperatori obligare legibus suis datum est alios, quam qui sunt in provinciis subjectis imperio.*
18 *Praelati inferiores pontifice condere non possunt leges adversus jus commune ecclesiasticum; possunt magistratus, et principes imperii adversus jus civile.*

8

Certum est 1. esse in hominibus potestatem ferendi leges; quia sine illa communitas hominum gubernari non posset; nam ut dixit sapiens prov. 11. *ubi non est gubernator, corruit populus*: sed gubernator officium suum exercere non potest, nisi mediis legibus. Ergo vel ab alio debet illas recipere, vel ipse, si supremus sit, debet easdem condere. 2. pariter certum est, hanc potestatem ferendi leges nemini competere a natura: quia natura omnes homines liberos fecit; nemini enim potestatem, et jurisdictionem politicam in alium concessit. Restat igitur, ut solum ipsa communitas hominum a natura habeat hanc potestatem. 3. similiter exploratum est, ob confusionem, quae necessario fuisset orta, si omnes de communitate, praesertim ampla, ad regimen sui concurrerent, potestatem istam non potuisse exerceri, nisi a quibusdam, vel uno etiam, in quem potestas gubernativa a populo fuit translata. Dubium duntaxat est, in quibus resideat potestas gubernandi populum legibus a se sancitis. Et cum leges, ut dictum est *num.* 3. sint duplicis generis, ecclesiasticae, et civiles, hinc

9

Quaeritur 1. in quo sit potestas condendi leges ecclesiasticas, seu canonicas? Indubitatum est, hanc potestatem esse penes summum pont.

Petri successorem, quia illi commissa est potestas gubernativa totius ecclesiae, quae, ut *num. praeced.* dictum est, sine legislativa esse non potest. Habet autem pontifex hanc potestatem immediate a Christo; non enim pro solo Petro dictum est: *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, sed pro omnibus ejus successoribus; omnibus enim jus clavium datum est, omnibus dictum est: *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris, erit solutum.* Neque in hac sua potestate pontifex vel a concilio, vel a consensu cardinalium pendet: non a synodo, vel concilio, prout clare decisum videtur *can. cuncta* 17. *caus.* 9. *q.* 3. et probat ratio; nam pontifex est supra concilium, et hoc totam suam authoritatem ab ipso habet: non a consensu cardinalium; quia pontifex eandem nunc potestatem habet, quam habuit Petrus. Sed Petrus independenter ab aliis Apostolis poterat leges ferre. Ergo a fortiori pontifex leges ferre independenter a cardinalium consensu poterit. Quare si aliquando consilium cardinalium postulat ad ferendas leges, id non ex necessitate, sed aequitate fit, eo quod conveniens sit, ut omnes intelligant summa maturitate, et prudentia ecclesiam gubernari.

10

Dub. 1. An, et quam potestatem condendi leges, vel statuta habeant praelati inferiores pontifice? Resp. potestatem hanc pluribus communem esse; nam 1. leges ferre pro sua dioecesi possunt episcopi. *c. siquis* 2. *de major. et obed. et c. fin. h. t. in* 6. 2. praelati alii episcopis superiores, ut sunt patriarchae, primates, archiepiscopi, respectu propriarum quisque dioecesium arg. *cc. citt.* leges enim, quae totam provinciam, cui praesunt, obligent, ipsi ferre non possunt, nisi in concilio provinciali, et de consensu episcoporum comprovincialium, ut habetur expresse *can. nullus primas* 7. *caus.* 9. *q.* 3. *et c. sicut olim* 25. *de accusat.* 3. cardinalis; sed tantum respectu ecclesiae sui tituli, ut colligitur ex *c. his quae* 11. *de major. et obed.* et ratio est, quia solum ibi jurisdictionem habent. 4. legatus sedis apostolicae; nam hic leges ferre potest obligantes totam provinciam, durantque illae, non solum tempore legationis, sed etiam illo finito, donec a pont. vel alio legato revocentur, ut constat ex *c. fin. de offic. legati.*

11

Dub. 2. an potestas legislativa competat etiam conciliis? Resp. Distinguendo inter concilium generale, et particulare. Concilium generale, si accedat authoritas summi pontificis, leges condere potest, quae obligent universam ecclesiam, ut cum ceteris docet Navar. *cons.* 1. *h. tit. n.* 4. Suar. *l.* 4. *cit. c.* 6. *n.* 2. Pal. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 23. *num.* 15. et ratio est, quia sic, et non aliter concilio generali a pontifice concessa est potestas condendi leges. Atque hinc ejusmodi concilia semper

a pont. decretorum suorum petere confirmationem solent, ut fecit trid. *sess.* 25. *in fin.*

Concilia particularia leges quidem ferre et ipsa possunt, sed tantum pro suo territorio, videlicet nationale pro natione, provinciale pro provincia, dioecesanum pro dioecesi; non autem, ut iis obligetur universa ecclesia; ut bene notat Suar. *c.* 6. *cit. a n.* 8. *excipitur*, nisi decreta talis concilii a pont. approbentur pro universa ecclesia; tunc enim ratione approbationis vim legis universalis habent, et talia multa sunt inserta decretalibus a Gregorio IX.

12

Dub. 3. qualem potestatem condendi leges habeat congregatio cardinalium? Videtur, quod huic competat plena potestas condendi leges; nam 1. collegium cardinalium assimilatur senatui romano *can. Constantinus* 14. *dist.* 96. 3. habet potestatem eligendi pontificem, et creandi legislatorem universalem. Igitur etiam condendi leges. 3. vim legis universalis habent declarationes s. congreg. concil. sed hae emanant a cardinalibus, congregationem illam constituentibus, ergo etc.

Verum haec argumenta non sunt ita efficacia, ut evincant intentum: quare dicendum, congregationem cardd. per se loquendo non habere potestatem condendi leges obligantes universam ecclesiam. Ita Suar. *l.* 4. *cit.* 6. *num.* 6. Pal. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 23. *num.* 19. et cum his ceteri. Et hoc verum est, etiam sede papali vacante, ut patet ex *c. ubi periculum* 3. *de elect. in* 6. *et Clem. ne romani* 2. *eod.* ubi cardinalibus, sede vacante, solum conceditur, ut ea statuant, quae pro electione summi pont. et pro ecclesiae defensione, ac periculorum occurrentium aversione visa fuerint expedire: et cavetur, ne se in alio negotio intromittant: id vero, quod secus fecerint, irritum et inane decernitur. Quare cum praeceptorum impositione sufficienter caveatur periculis occurrentibus, nequeunt legem statuere; quia lex est statutum permanens.

Ad rationes in oppositum allatas facilis est responsio. *Ad* 1. congregatio cardinalium assimilatur senatui romano, non quoad potestatem condendi leges, sed in honore, et dignitate; cum enim potestas ferendi leges canonicas, ecclesiastica et spiritualis sit, Constantinus imp. eam cardinalibus dare non potuit. *Ad* 2. non est novum, quod alicui facultas concedatur ad actum nobiliorem, inferiore denegato; sic enim a Christo omnibus sacerdotibus concessa est potestas consecrandi ejus corpus, non tamen consecrandi calices. *Ad* 3. TT. complures putant eas declarationes tantum doctrinales esse, vel ad summum constituere jus mere privatum inter partes consulentes: si vim decisivam, et legis universalis habent, ideo habent, quia concessa specialiter est a summo pont. prout concessam a Sixto V. et Gregorio XIV.

contendit Fagnan. *in c. fin. h. tit. n.* 8. *et seqq.* sed tum cardinales id faciunt authoritate non propria, sed apostolica *V. infra num.* 25.

13

Dub. 4. quam potestatem condendi leges habeat capitulum cathedrale? Resp. distinguendo inter capitulum sede episcopali vacante, et inter capitulum, sede plena. *Si sedes vacet*, satis convenit inter dd. quod tunc capitulum cathedrale potestatem leges condendi habeat; nam eo tempore penes ipsum residet jurisdictio episcopalis *c. cum olim* 14. *de major. et obed. c. un. eod. in* 6. ex quo sequitur, quod his suis statutis obligare dioecesin universam possit; quia episcopus potuit, a quo ad illud universa jurisdictio necessaria translata est *per textus citt.*

Dubium igitur propositum solum procedit casu, quo sedes episcopalis plena est. Sed solvi hoc ope distinctionis potest, dicendo capitulum, sede plena, leges ferre non posse, quae extraneos dioecesanos obligent; posse, et quidem absque consensu episcopi sui, ferre leges, et statuta, quibus obligentur ipsimet capitulares. Ita Suar. *l.* 4. *de legib. c.* 6. *n.* 11. *et* 12. Pal. *tr. D.* 1. *p.* 23. *num.* 25. et apud hunc abb. Felin. Sylv. etc. *Ratio primae partis est*, quia capitulum in dioecesanos extraneos potestatem, et jurisdictionem non habet, nisi per mortem episcopi. *Pars altera* colligitur ex *c. cum omnes* 6. *h. tit.* ubi supponi videtur, posse canonicos, irrequisito episcopo, jus in seipsos statuere. Accedit ratio, quia in his, quae pertinent ad rectam, et ordinariam gubernationem capituli, ipsum capitulum procedit absque episcopo, ergo signum est, quod in illius jurisdictionem habeat. Si jurisdictionem, etiam potestatem legislativam; nam gubernatio sine vi coactiva recte stare non potest, ergo etc. Unde sufficiet, si consensum episcopi exquirant duntaxat in gravioribus.

Neque obstat, quod episcopus sit caput ecclesiae, capitulum vero corpus; corpus autem sine capite nihil possit efficere; nam capitulum etiam sine episcopo est corpus integrum, quippe cum caput immediatum habeat, sc. decanum, vel praepositum.

14

Dub. 5. an, et quam potestatem aliae communitates ecclesiasticae, tum saeculares, tum regulares habeant? Resp. De regularibus certum est, quod in illis potestas legislativa resideat; quia in iis non solum est potestas dominativa ex vi voti obedientiae, et traditionis uniuscujusque ad se gubernandum; sed etiam jurisdictionis concessa a pont. ad gubernandum religiosos juxta praescriptum regulae. Exercetur autem potestas ista aliquando a capitulo generali, aliquando a superiore ordinis, et provincialibus: de quo videnda sunt specialia ordinis cujusque statuta. De capitulis ecclesiarum collegiatarum, et aliis communitatibus ecclesiasticis saecularibus satis liquet, quod de jure communi, seclusa contraria consuetudine, jus legislativum non habeant, ut recte

notat Pal. *D. cit. punct.* 23. *num* 26. quia nullibi invenitur illis concessa, et potestas jurisdictionis, cum sit res facti, praesumenda non est, nisi probetur. Poterunt tamen, ut idem Palao addit, eaedem communitates, etiam ipsae, in rebus levioribus ordinationes facere tam dispositivas, quam poenales, quae ad culpam obligent, vel ratione potestatis dominativae, quam communitas in membra sua ex ipsorum traditione ultronea acquisivit, vel ratione promissionis, et juramenti, quod singuli praestare de servandis communitatis statutis assolent.

15

Quaeritur 2. quinam possint leges civiles condere? Resp. in hoc spectandum regimen cujusque gentis, vel loci; nam in statu democratico leges condit universus populus; in aristocratico optimates, in monarchico summus princeps. In specie 1. leges condere, et his provincias imperio subjectas potest obligare imperator *l. Deo authore* 1. *C. de veter. jur. enucl. l. bene* 3. *etc. C. de quadrien. praescript. l. inter. et L. fin. C. de legib.* Ratio est, quia imperator nunc eandem potestatem in terris sibi subjectis habet, quam habebant imperatores antiqui, sed hi potestatem habebant condendi leges, totum imperium obligantes, ut constat ex toto jure caesareo, quod auctoritate imperiali constitutum est, et specialiter ex *l. tanta* 2. *C. de vet. jur. enuncl.* ergo etc. 2. Reges pro regnis sibi subditis; quia habent potestatem gubernativam, quae sine legislativa esse non potest. 3. Principes alii, qui superiorem non recognoscunt in temporalibus, pro provinciis suis, ex vulgata regula: *Quilibet princeps in suo territorio tantum potest, quantum imperator in imperio.* 4. Quidam alii inferiores, tum princeps, tum magistratus. Sed hi videre debent, qua ratione ipsis concessa sit potestas gubernativa, et legislativa, nam juxta modum concessionis illa duntaxat iisdem competit. 5. Communitates perfectae, si supremam jurisdictionem habeant, et eam non transtulerunt in aliquem principem. Ceterae, quae supremo alicui principi subjectae sunt, leges non possunt condere, nisi privilegio principis, usu, aut consuetudine illud ipsis concessum sit. Haec certa.

16

Dubium est 1. an pontifex habeat potestatem condendi leges civiles? *Certum est*, quod ejusmodi leges ferre possit pro terris sibi subjectis etiam quoad dominium temporale; nam spiritualis jurisdictio temporalem non excludit; *Extr. unam sanctam* 1. *de major. et obed.* et reges, ac principes, dum ejusmodi terras donarunt pontifici, in hunc cum iisdem transtulerunt potestatem gubernativam; ergo et legislativam, quae gubernativae necessario est conjuncta.

Controversia solum est, an pontifex possit condere leges civiles obligantes universam ecclesiam? Non defuerunt, qui affirmarent, moti 1. textu *can. omnes* 1. *dist.* 22. ubi Nicolaus papa mediolanensibus

rescribens, beato Petro *terreni simul, et caelestis imperi jura commissa* affirmat. 2. *Extr. unam sanctam cit.* ubi Bonifacius VIII. cum ostendisset, in ecclesiae potestate duos gladios esse, unum spiritualem, alterum temporalem, illum in manu sacerdotis, istum in manu regum, subjungit: *oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem authoritatem spirituali subjici potestati.* 3. *c. cum haberet* 5. *de eo, qui duxit etc.* ubi pontifex leges civiles, quibus alimenta negantur illegitimis, *c. super* 4. *de secund. nupt.* ubi reprobantes secundas nuptias, *c. vigilanti* 5. *et c. fin. de praescript.* ubi permittentes praescriptiones malae fidei possessori corrigit, iisque derogat. 4. pontifex potestatem habet in ipsos principes, et regna transfert, prout fecit Leo papa, dum imperium romanum a Graecis ad Germanos transtulit. *Clem. un. de jurejur.* ergo multo magis habet potestatem ferendi leges civiles.

Sed adhuc tenenda est negativa sententia, quam etiam defendunt Molin. *tr.* 2. *de J. et J. D.* 29. *n.* 19. Suar. *l.* 4. *de legib. c.* 6. *n.* 3. Pal. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 22. §. 1. *num.* 1. et apud hos plurimi alii: patetque ex perpetua ecclesiae praxi; imo confessione ipsorum summorum pontificum, libere fatentium, quod potestas politica, ordinaria, et directa, ac jurisdictio tam legislativa, quam dominativa sit penes imperatorem, et alios principes saeculares exclusive ad papam, ut liquide constat ex *can. quoniam* 8. *dist.* 10. *can. cum ad veram* 6. *et can. duo sunt* 10. *dist.* 96. *c. novit.* 13. *de judic. c. per venerabilem* 13. *qui fil. legitim.* et aliis pluribus. Ratio est, quia Christus solum spiritualem jurisdictionem Petro, et successoribus ejusdem tribuit, ut fere omnes colligunt ex verbis *tibi dabo claves regni coelorum etc.* igitur ut temporalem jurisdictionem haberet pontifex, debuit illa eidem concedi a principibus, atqui de his non constat, hanc potestatem concessisse pontifici, ergo etc.

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. B. Petro commissa sunt jura coelestis, et terreni imperii, sed unum directe, alterum indirecte, et ita, ut isto papa uti non possit, nisi quantum hoc exigit ecclesiae conservatio, et communis salus spiritualis alicujus regni, vel provinciae. *Ad* 2. ad eundem finem gladius debet esse sub gladio, et temporalis principum jurisdictio spirituali pontificis subjici. *Ad* 3. pontifex corrigit, et derogat legibus civilibus, quando istae peccatum nutriunt, aut aequitati non sunt consentaneae, quales sunt allegatae in argumento. *Ad* 4. translatio illa imperii ad defensionem, et conservationem ecclesiae necessaria erat: et ita transferendo pontifex usus est jurisdictione non temporali, sed spirituali, sibi a Christo data.

17

Dub. 2. quousque se extendat potestas legislativa imperatoris? Resp. Extendit se ad totum imperium, omnesque ejusdem provincias, et regna, licet ita gubernentur ab alio supremo principe: esto enim,

quod imperator per se immediate illas provincias non gubernet, at recognoscitur tamen ab illarum ducibus, tanquam supremus princeps jure feudi, vel alio simili titulo.

Terras imperio non subjectas legibus suis obligare non potest, ut bene Molin. *tr.* 2. *D.* 30. *num.* 2. Suar. *L.* 3. *de leg. c.* 7. *num.* 8. Pal. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 22. *num.* 5. et ratio est, quia si hanc potestatem haberet, haberet illam sibi concessam vel a Christo, vel jure belli, vel electione populi: *non a Christo;* nam si pontifici non est data, minus censebitur concessa imperatori: *non jure belli;* nam constat imperatorem non occupare terras, quae aliis regibus subjectae sunt: *non electione populi;* nam de hac non constat, imo constat contrarium, quippe cum principes extra imperium in terris suis supremam potestatem habeant.

Quaestio moveri potest, an regna ista, et provinciae, saltem casu, quo propriae leges deficiunt, gubernari in causis decidendis secundum leges imperatorias debeant?

Affirmativa certa est in terris subjectis temporali dominio papae, quia ita statutum est *c. intelleximus* 1. *de nov. oper. nuntiat.* In aliis spectandae sunt speciales illarum leges, vel consuetudo: et ita consuetudinem obtinere in Hispania, docet Pal. *l. c. num.* 9. sed tantum in vi rationis, et directionis justae, non vero in vi legis obligantis: et hinc *num.* 11. ait, neminem puniendum esse propter transgressionem legum civilium in Hispania, vel alio regno, aut provincia, si actus non sit contra jus naturale, vel patrium; neque contractum fore irritum, etsi a jure civili irritetur, modo non sit irritus jure naturali, vel patrio.

18

Dub. 3. utrum principes imperii inferiores imperatore, et praelati inferiores pontifice condere leges, et statuta possint, quae sint juri communi contraria? Triplex est sententia. Prima affirmat, saltem si ejusmodi statuta non sint peccati nutritiva, idque ex duplici argumento. 1. ex *L. omnes* 9. *ff. de J. et J.* ibi: *quod quisque populus ipse sibi jus constituit, id ipsius proprium civitatis est.* 2. Ex paritate cum consuetudine, quae juri tam civili, quam ecclesiastico derogare potest, ut dicetur infra *tit.* 4. *num.* 20. *et* 21.

Secunda sententia hanc potestatem inferioribus magistratibus absolute negat, mota pariter duplici fundamento. 1. *Clem. ne romani* 2. *de elect.* ubi Clemens V. in princ. *nos* inquit, *attendentes, quod lex superioris per inferiorem tolli non possit etc.* 2. generali ratione, quia vis, ac potestas inferior praevalere nequit superiori, tanquam fortiori. *can. inferior.* 4. *dist.* 21. *et c. cum infertur* 16. *de major. et obed.*

Tenenda est tertia, eaque media inter utramque praecedentem sententia, et dicendum, per statuta facta a praelatis inferioribus de-

rogari quidem non posse juri pontificio ; posse autem juri caesareo per magistratus , et principes imperatore inferiores. Ita Abb. *in c. fin. de consuet. num.* 9. Felin. *in c. quod super* 9. *de major. num.* 2. cum aliis. Pro prima parte habentur clari textus *can. institutionis.* 7. *can. amputato* 11. *et can. sequent. caus.* 25. *q.* 2. maxime vero *c. quod super cit.* ibi : *dummodo non ducas aliquid statuendum , quod canonicis obviet institutis :* ubi clare ejusmodi potestas negatur praelatis inferioribus. Pars altera colligitur ex *l. omnes cit.* quam licet Suar. *L.* 6. *de legib. c.* 26. *n.* 11. intelligendam velit de juribus imperialibus ultra jus commune latis , ceteri tamen DD. et ipsa consuetudo de statutis etiam juri communi contrariis accipiendam esse convincunt.

Ex quo cadunt argumenta sententiarum oppositarum. Neque contrarium evincitur ex jure consuetudinis , nam ista adversus jus commune vim habet duntaxat , quando accedit consensus legalis ejus , qui legem tulit. Atqui consensus iste ex parte legum canonicarum , ut ex textibus *citt.* patet , supponi non potest ; potest autem supponi ex parte legum civilium , ergo etc.

§. III.

De causa materiali legis.

SUMMARIUM

19 *Materia et objectum legis sunt omnes actiones humanæ , quae præcipi , prohiberi , puniri , aut permitti possunt.*
20 *Etiam indifferentes.*
21 *Non tamen mere internæ.*
22 *Sub qua ratione materia legis possint esse actus praeteriti?*
23 *Non potest princeps aut lege , aut alia ordinatione auferre subditis jus suum , nisi casu , quo bonum reip. hoc exposcit.*

19

In hoc regulae locum habet , materiam , seu objectum legis esse omnes actiones humanas , quae praecipi , prohiberi , puniri , aut permitti possunt , prout colligitur ex *L. legis virtus* 7. *ff. de legib.* Et hinc 1. materia legis *praeceptivae* esse non potest actus per se inhonestus ; quia lex omnis debet esse rationi conformis , ut dictum est *num.* 2. talis non esset , si praeciperet actum per se inhonestum , ergo etc. Dixi *praeceptivae ;* nam lex permissiva pro objecto suo habere potest etiam , quod de se inhonestum est , illudque permittere ad vi-

tanda majora mala, sicut alicubi permittuntur lupanaria. 2. Materia legis *praeceptivae* esse non potest res aut physice, aut moraliter impossibilis; nemo enim obligari ad impossibile potest. *Reg.* 185. *ff. et Reg.* 6. *de R. J. in* 6. 3. Objectum *praecepti universalis* esse non possunt actus valde ardui et difficiles, uti sunt actus consiliorum evangelicorum; quia lex debet esse accommodata fragilitati humanae, prout colligitur ex *can. erit. autem* 2. *dist.* 4. 4. Legis *prohibitivae* materia esse possunt actiones etiam ex natura sua honestae, in quantum bono publico, vel certo fini sunt inconvenientes; sic enim die festo prohibetur labor servilis, nundinae, et judicia saecularia etc. licet de se honesta.

20

Quaeritur 1. an legis materia sit actus indifferens? *Ratio dubitandi* est, quia lex debet esse rationabilis, justa, et utilis communitati, *can. erit. autem cit.* talis autem non est, quae praecipit actum, secundum se, et spectatis omnibus circumstantiis indifferentem, ergo etc.

Hoc argumentum occasionem distinctioni, et resolutioni quaestionis praebet; dico enim actus indifferentes, quamdiu indifferentes manent, esse objectum legis solum permissivae: casu autem, quo necessarii, vel utiles sunt ad finem a legislatore intentum, posse esse materiam etiam legis praeceptivae. Ita S. Thom. 1. 2. *q.* 18. *a.* 9. Suar. *L.* 3. *de legib. c.* 12. *num.* 18. Pal. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 5. *num.* 2. cum aliis.

Pars. 1. responsionis evincitur per rationem dubitandi allatam. *Pars.* 2. constat ex eo, quia actiones indifferentes honestatem participant a fine, in cujus gratiam a legislatore praecipiuntur: cons. non amplius indifferentiam suam retinent in ejusmodi circumstantiis, quibus bono communi necessariae, aut utiles sunt.

21

Quaeritur 2. an, et quae lex imperare possit actus internos? *Certum est* hos imperari posse per legem divinam, et naturalem; nam huic non minus potentiae interiores, quam exteriores subjectae sunt.

Difficultas est solum de lege civili, et canonica. Affirmant Gloss. *in can. cogitationis.* 14. *de poenit. dist.* 1. et *in Clem.* 1. *de haeret. §. verum V. eo ipso* Rosella *V. absolutio* 1. *n.* 28. *et* 29. Medin. *C. de orat. q.* 13. et videtur hoc etiam probare ratio; nam 1. lex humana imperat, et prohibet actus humanos, et liberos, tales autem constituuntur per actus internos voluntatis. Ergo hos etiam imperat, vel prohibet. 2. Si lex humana prohibere, vel praecipere actus internos non posset, ideo non posset, quia de iis non posset cognoscere, sed hoc nimium probat; quia probat, quod neque prohibere, aut praecipere possit actus occultos externos. 3. Judices ecclesiastici potestatem suam non a populo, sed a Christo habent: sed hic potestatem in actus

etiam internos habet, et probabilius etiam iisdem dedit ob verba generalia *quodcunque ligaveris etc. Matth.* 16. *v.* 19. 4. Leges ecclesiasticae spectant bonum animarum, et finem supernaturalem; ad hujus autem assecutionem actus interni plurimum prodesse, vel obesse possunt. 5. Ecclesia absolvit, et reservat peccata mere interna, dispensat in votis internis, praecipit recitationem horarum cum attentione, et devotione interna, ergo ejus potestas se extendit ad actus mere internos.

Verum haec argumenta plus non probant, quam quod adhiberi debeat distinctio; possunt enim per legem humanam praecipi actus interni indirecte, et quatenus illi necessarii sunt ad actus externos imperatos recte peragendos; non autem directe, et quando ad hunc finem non sunt necessarii. Ita communis cum S. Thom. 1. 2. *quaest.* 91. *art.* 4. *et q.* 100. *a.* 9. Patet responsio de *lege civili;* quia haec a potestate populi ortum habet; sed populus dare jurisdictionem non potest supra id, quod sibi est omnino incognitum, et in quo nullam inter se communionem habet, ergo etc. De *lege canonica* ostenditur: nam potestas legislativa ecclesiae a Christo data est primo, et per se ad rectam ejusdem gubernationem: atqui ecclesia visibilis non bene gubernatur actu invisibili. Accedit, quia potestas legislativa conjuncta esse debet cum potestate punitiva, ut recte Aristot. 10. *Eth. cap.* 5. scilicet per sententiam, non ipso facto; quia hoc est conveniens, et maxime necessarium ad observationem legum, sed ecclesia non potest per sententiam punire actus mere internos; quia nequit de illis cognoscere, et judicare, ergo etc.

Neque obstant adducta in contrarium. *Ad* 1. patet ex dictis; nam exercitium libertatis eo casu necessarium est ad actum liberum: unde hunc praecipiendo, vel prohibendo, etiam actum internum voluntatis praecipit, vel prohibet indirecte. *Ad* 2. per accidens solum est, quod de actu externo occulto cognoscere judex humanus nequeat; per se enim talis est, ut cognoscere de illo possit: contra actus mere internus per se ab hominibus incognoscibilis est. *Ad* 3. illis Christi verbis concessa est potestas in actus mere internos solum pro foro interno conscientiae, quae non proprio, sed Dei nomine, et vice ab homine exercetur. *Ad* 4. leges ecclesiasticae spectant bonum animarum procurandum directe per actus externos, indirecte per actus internos; aliter enim isti, ut ostensum est, ecclesiae potestati non subjacent. *Ad* 5. dum ecclesia reservat peccata mere interna, versatur circa actum externum, absolutionem videlicet, quam prohibet dari, nisi ab eo, qui jurisdictionem habet. Similiter circa actum externum versatur, dum dispensat in votis mere internis; nam dispensando facit omissionem actus voto promissi licitam. Quod additur de recitatione horarum, mirum non est hanc praecipiendo etiam intentionem, et attentionem praecipi; sine his enim non est oratio.

22

Quaeritur 3. an, et quando actus praeteriti esse possint materia legis? Resp. Distinguendo inter legem declaratoriam juris praeexistentis, legem irritantem, legem praecipientem, vel prohibentem, et legem punientem; nam 1. actus praeteriti possunt esse materia legis, quae declarat jus praeexistens, ut patet ex *can. ut lex* 40. *caus.* 27. *q.* 1. et *c. fin. de spons. duor.* Ratio est, quia ejusmodi constitutio non condit jus novum, sed solummodo id, quod antea positum jam est, manifestat.

2. Actus praeteriti possunt esse materia legis irritantis per argumentum a sensu contrario *c. cognoscentes* 2. et *c. fin. h. tit.* Ratio est, quia non est minor vis legis, quam sententiae; atqui per sententiam a judice irritari potest actus praeteritus, ergo et lege. Opus tamen est, ut lex exprimat ejusmodi actum irritare se velle; alias non censebitur irritatus, ut cum aliis advertit Laym. *in c. fin. cit. n.* 4. et ratio est, quia princeps jure quaesito neminem privare censetur, nisi id exprimat.

3. Actus praeteriti non possunt esse materia legis praecipientis, vel punientis; quia haec debet esse possibilis. *can. erit autem* 2. *dist.* 4. ad praeteritum autem, ut pro praeterito tempore factum, aut infectum sit, non datur potentia. *can. si Paulus* 11. *caus.* 32. *q.* 25.

4. Quamvis inhabilitas ob actum praeteritum, nulla anteriori lege prohibitum, contrahi possit, aut privilegium ob eundem denegari, affici tamen poena proprie dicta non potest, ut recte notat Wiest. *hic n.* 43. Ratio est, quia hujusmodi actus transgressionis rationem non habet. Igitur neque poenam meretur, quae transgressionis est ultio.

5. Denique probabilius, nisi aliud exprimatur, actus praeteritus, anteriori aliqua lege prohibitus, recipit solum poenam, quae illa lege est constituta, non vero asperiorem aliam, siquam statuisset lex alia post illius commissionem edita, ex regula generali *L. lege* 7. *C. de legib.* ubi imperatores, *leges*, inquiunt, *et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari, nisi nominatim et de praeterito tempore . . . . cautum sit.*

23

Quaeritur 4. an lege sua princeps auferre subditis jus suum possit? Videtur posse pro libitu. 1. Potestas ista data regi, et a Samuele promulgata est Dei nomine 1. *Reg.* 8. *v.* 11. 2. Princeps est supra leges *L. princeps* 31. *ff. de legib.* igitur dominium, saltem illarum rerum, quas ex legis dispositione privati obtinent, iisdem auferre potest. 3. Idem est dominus mundi *L. deprecatio* 9. *ff. de leg. Rhod. de jactu.* ita, ut quae in mundo sunt, ejus esse omnia intelligantur. *L. bene* 3. *C. de quadr. praescript.* igitur disponere de iis potest pro libitu, eaque suis dominis auferre, et aliis dare, vel sibi retine-

re. 4. Supremus princeps saecularis non minorem habet potestatem in bona temporalia subditorum suorum, quam habeat papa in spiritualia, et his annexa. Atqui papa in his plenissimam dispositionem habet, ergo et princeps saecularis in illis.

Sed dicendum, non posse principem aut lege, aut alia ordinatione auferre subditis jus suum, nisi casu, quo bonum reip. hoc exposcit. Ita Abb. *in c. 7. h. tit. n.* 11. Felin. *ibid. n.* 26. Gail. *l. 2. obs.* 56. *n.* 1. *et seqq.* Ratio est; quia juris naturalis praecepta sunt *alterum non laedere, jus suum cuique tribuere* §. *juris* 3. *inst. et L. justitia* 10. §. *juris ff. de J.* et *J.* atqui juris naturalis praecepti indiscriminatim omnes tenentur: ergo nec princeps absque causa auferre subdito jus suum potest. *Conf.* quia principis potestas est tota a populo §. *sed et quod principi* 6. *inst. de jur. nat. gent. et civil.* atqui populus in singulorum civium bona ita absolutam potestatem non habuit, ut sine causa eos jure suo privare posset: ergo nec princeps.

Neque contrarium evincunt argumenta allata. *Ad* 1. Eo loco, ut cum *s. Th.* 1. 2. *q.* 105. *a.* 1. *ad* 5. exponit communis DD. non proponitur jus regi vere competens, sed potius praenuntiatur usurpatio iniqua juris. *Ad* 2. etsi princeps solutus sit legibus civilibus, non tamen lege naturali, quae subdito jus suum sine causa auferri vetat. *Ad* 3. imperator mundi dominus est, non totius, sed quoad provincias subjectas imperio: et quoad has etiam non plenum rerum singularum dominium, sed eminentiale duntaxat habet, quatenus potestatem de iisdem disponendi tribuit reip. necessitas, vel utilitas. *Ad* 4. Neque pontifex potestatem hanc habet, ut possit res et jura, locis, ac personis ecclesiasticis jam quaesita, sine justa causa auferre pro voluntatis suae arbitrio.

§. IV

De causa formali legis.

SUMMARIUM

24 *Forma legis sunt verba, vel alia signa externa, quibus legislatoris eam condentis voluntas manifestatur communitati.*
25 *Sententia declaratoria a legislatore lata vim legis habet; non tamen ea, quæ præcise est decisiva litis, nisi id exprimat legislator.*
26 *Ad legem requiritur promulgatio.*
27 *Leges imperiales non obligant, nisi post duos menses a promulgatione in provinciis facta.*
28 *Quæ solemnitas publicationis requiratur in lege canonica?*
29 *An etiam necessaria sit acceptatio populi, ut lex civilis, vel canonica obliget?*

24

Forma legis sunt verba, vel alia signa externa, quibus legislatoris eam condentis voluntas manifestatur communitati. Talia sunt verba *praecipio*, *jubeo*, *impero etc.* quae legem affirmativam; *prohibeo*, *inhibeo*, *veto etc.* quae legem prohibentem indicant. Non tamen necessario haec adhibenda sunt; sed sufficiunt etiam alia his equivalentia: imo indifferentia de se, modo ex recepta consuetudine indicent sufficienter animum superioris intendentis obligationem imponere. Quodsi omnibus consideratis, dubium maneat, an verba aliqua praeceptum vel legem importent, an vero tantum consilium, reputanda sunt continere consilium, ut recte Pal. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 9. *num.* 1. notat: et ratio est, quia est res gravis, et subditis onerosa. Haec certa.

25

Quaeritur 1. an ex prolatione sententiae, datae a principe in aliqua causa, statim intelligatur lex constituta ad decidendas causas cum illa similes? Dupliciter potest legislator sententiam ferre in aliqua speciali causa, 1. ut sententia sit declaratoria legis a se, vel praedecessoribus latae. 2. Ut solum sit decisiva litis secundum leges a se, vel jure divino, aut naturali statutas.

Si primum, declaratio talis, etsi non constituat novam legem, facit tamen, ut lex ita declarata imposterum obliget secundum sensum in declaratione expressum; quia lex obligat secundum voluntatem, et intentionem expressam legislatoris, quae voluntas manifestatur ejusmodi declaratione.

Si secundum, major est controversia; nam duplex est sententia. Prima affirmat ejusmodi sententiam legem facere cum Felin. *in rubric. de rescript. num.* 1. Moventur jure, et ratione, 1. *c. in causis* 19. *de sent. et rejudic.* ibi: *cum in similibus causis ceteri teneantur similiter judicare.* 2. *l. fin. C. de legib.* ubi *in princ.* imperator Justinianus, *si imperialis majestas*, inquit, *causam judicialiter examinavit, et sententiam dixit, omnes omnino judices, qui sub imperio sunt, sciant hanc esse legem non solum illi causae, pro qua producta est, sed et omnibus similibus.* 3. Accedit ratio; quia sensus, ac sententia principis est regula, cui inferiores judices conformare se omnes debent, ut dicitur *princ. l. fin. cit.* id autem, cui omnes conformare se debent, vim legis habet; ergo etc.

Secunda cum Covar. quem citant, et sequuntur Suar. *l.* 3. *c.* 15. num. 16. Pal. *tr. D.* 1. *p.* 8. *num.* 1. negat sententiam ejusmodi habere vim legis, idque pariter ex triplici fundamento. 1. ex textu *l.* 2. *c. de legib.* ubi imperatores, *quae ex relationibus*, inquiunt, *vel suggestionibus judicantium procerum introducto negotio statuimus, generalia jura non sunt etc.* 2. quia in decidenda lite alicujus causae particularis princeps non attendit bonum commune, sed speciale aliquorum; ergo ex vi illius decisionis non censentur legem ferre. 3. quia sententiae saepe nituntur jure speciali, et particularibus circumstantiis, quae saepe in earum pronuntiatione non exprimuntur.

Utrique sententiae aliquid tribuendum: cum secunda dicendum ejusmodi sententias regulariter jus non facere; cum prima affirmandum jus facere casu, quo princeps aliquo signo sufficienter declaret, quod sententiam aliquam instar legis habere velit: tale esset, si eam juberet corpori juris communis inseri, aut alia solemni forma publicari.

26

Quaeritur 2. an, et quomodo ad legem requiratur promulgatio? Certum est ex definitione legis, dari non posse legem, quin publicetur, publicatione sufficienti, ut ad notitiam totius communitatis deveniat. *l. leges sacratissimae* 9. *c. de legib. et rub. novell.* 66. Ratio est, quia lex est regula operationum non unius, vel alterius personae, sed omnium, quae in communitate resident. Igitur ita publicari debet, ut in notitiam omnium illorum venire possit.

Dubium est, qualis requiratur publicatio; nam duplici modo publicari potest. 1. In consistorio principis, ubi constituitur. 2. In publico, ubi promulgatur. Videtur primum sufficere; nam *c. Ad haec* 1. *de postulat. praelat.* dicitur legem obligare, si *solemniter editur, aut publice promulgatur*, disjunctive scilicet; at ubi disjunctive duo requiruntur, alterutrum sufficit. 2. Si lex primum constitueretur per promulgationem, sequeretur, quod is, qui scit, per legem latam a principe proxime promulgandam, diminutum esse pretium certis mercibus,

e. g. frumento, possit illud emptori de hoc non certiorato vendere currente, et cons. auctiore pretio. sequela admitti non potest; quia ita fraus fieret emptori. 3. Si requiretur solemnis, et publica promulgatio legis, deberet illa intimari singulis: hoc autem est impossibile; ergo etc.

Sed dicendum sine promulgatione publica legem non obligare. Patet ex *can. in istis* 3. §. *leges dist.* 4. *et l.* 9. *ac rubr. cit.* Ratio est, quia lex est commune quoddam praeceptum, et communis regula vivendi toti communitati praescripta; ergo debet omnibus patefieri, et non singulis, sed toti communitati intimari, quod fit per promulgationem publicam.

Neque obstant argumenta opposita. *Ad* 1. Particula *aut* in textu *cit.* sensum non disjunctivum, sed copulativum habet, ut vult Pal. *p.* 10. *num.* 1. vel cum Suar. *L.* 3. *de leg. c.* 16. *num.* 1. dices, *solemnem editionem, et publicam promulgationem* esse verba aequipollentia. *Ad* 2. eo casu venditor nullam emptori facit injuriam; vendit enim mercem eo pretio, quod illa defacto habet. *Ad* 3. ut singulis lex innotescat, requiritur, ut isti obligentur in actu 2. non vero, ut obligentur in actu 1. lex enim non circa singulos in particulari, sed quatenus unum corpus communitatis constituunt, versatur.

27

Quaeritur 3. ubi promulgari leges civiles debeant, et a quo tempore post promulgationem obligent? Resp. distinguendum esse inter leges, quae feruntur pro una solum provincia, et inter eas, quae feruntur pro pluribus. *Si primum*, sufficit promulgatio facta in praecipua illius civitate, post quam in actu 1. statim obligat ejusmodi lex universam provinciam, nisi aliud exprimatur. *Si secundum*, quales sunt leges latae pro toto imperio, promulgari debent in singulis provinciis subjectis imperio. In utroque facile DD. conveniunt.

Difficultas est, a quo tempore post promulgationem obligent? Videntur etiam ipsae statim obligare; si enim contrarium probaretur, id maxime probaretur ex *novell.* 66. ubi rubrica, *ut factae*, inquit, *novae constitutiones post insinuationes eorum post duos menses valeant*, quae verba generalia sunt: atqui ex istis verbis nihil probatur; nam rubrum ex nigro, seu ipso textu subjecto interpretationem recipit. Textus autem specialis est, et tantum loquitur de constitutionibus testamentariis, ut patet ex ejus verbis ibi: *sancimus igitur, ex illo nostras constitutiones, quae pro testamentis fiunt valere etc.* ergo *conf.* rubrica non disponit tanquam lex, sed est index legis, et demonstrat, ea, quae in textu habentur, ut ex Decio, et Alciato probat Menoch. *l.* 6. *preaf.* 1. ergo etiam si illa generalis sit, non obligabit generaliter, si textus sit specialis.

Verum retinenda est communis sententia, et dicendum, leges imperiales non obligare, nisi post duos menses a promulgatione in provinciis facta. Ita Navar. *l.* 1. *cons.* 1. *de constit. q.* 4. *n.* 19. Suar. *l.* 3. *de legib. c.* 16. *n.* 8. *et seqq.* Pal. *D.* 1. *cit. p.* 11. *n.* 3. *et seqq.* et apud hos communis aliorum, qui omnes deducunt hoc ex *rubrica cit.* nam sensum perfectum habet; quando autem rubrica sensum perfectum habet; vim legis ex communi doctrina obtinet. Neque obstat specialitas textus; quia ut *citt.* DD. notant, iste non est appositus ad limitandum rubricam, sed exempli causa. Ex quo patet ad *rationem dubitandi, et conf.* subjunctam.

Addidi autem *leges imperiales;* quia novella ista, et rubrica illius solum procedunt de legibus factis ab imp. vel aliis, qui legibus imperatoriis subjecti sunt. Lex enim lata ab aliis legislatoribus quamprimum obligat, quando sufficienter promulgata est, et in notitiam communitatis devenit, nisi aliud princeps legislator statuat.

28

Quaeritur 4. quae solemnitas publicationis requiratur in lege canonica? Putant aliqui cum gloss. *in c.* 2. *V. ante prohibitionem h. tit.* in hac servandam eandem solemnitatem, quae in legibus imperialibus, ita ut si pro diversis provinciis, vel dioecesibus lata sit, in qualibet sit publicanda, et post publicationem regulariter non obliget, nisi post duos menses.

Moventur 1. textu *can. si in adjutorium* 7. *dist.* 10. *et c. intelleximus* 1. *de nov. oper. nunt.* ubi casu, quo jus canonicum nihil disponit, praecipitur servandum jus civile; nisi hoc bonis moribus repugnet; atqui in praesenti casu circa solemnitatem publicationis ss. canones nihil determinant, determinat autem jus civile; ergo etc. 2. *c. cum infirmitas* 13. *de poenit. et remiss.* ubi poena in medicos lata statuitur ab his non incurri, nisi postquam legem istam praelati locorum promulgaverint; igitur promulgatio praelati requiritur, ut in sua dioecesi lex habeat vim obligandi. 3. *bulla Pii IV.* quae incipit *sicut ad sacrorum,* et ad calcem trid. impressa habetur, in qua pontifex expresse recipit *novell. cit.* et propterea statuit, ut decreta ejusdem concilii primum obligarent calendis maii a finito concilio. 4. Ratione: quia nimis durum videtur, facta publicatione Romae, decreto pontificio obligari statim quosvis fideles, etiam remotissime dissitos.

Sed adhuc tenendum, sufficere publicationem Romae factam, ut lex pontificia omnes Christi fideles liget, neque opus esse expectare bimestre a facta promulgatione. Ita Sylv. *V. lex q.* 9. Suar. *l.* 4. *de legib. c.* 15. *n.* Pal. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 12. *n.* 2. et apud hos *Abb. Navar. Az. Sal. etc.* Ratio est, quia cum pontifex non arctetur juris civilis legibus, non tenetur in publicatione decretorum suorum servare modum ab his praescriptum; igitur nihil impedit, quo minus obligare

possit statim universam ecclesiam, quando lex aliqua promulgata est Romae: et hoc merito praesumitur, quod ita obligare velit, quando intentionem suam non aliter explicat; solet enim hoc exprimere in bulla sua, quando ob causam legem suam vult non obligare statim, aut promulgari eandem alibi. *Conf.* quia multa decreta juris canonici, non paucae constitutiones pontificiae, regulae cancellariae, et ipsa bulla coenae tantum promulgata sunt Romae, et tamen ecclesiam universam obligant.

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. *can. si in adjutorium etc. intelleximus citt.* locum duntaxat habent, quando decidenda est causa, et canon non extat, ex quo decisio fieri possit; tunc enim pontifex jubet recurrere ad leges civiles: et merito; quia decisio causae fieri ex aequo debet, quod in defectu canonum judici ecclesiastico leges ostendunt. *Ad* 2. *et* 3. ubi exprimitur modus promulgationis, et terminus inductae obligationis: ex hoc tamen ad ceteras leges canonicas non debet fieri extensio: sed potius inferri contrarium, videlicet, leges pontificias obligare statim, nisi aliud exprimatur. *Ad* 4. assertio nostra solum adstruit obligationem in actu 1. qua stante, distantia loci facere potest, ne detur obligatio in actu 2. ignorantia excusante a transgressione legis: quo multum lenitur asperitas assertionis. Extendunt hoc multi etiam ad legem irritantem, dicentes, quando per eam irritatur actus, qui alias jure naturali subsisteret, legem tamen ejusmodi, ex aequitate saltem, vim non habere, donec in dioecesibus, nota sit, vel saltem innotescere moraliter possit.

29

Quaeritur 5. utrum acceptatio populi necessaria sit, ut lex civilis, vel canonica obliget? Affirmativa videtur probari his argumentis. 1. ex *can. in istis* 3. §. *leges dist.* 4. ibi: *leges constituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur*, igitur sine moribus utentium lex firmitatem non habet. 2. *l. de quibus* 32. *ff. de legib.* Julianus juris consultus, *cum ipsae leges*, inquit, *nulla alia ex causa nos teneant, quam quod judicio populi receptae sint etc.* 3. Multae sunt constitutiones pontificiae, quae praecise ideo in certis locis non obligant, quod ibi receptae non fuerint prout exemplum est in trid. quoad decreta reformatoria multo tempore non recepto in Gallia. 4. legum obligationem consuetudo populi potest tollere, ergo etiam illam impedire potest, ne inducatur. 5. supplicando, vel appellando a lege legis obligatio suspendi potest; ergo etiam non acceptando tolli. 6. leges a legislatoribus praesumuntur latae sub tacita conditione acceptationis; nam hic modus est suavior, et aptior populo, ad cujus bonum feruntur.

Sed dicendum, ejusmodi acceptationem ad legis valorem non requiri, nisi quando lex prudentum judicio est difficilis observationis,

vel legislator aliud exprimit, aut privilegio, vel consuetudine est receptum. Ita Suar. *l.* 3. *de legib. c.* 19. *n.* 4. Pal. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 13. *n.* 1. *et seqq.* et apud hos communis DD. Ratio est, quia legislator tam ecclesiasticus, quam civilis potestatem legislativam habet, ille a DEO, iste a populo, uterque tamen absolutam, ne alias elusoria esset, igitur modo constet, quod lege sua absolute obligare subditos velit, obligabuntur isti, etsi a communitate lex nondum sit plene recepta; quod vero absolute obligare sic velint, plerumque saltem, patet ex praxi, qua legum conditores, earum, etiam nondum plene receptarum, observationem urgent, et transgressores puniunt; ergo etc. *Conf.* ista acceptatio populi; secundum adversarios requisita ad legem, vel est observantia ipsius legis, vel est quaedam illius approbatio: nullum ex his ad legem constituendam requiri potest: non primum; quia observantia legem supponit: ergo non secundum; quia alias populus esset conlegislator, utpote cujus juridica approbatio requireretur ad legem.

Neque obstant argumenta opposita. *Ad* 1. leges ex usu, ut moribus subditorum firmantur, seu stabiliuntur in obligatione, quam habent, non tamen ab usu obligationem accipiunt. *Ad* 2. judicium, et usus populi facit, ut leges nos teneant firmiter; impedit enim, ne contraria consuetudine abrôgentur. *Ad* 3. argumentum illud recte probat, quod ejusmodi constitutiones per diuturnam non observantiam sublatae in locis his fuerint: non tamen probat, quod primi transgressores non peccaverint, nisi probabiliter potuerint praesumere, pontificem ignorasse difficultatem, vel consuetudinem in contrarium. *Ad* 4. ut consuetudo legem aliquam abrogare possit, ut infra dicetur *tit.* 4. *n.* 14. necesse est, ut inchoetur animo tollendi legem; ergo eam jam constitutam supponit. *Ad* 5. si fiat appellatio ex justa causa, suspendet obligationem legis; atsi supplicatio tantum, inducta est obligatio, sed quae speratur tollenda a principe: et hinc durante supplicatione nihil faciendum est contra legem. *Ad* 6. regimen simul debet esse suave, et efficax; tale autem non foret, si in arbitrio subditorum positum esset, an vellent obligari legibus sancitis a principe.

§. V.

De effectu legis.

SUMMARIUM

30 *Etiam lex humana obligat in conscientia.*
31 *Eaque omnis, si proprie lex sit.*
32 *Dantur leges mere pœnales.*
33 *Quando obliget lex cum gravi periculo vitæ, aut alterius gravis jacturae?*
34 *Quomodo lex fundata in praesumptione falsa?*

Effectus legis est obligatio ad ejus observantiam : quae duplex est, una ad culpam, sive in conscientia, quae dicitur *vis directiva;* altera ad poenam, quae nuncupatur *vis coactiva.* Utramque certo habent leges divinae, et naturales : dubium solum est de lege humana. Hinc

30

Quaeritur 1. an lex humana ecclesiastica, vel civilis habeat vim obligandi subditos in conscientia? Ratio dubitandi est 1. ex illo Pauli 1. *Tim.* 1. *v.* 9. ubi Apostolus, *justa*, inquit, *lex non est posita;* ergo his saltem, qui justitiam per baptismum adepti sunt, imponi non potest lex in conscientia obligans. 2. *peccatum* ex Aug. *est dictum, factum, vel concupitum contra, vel praeter legem Dei;* ergo qui transgreditur legem hominum, non peccat. 3. poena peccati mortalis est infernus, sed homo non potest talem poenam imponere. 4. homo non potest cognoscere ea, quae in conscientia alterius geruntur; ergo non potest in conscientia illum obligare. 5. lex humana, praecipue civilis, bonum reip. politicum duntaxat respicit; ad hoc autem non videtur necessaria esse obligatio conscientiae, quae est interior, et bonum cujusque proprium attendit; ergo etc.

Sed adhuc dicendum, etiam lege humana, tam civili, quam canonica obligationem induci in conscientia, si ita velit ejusdem conditor. Ita cum s. Thom. 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. TT. et juris consulti. Colligitur ex script. *rom.* 13. *vo.* 1. ubi Apostolus, *omnis anima*, ait, *sublimioribus potestatibus subdita sit*: et quidem ita, ut si *potestati resistat, Dei ordinationi resistat*, sed qui Dei ordinationi resistit, peccat, et *damnationem sibi acquirit*, prout additur *v.* 2. Ratio est, quia haec potestas obligandi in conscientia ad commune bonum reip. est ma-

xime necessaria, quippe qua non posita, subditi solum attenderent observationi legis, quando viderent sibi imponendam esse poenam: quod esset aperire viam hypocrisi, et simulationi.

Ad argumenta opposita facilis est responsio. *Ad* 1. justa lex non est posita, tanquam onus; quia non poena, sed charitate ad observationem illius trahitur. *Ad* 2. etiam transgressio legis humanae est transgressio legis divinae, illius scilicet, quae praecipit legitimi magistratus praeceptum servari. *Ad* 3. Homo potest indirecte obligare sub poena inferni, quatenus mandato hominis conjunctum est praeceptum Dei jubens sub poena inferni obedire homini. *Ad* 4. Etiamsi ea, quae geruntur in conscientia, non agnoscat homo, adhuc tamen obligare in conscientia potest ad actus externos. *Ad* 5. In bonitate morali fundari bonum politicum debet, et propterea ad bonum commune necessaria maxime est obligatio conscientiae.

31

Quaeritur 2. an haec obligatio ad omnem legem sit extendenda? Ratio dubitandi est 1. quia lex est jure gentium introducta, homines bello captos reducere in servitutem, adversus occupantes terras nostras movere bellum etc. 2. plures leges sunt, quae permittunt aliqua mala in rep. ut majora vitentur; aliae permittunt bona, non tamen obligant, ut sunt secundae nuptiae 3. privilegium est lex privata, nec tamen adstringit ad ejus usum; quia renuntiare privilegiatus eidem potest 4. leges poenales sunt vere leges, nec tamen obligant in conscientia; per hoc enim distinguuntur a non poenalibus 5. Constitutiones plurium religionum leges sunt, nec tamen ad culpam obligant 6. consilium inter leges enumeratum *l. legis virtus* 7. *ff. de legib.* nec tamen consilium obligat 7. Lex fundata in praesumptione vere lex est, quin tamen obliget in conscientia, ut est communis DD. sententia 8. obligatio legis a legislatore pendet: ergo potest eandem vel mitigare, vel omnino non imponere.

Sed respondendum est cum recepta TT. et juris consultorum sententia, nullam legem esse posse, quae vim obligandi non habeat, si justa illa sit, et vere lex. Ratio est, quia lex est rationabile praeceptum superioris; atqui non potest intelligi praeceptum impositum subditis, nisi hi obligentur ad parendum praecepto; ergo etc.

Argumenta contraria non multum urgent. *Ad* 1. bella gerere, et captos bello in servitutem redigere etc. lex est, non respectu victoris, sed ceterorum, quos proin obligat, ne eundem in hoc suo jure impediant. *Ad* 2. *et* 3. similiter permissio, et privilegium proprie lex tantum est respectu non habentium privilegium, ne privilegio, vel permissione utentem turbent. *Ad* 4. etsi leges mere poenales non obligent ad actum immediatum, ratione cujus poena imponitur, obligant tamen judicem ad poenam imponendam, vel saltem subditum ad eam

solvendam, si imponatur, quippe cum alias judex non posset efficaciter transgressorem punire. *Ad* 5. Constitutiones ejusmodi religionum sunt medium quid inter legem, et consilium: a consilio habent; quia non ligant: a praecepto; quia procedunt modo imperativo. *Ad* 6. Consilium non est proprie lex, sed similitudinem solum habet cum lege, quia dirigit, et docet, quid fieri deceat. *Ad* 7. si praesumptio vera sit, lex, quae in ea fundatur, vera lex est; si falsa, erit praesumpta lex, et ideo obligabit praesumptive solum, non proprie. *Ad* 8. Licet moderari legislator legis a se positae obligationem possit, non tamen potest eandem tollere, ita ut lex perseveret; quia si perseverat lex, perseverat praeceptum, et cons. obligatio, quae de ratione illius est.

32

Quaeritur 3. an detur lex mere poenalis? videtur respondendum negative; nam poena imponi nequit, nisi pro culpa, cum illa sit *noxae vindicta*, prout dicitur *l. aliud* 131. *in princ. ff. de V. S.* in quem sensum S. Aug. *l.* 1. *retract. c.* 9. *omnis poena*, inquit, *peccati poena est, et supplicium nominatur.*

Sed certa est affirmativa sententia: et ratio est; quia obligatio legislatoris intentioni commensuratur; potest autem iste habere hanc intentionem, ut obligare solum velit ad poenam, non vero ad culpam; ergo etc.

Ad argumentum contrarium dico, id intelligendum esse de poena proprie dicta; nam poena improprie, et latius accepta pro quocunque incommodo, vel damno juste subeundo, culpam vere talem necessario non praesupponit, cum etiam sine hac ex justa causa imponi possit, ut colligitur ex *reg.* 23. *in* 6.

Difficultas est, unde cognosci possit, quod lex aliqua obliget in conscientia ad actum, cui est poena imposita; vel solum ad poenam sustinendam, si imponatur? Resp. id maxime desumendum esse ex ratione poenae, an illa sit spiritualis, an solum temporalis; nam si *spiritualis*, et haec gravius, ut excommunicatio, suspensio, interdictum, ipsoque facto sit incurrenda, dicendum est, legem sub tali poena latam obligare ad culpam, et quidem mortalem; quia ejusmodi poenae inferri non solent ob culpam levem, vel nullam: secus, si sit ferendae sententiae; tunc enim cum regulariter requiratur monitio, non tam punitur transgressio, quam contumacia post monitionem se non emendantis.

Si vero *temporalis* sit poena, consideranda sunt verba legis; nam si lex ejusmodi poenam imponens feratur verbis praeceptivis, nisi aliud legislator expresserit, censebitur obligare ad culpam levem, vel gravem pro ratione materiae. At si utatur verbis indifferentibus, quae praeceptum non sufficienter indicant, probabilius in conscientia obli-

gatio inde non oritur, nisi consuetudine, vel usu indifferentia haec verborum tollatur. Ita aliis *cit.* Pal. *tr.* 3. §. 15. *n.* 8. *et seqq.* Ratio est, quia in primo casu legislator sufficienter indicat voluntatem imponendi praeceptum: non autem in secundo, igitur cum potuerit etiam in hac declarare illam, et eam non declaraverit, merito praesumitur non habuisse intentionem imponendi praeceptum, et cons. obligandi ad actum immediatum; nam haec praesumptio benignior est, et subditis favorabilior. *Ex quo sequitur*, quod poena sola, etiam gravis, si temporalis sit, non sit sufficiens indicium obligationis moralis ad actum, cui poena imponitur.

33

Quaeritur 4. An leges obligent, si observari nequeant, nisi cum gravi periculo vitae, aut alterius valde gravis jacturae? Resp. Hic distinctionem faciendam inter leges esse; nam 1. si lex sit *naturalis*, obligat qualicumque, metu vitae, aut alterius gravis mali non obstante. Ratio est, quia, quae lege naturali prohibita sunt, intrinsece mala, ac proinde semper peccaminosa sunt; quia *licet metus attenuet culpam, tamen non eam prorsus excludit*, ut dicitur *c. sacris* 5. *de his, quae vi, metusve caus.* cons. nullo mortis, aut alterius mali metu licitum fieri potest perjurium, fornicatio, mendacium etc.

2. Si lex sit *divina positiva* aut *humana* quidem, sed *ecclesiastica*, videndum, an actiones ea lege praeceptae sint speciales, et tales, quae singulos respiciunt, an vero communes, h. e. pertinentes ad communem ritum sacramentorum. Si *primum*, lex ejusmodi non obligat cum gravi detrimento vitae, imo neque honoris, aut rei familiaris: cons. non teneris cum gravi horum detrimento jejunare, audire missam, communicare in paschate etc. Si *secundum*, qualis est lex praecipiens observationem sigilli in confessione; consecrationem sub utraque specie, celebrationem in vestibus sacris, mixtionem aquae cum vino etc. ejusmodi lex etiam cum periculo vitae est observanda; quia observatio haec pertinet ad commune bonum religionis, quod praeferendum est cuilibet bono privato temporali.

3. Denique si sit *lex civilis*, distinguendum est, an ex observantia talis legis vel praecepti pendeat bonum commune, et salus reip. vel spiritualis, vel etiam temporalis, an vero non. Si *primum*, metus etiam gravis ab observantia ejusdem non excusat: cons. poterit aliquis tempore pestis obligari ad assistendum infirmis, bello ingruente ad custodiendam civitatem etc. Ratio est, quia eo casu praelationem bonum commune habet. Si *secundum*, legislator ad legis observantiam sub tam gravi periculo obligare non potest; quia resp. non est domina vitae suorum subditorum, sed gubernatrix; et iniqua foret gubernatio, si vitam privatorum periculo exponeret absque necessitate boni publici. Ita Pal. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 16. *a num.* 1.

34

Quaeritur 5. an, et quando obliget lex, quae nititur praesumptione, cui non subest veritas? Resp. Cum distinctione; nam duplex est praesumptio; aliqua, quae fundatur in aliquo facto, seu delicto; et alia, quae fundatur in periculo illius; vel ut alii loquuntur, alia est *praesumptio juris de quolibet casu singulari*, alia *de communiter in illo contingente.*

Si praesumptio sit *de casu, vel facto, aut delicto aliquo singulari*, et praesumptio veritati non conveniat, cessat obligatio legis, quia cessat adaequatus finis ejusdem. Ex quo infert Pal. *l. cit. p.* 14. *n.* 12. eum, qui per falsos testes convictus, a judice coactus est solvere putatitio debitori, uti compensatione occulta posse; quia injuriam passus est, etsi haec in foro externo non praesumatur. *Neque obstat*, quod eo casu sententia judicis sit justa; quia justa est quoad se, et secundum conscientiam suam, non vero quoad rem ipsam: et ideo facit, ut illi quidem parere condemnatus debeat, nisi innocentiam suam probare possit; jus vero condemnato non tollat, quippe quae quodammodo conditionata est, *si allegata et approbata sint vera.*

Contra si praesumptio non in facto, vel delicto particulari, sed in *periculo illius universali* fundata sit, lex seu praeceptum non cessat, etsi praesumptio illa in casu aliquo speciali cesset, ut aliis *citt.* monet Pal. *n.* 13. et ratio est, quia tum fundamentum legis est periculum, quod etsi cesset in aliquo particulari casu, manere tamen potest in aliis, et sic prudentem rationem, ac fundamentum ponere ad sanciendam aliquam legem universalem. Leges ejusmodi sunt, quibus irritantur matrimonia clandestina. Professio religiosa ante legitimam aetatem facta, contractus pupilli sine authoritate tutoris etc. quia ejusmodi contractus judicantur habere periculum fraudis, et ideo irritantur, etsi illud in casu aliquo particulari cesset, semper enim verum est dicere, ejusmodi contractum sic factum periculosum esse.

§. VI.

De subjecto legis.

SUMMARIUM

35 *Legibus adstringuntur soli subditi ratione utentes.*
36 *Princeps directe legibus suis non obligatur.*
37 *Nec clerici civilibus.*
38 *Aut religiosi exempti episcopalibus, nisi in casibus, in quibus eosdem ordinario jus subjicit.*
39 *Pueri, quamprimum adepti sunt rationis usum, obstringuntur legibus, etiam ecclesiasticis, si materia illorum ætati conveniat.*
40 *Ignorantia legis inculpabilis semper excusat a culpa; non tamen ignorantia pœnæ semper a poena.*
41 *Peregrinus non tenetur legibus patriæ suæ, ex qua discessit.*
42 *Nec directe obstringitur legibus loci, quia transit.*
43 *Quod etiam probabilius dicendum de vagis.*

35

Explorati juris est regula, legibus obstringi posse solos subditos ratione utentes, ita ut earum transgressione peccent; nam vis obligandi est actus jurisdictionis, qui in solos subditos potest cedere, et quidem in ratione utentes tantum, cum praeceptum, utpote directivum rationis, usum rationis supponat. Atque hinc *sequitur* 1. infideles, nondum baptizatos, nullis legibus ecclesiasticis teneri; quia sunt extra ecclesiam, et in illos ecclesia jurisdictionem non habet *c. gaudemus* 8. *de divortiis*, quo fit, ut solum teneantur legibus naturalibus, et divinis.

Sequitur 2. idem dicendum de catechumenis; licet enim per fidem, et baptismi votum facti sint membra Christi, ecclesiae tamen judicio, et legibus ante baptismum actualiter susceptum non subduntur, *cum in neminem illa judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam sit ingressus*, ut loquitur trid. *sess.* 14. *c.* 2. *de poenit. sacram.*

Sequitur 3. iisdem ecclesiasticis legibus non obligari pueros ante usum rationis, qui communiter habetur completo septennio; quia fundamentum harum obligationum est usus rationis. Dixi *ecclesiasticis*: nam legibus naturalibus de se, et in actu 1. videntur teneri, ut notat Pal. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 2. *num.* 3. quia harum obligatio fundatur in ipsa natura, quae de se capax est rationis: excusantur tamen a transgressione, et peccato, donec perfectum usum rationis obtineant.

Sequitur 4. similiter ebrios, mente captos, et ignorantes invincibiliter legem, affici quidem legibus, cum suapte natura intelligere illas possint, tempore tamen amentiae, ebrietatis, ignorantiae excusari a transgressione illarum; quia hujus rei esse non poterant sine libertate, qua carent.

Sequitur contra 5. legibus non tantum naturalibus, et divinis, sed etiam ecclesiasticis per se subjectos manere haereticos, et apostatas a fide; licet enim, ut putrida membra, per excommunicationem ab ecclesiae corpore abscissi sint, ob indelebilem tamen baptismi characterem eidem subjecti manent. Haec certa.

36

Quaeritur 1. an etiam legislator legibus suis obligetur? Resp. cum distinctione: vel enim legislator est communitas aliqua, e. g. capitulum generale, vel unus tantum, e. g. princeps. Si *primum*, certum est, singula communitatis illius membra obligari legibus a se latis, prout colligitur ex *c. cum omnes* 6. *h. tit.* et ratio est, quia eatenus non sunt magistratus, sed subditi.

Si *secundum*, major est difficultas: quam facit 1. *can. justum est* 2. *dist.* 9. ubi expresse asseritur, *principem legibus teneri suis.* 2. *can. non liceat* 20. *caus.* 12. *q.* 2. ubi Symmachus papa statuit, ut *non liceat* etiam *papae praedium ecclesiae alienare* sine solemnitate canonica, quamvis haec solum jure ecclesiastico sit introducta. 3. *c. cum omnes cit.* ubi per modum principii dicitur, *quod quisque juris in alium statuit, etiam ipsum debere eodem uti*, et in confirmationem allegatur dictum Catonis; *patere legem, quam tu ipse tuleris.* 4. *L. digna* 4. *c. de legib.* ubi imperatores, *digna*, inquiunt, *vox est majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri.* 5. Ratio: quia indecens est legislatorem non se conformare suis subditis, et aliud praedicare verbo, aliud docere exemplo: poterit enim ipsi objici, quod objiciebatur pharisaeis, quod nempe *alligent aliis onera gravia, et importabilia, cum tamen ipsi nolint digito suo ea movere.*

Verum his non obstantibus, probabilius legislator legibus suis, quatenus suae sunt, sive obligatione immediate ex ipsis orta, non obligatur. Ita expresse *l. princeps* 31. *ff. de legib.* ibi: *princeps legibus solutus est; et §. fin. quib. inst. mod. testam. infirm.* ubi in fine Severus et Antoninus impp. *licet legibus*, ajunt, *soluti simus, attamen legibus vivimus.* i. e. etsi nos leges non adstringant, attamen ob bonum exemplum legibus conformamur. Rationem dat *l. si de re* 51. *ff. de recept. qui arbitr.* quia *neque imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest.* Proceditque hoc, ut legibus suis princeps solutus sit, non tantum quoad vim coercitivam, et ratione poenae per eas statutae, sed etiam quoad vim directivam, et ratione culpae; nam etiam vis directiva legum ex jurisdictione oritur, quam exercere quis in se

ipsum non potest, cum nemo possit respectu sui simul esse superior, et inferior. *Conf.* quia talis obligatio esset omnino inutilis; cum enim obligatio legis ab hujus conditore pendeat, iste legem toties posset tollere, quoties eam nollet observare.

Addidi autem *legibus, quatenus suae sunt;* nam ex aequitate, et ratione naturali etiam ipse obligatur legibus suis se conformare, quando illae respiciunt materiam communem, et accommodatam tam legislatori, quam subditis, uti sunt quae statuunt certam taxam mercibus, certas solemnitates contractibus etc. Sed hoc non vi legis, sed vi juris naturalis, quo cavetur, ne pluris vendatur res, quam illa valet communiter; at posita taxatione, jam res illa communiter non valet plus, quam sit taxata; ergo etc. Idem dicendum, si ex transgressione oriretur scandalum.

Sic limitata responsione, facilis est solutio ad argumenta opposita. *Ad* 1. textus ille intelligendus est secundum limitationem modo factam. *Ad* 2. in canone illo, ut Barbos. *ibid. n.* 5. *et* 8. notat *papae* nomine, non summus pontifex, sed episcopi, aliique praelati inferiores veniunt: vel si velis intelligendum de summo pont. dices, id locum habere de alienatione rerum ecclesiae sine justa causa; sine hac enim nec pontifex alienare potest, non tamen vi juris ecclesiastici, sed naturalis, cui etiam pontifex subjacet. *Ad* 3. *et* 4. illi textus plus non probant, quam quod admodum deceat, et in aliquibus casibus etiam ex aequitate naturali teneatur legislator se conformare subditis suis in observantia legum: quae ipsa responsio etiam est *ad* 5. *tum.*

37

Quaeritur 2. qua ratione legibus civilibus obligentur clerici, et religiosi? *Certum est,* non obligari legibus, quae ss. canonibus, aut statui ipsorum, et libertati ecclesiasticae adversantur, ut fere omnes alicujus nominis DD. orthodoxi docent, et expresse traditur *c. quae in ecclesiarum* 7. *c. ecclesia* 10. *h. tit.* et aliis multis textibus.

Dubium duntaxat est de legibus, quarum materia personis ecclesiasticis, et saecularibus communis est, et privilegiis eorundem non repugnat, ut sunt leges, quae signant pretia mercibus, imponunt formam contractibus, prohibent frumentum exportari extra provinciam etc. In qua controversia, etsi facile omnes contra Navarr. *Cons.* 3. *h. tit: concl.* 3. *n.* 4. consentiant, has leges etiam ab ipsis observandas, dissensio tamen inter DD. est, unde obligatio haec oriatur. Nam aliqui putant eam oriri ex vi ipsarum legum civilium, quae licet vim coercitivam in clericos nullam habeant, obtineant tamen in ejusmodi materia erga illos vim directivam. Ita Sal. *D.* 14. *de legib. f.* 8. *a n.* 94. quem citat, et sequitur Pal. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 6. *n.* 6. Ratio praecipua illius est, quia clerici cives sunt, et pars praecipua civilis reip. ergo publico reip. gubernatori esse subjecti debent: hic

autem, ut ponitur, est princeps, vel magistratus saecularis, ergo huic subjecti sunt in temporalibus, si subjecti, etiam tenebuntur legibus ab eo latis, modo statui illorum non adversentur; ergo etc. *Conf.* si clerici exempti essent a gubernatione politica reip. exempti essent vel jure divino, vel humano ecclesiastico: non *divino;* nam de hoc potius constat contrarium ex illo *rom.* 13. *v.* 1. ubi Apostolus, *omnis anima*, inquit *potestatibus sublimioribus subdita est;* quae verba expendens Chris. *hom.* 23. *ad Roman.* etiam ad clericos extendit; ait enim: *etiamsi Apostolus sis, evangelista, propheta, sive quisquis tandem fueris; nec enim pietatem subvertit ista subjectio etc.* Non etiam jure *ecclesiastico;* quia hoc jure potius constat hujusmodi leges saepe clericis observandas praecipi; non ergo eximuntur ab observatione illarum.

Verum his non obstantibus, dicendum, probabilius clericos, et religiosos neque quoad vim directivam legibus civilibus subjectos esse, obligari tamen his legibus, si bonum commune reip. spectent, ex aequitate, et ratione naturali, et saepe etiam ex praecepto superioris sui ecclesiastici, ita ut contra eas agendo etiam ipsi peccent, graviter, vel leviter, prout hoc exigit bonum commune, propter quod se conformare debent in legum istarum observantia ceteris civibus. Ita Decius *c.* 10. *h. tit. n.* 7. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 12. *q.* 3. *et p.* 2. *l.* 10. *c.* 7. *q.* 8. *et* 9. Suar. *l.* 3. *de legib. c.* 34. *n.* 13. 12. Salzedo *pract. canon. c.* 55. *vers. non tamen intelligas etc.* Ratio est, quia potestati civili nulla est attributa potestas imperandi personis ecclesiasticis, ut expresse dicitur *c. ecclesia cit.* et aliis multis textibus, sed sine potestate imperandi obligatio obediendi esse non potest, ergo etc. *Conf.* judices laici nullam habent potestatem puniendi clericos transgredientes leges suas, ut fatentur ipsimet adversarii, sed potestas coercitiva semper est directivae conjuncta, ne sit inutilis, ut colligitur ex *l. fin. ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisdict. etc.* ergo signum est clericos nec quoad vim directivam subjici legibus laicorum. Unde cum observare nihilominus eas debeant, quando illae bonum commune spectant, necesse est, ut ad hoc obligentur ex aequitate naturali, fere sicut ex eadem in simili materia obligatur legislator; et aliquando etiam ex praecepto ecclesiastico, quo superior ecclesiasticus, naturali hac aequitate motus, ejusmodi leges a clericis sibi subjectis observari voluit.

Ex quo cadit *argumentum sententiae oppositae;* dicendum enim clericos esse quidem cives, ut ceteri, exemptos tamen, sicut in multis aliis, ita etiam ab obligatione legum civilium. *Ad conf.* exemptionem istam clerici habent, si non jure divino, ut multi volunt, saltem jure humano, eoque tam ecclesiastico, ut patet ex *citt. textibus;* quam imperiali, prout colligitur ex *L. privilegia* 12. et annexa *auth. cassa C. de ss. eccl.* ubi *cassa, et irrita* declarantur *omnia statuta*

contra libertatem ecclesiae, ejusque personas inducta; est autem pars libertatis legibus civilibus non adstringi; ergo etc.

38

Quaeritur 3. qua ratione legibus episcopalibus ligentur religiosi? Resp. cum distinctione: vel enim exempti sunt, vel non exempti. *Si non sint exempti* a jurisdictione episcopi, legibus ejusdem etiam ipsi stringuntur; nam leges ferre, et his subjectos jurisdictioni suae obstringere primus actus jurisdictionis est. Si vero sermo sit de religiosis *exemptis*, dicendum extra casus, quibus et ipsi ordinariorum jurisdictioni subsunt, quorum centum omnino, et sexdecim enumerat Chokier *de jurisd. ordin. in exempt. p.* 2. *q.* 45. *per totam*, ejusmodi regulares constitutionibus dioecesanis per se et directe non obligari, ut recte Konig. *hic n.* 16. Ratio est, quia eo ipso, quod a jurisdictione episcoporum exempti sint, etiam exempti erunt ab obligatione ad leges episcopales, quippe quae praecipuus jurisdictionis episcopalis effectus est.

Addidi *per se et directe;* nam utrum indirecte, et ex aequitate naturali ad earum observantiam teneantur, non satis conveniunt DD. Affirmat Konig. *l. cit.* ex ratione, quia pars debet se conformare toti; sunt autem et ipsi pars clerici; ergo etc. Negat Pal. *tr. D.* 1. *p.* 24. §. 6. *n.* 11. pro se allegans *c. volentes* 1. *de privil. in* 6. et trid. *sess.* 25. *c.* 12. *de regular.* ubi solum eis praecipitur obedire in festorum observatione, in interdicto, et cessatione a divinis; ergo in aliis sunt exempti.

Tenenda videtur via media, et dicendum cum Suar. *l.* 4. *de legib. c.* 20. *n.* 10. eos teneri se conformare clero quoad constitutionum ejusmodi observantiam, casu, quo istud exigit ratio scandali, vel boni publici; his causis seclusis, non delinquere, si se non conforment.

Neque plus probat ratio pro affirmante sententia; quia ejusmodi regulares sufficientem excusationem habent, ne clero reliquo in his conformare se debeant, quippe qui alias obligationes habent, ratione status religiosi, quas clerus saecularis non habet, ut adeo non cogendi sint alia subire onera, et ejusmodi legibus parere, nisi adsit scandalum, vel publicum bonum exigat.

39

Quaeritur 4. quibus legibus subjiciantur doli capaces? Resp. Quamprimum usum rationis adepti sunt (quod ordinarie fit post completum septennium) legibus non solum naturalibus, et divinis sed etiam ecclesiasticis obstringuntur, si materia istarum aetati illorum conveniat; ita Layman. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 10. *n.* 4. et alii desumentes id argumento *c. omnis* 12. *de poenit. et remiss.* Ratio est, quia sicut usus rationis illos facit capaces culpae, ita et facit capaces debiti, et obligationis per legem, cum hoc necessario supponatur ad culpam.

Addidi *si materia aetati illorum conveniat;* nam pluribus legibus ecclesiasticis, etiam completo septennio, non adstringuntur. Talis est 1. lex praecipiens communionem annuam: ad hanc ex probabili, eaque communi sententia uno, altero, vel etiam tertio anno post completum septennium non obligantur, quod, etsi septennes pueri usum rationis habeant, non tamen eo ipso semper apti sint satis ad tantum mysterium cum debita reverentia suscipiendum.

2. Lex imperans jejunium; nam etsi diebus esurialibus teneantur abstinere a carnibus, non tamen a secunda refectione, nisi annum vigesimum primum aetatis impleverint, teste s. Thom. 2. 2. *q.* 147. *a.* 4.

3. Lex ferens censuras, et alias poenas ecclesiasticas, etiam ipso jure incurrendas, ut probabiliter docet Pal. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 2. *n.* 9. excipiens solam excommunicationem ipso jure latam ob percussionem clerici ob clarum textum *c. super eo* 1. *et c. fin. de sent. excomm.* ad ceteras juxta eundem ante pubertatem adeptam non tenebuntur.

40

Quaeritur 5. an, et qualiter a transgressione legis, excusetur ignorans legem? *Certum est* 1. quod ignorans invincibiliter excusetur non tantum a culpa, sed etiam a poena: a culpa quidem; quia talis ignorantia tollit voluntarium: a poena autem; quia sine culpa nemo est puniendus. *Reg.* 23. *in* 6.

Certum est 2. si ignorantia sit vincibilis, quod ea transgressorem legis nec a culpa, nec a poena excuset: non a culpa; quia talis ignorantia est culpabilis: non a poena; quia reatus poenae consequitur culpam.

Certum est 3. si actus aliquis simul prohibitus sit lege humana, et transgrediens ejusmodi legem, sciat illum actum prohibitum esse lege divina, nesciat prohibitum esse lege humana, idque invincibiliter, eum non excusari a culpa, nec a poena, ejusmodi transgressioni taxata a Deo.

Certum est 4. Si lex aliqua irritet actum, ignorantiam etiam invincibilem non excusare, nisi forte irritatio facta sit praecise in odium, et poenam agentium. Patet in matrimonio clandestino: et ratio est, quia ignorantia non supplet defectum alicujus requisiti substantialis.

Dubium duntaxat est, an casu, quo aliquis scientiam quidem habet legis prohibentis actum, ignorat illi actui esse constitutam poenam, sic ignorans excusetur a poena? Resp. Distinguendo, an poena illa sit censura ecclesiastica, an irregularitas, vel alia ab his distincta poena.

Si primum, a sic ignorante probabilius non incurritur; nam istiusmodi poenae imponuntur, tantum propter contumaciam, et contemptum

potestatis clavium, qui deficit, deficiente legis notitia; unde textus juris, qui videntur esse contrarii, explicandi sunt tantum de ignorantia juris clari, et crassa.

Si secundum, non desunt AA. qui neque has incurri a sic ignorante velint; sed communis tamen doctrina cum Covar. *in c. alma p.* 1. §. 10. *n.* 7. affirmat, et persuadet hoc etiam ratio, quia istae nec medicinales, nec pure poenae sunt, sed insuper inhabilitates quaedam, ex juris dispositione removentes ab altaris ministerio eum, qui ejusmodi delicto se contaminavit.

Si tertium, videndum, an ad eam poenam incurrendam legislator requirat solam scientiam legis prohibentis actum, an vero insuper dolum, temeritatem, et contemptum ejusdem legis. Si solam scientiam legis, contra legem scienter delinquens se facit obnoxium poenae proportionatae transgressioni: si dolum, temeritatem etc. legis conditor videtur nolle incurri poenam tali lege constitutam, nisi violatio legis conjuncta sit cum ejusmodi circumstantia aggravante.

41

Quaeritur 6. an peregrinus teneatur legibus suae patriae, quando alibi est, ubi illae non vigent? Resp. Negative. Patet ex *c. fin. h. tit. in* 6. ubi ratio additur; quod *extra territorium jus dicenti non pareatur impune*. Ex quo sequitur, si ejusmodi peregrinus accederet ad locum, ubi jejunium non servatur, eum posse moribus illius se conformare.

Controversia est, an privilegio hoc uti possit etiam ille, qui de loco, ubi obligatur lege e. g. jejunii, se transfert ad locum, ubi non datur haec obligatio, praecise animo se eximendi ab hac obligatione? Negant *Ledesm. Man. Rebell. Sal. Sayr.* apud Pal. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 5. *n.* 3. Moventur 1. quia, ut *c. sedes* 15. *et c. seq. de rescript.* habetur, *fraus et dolus* nemini *patrocinari debent*; atqui hic dolum, et fraudem committit; ergo etc. 2. *l. si cui* 1. §. *iidem* 11. *ff. de aqua, et aquae pluviae etc.* prohibetur fodiens agrum proprium, si id fecerit animo nocendi alteri, scilicet avertendi fontem vicini; at si fecit animo meliorem suum agrum reddendi, ei permittitur, dum opus in alieno non fiat; atqui etiam in nostro casu sic egrediens fugit a loco animo nocendi legislatori; ergo etc. 3. praeceptum non ludendi aleis a superiore factum subditis, obligat istos etiam extra territorium legislatoris; ergo etiam lex jejunii.

Sed adhuc dicendum, probabilius eo casu discedentem uti privilegio suo posse. Ita Pal. *tr.* 2. *D.* 1. *p.* 24. §. 5. *n.* 4. et teste P. Vviest. *hic n.* 110. communis sententia. Ratio est, quia is, qui utitur jure sibi concesso, non potest dici fraudem committere *l. quod et lex* 3. §. *is tamen* 2. *ff. de homin. liber. exhibend.* et *l. nullus* 55. *ff. de R. J.* talis autem, qui sic egreditur, utitur jure suo; nam prae-

ceptum non obligat, ut subditi in loco persistant, sed solum ut servetur, quamdiu ibi perstiterint.

Excipitur specialiter casus, quando quis e loco, ubi tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, egreditur in locum, ubi promulgatum non est, animo praecise ibi contrahendi clam, ob declarationem cardd. roboratam speciali brevi apostolico ab Urbano VIII. ad archiepiscopum coloniensem anno 1627. quo ejusmodi matrimonium habetur pro illegitimo, prout dicetur *l.* 4. *decret. tit.* 3. *num.* 11.

Ex his patet ad argumenta. *Ad* 1. constat, nullam committi fraudem, cum jure suo utatur discedens. *Ad* 2. legislator non habet potestatem obligandi, ni existentes in suo territorio; igitur qui egreditur territorio legislatoris, et ibi non servat legem, injuriam legislatori non infert, sed solum facit, ne ipsum deprehendat obligatio legis. *Ad* 3. praeceptum ejusmodi personale est; et personae adhaeret ossibus, quam proin sequitur, quocumque terrarum venerit: at statutum ejusmodi, vel lex, de qua nos loquimur, est locale, et directive afficit territorium.

42

Quaeritur 7. an peregrini, et forenses teneantur legibus loci, qua transeunt? *Certum est* 1. ejusmodi forensem his obligari, si eo accesserit animo figendi ibidem domicilium, vel saltem per majorem, aut notabilem anni partem habitandi; nam domicilium, vel quasi domicilium facit subditum talis loci.

Certum satis est 2. ejusmodi peregrinum, etsi ad talem locum transierit animo ibi subsistendi tantum ad unum, vel alterum diem, ut solent mercatores, proficiscentes ad nundinas, obligari legibus communibus, si hae abrogatae sint in ejus patria, vigeant autem in loco, qua transit; quia consuetudo oppidi, quae excusabat commorantem in patria, est privilegium locale, quod territorium non excedit.

Certum est 3. sic transeuntem obligari legibus etiam particularibus loci, si illae specialiter latae sint in bonum illius loci ob necessitatem reip. uti sunt, quae prohibent, ne certae merces ex oppido extrahantur, ne peregrini ultra tot dies commorentur, ne certum genus armorum feratur etc. quia aliter populus defendi non potest, nisi omnes, qui ibi existunt, leges istas observent.

Controversia est, an extra hos casus obstringatur legibus particularibus loci, qua transit? Affirmant Covar. *l.* 4. *var. c.* 20. *n.* 8. Suar. *l.* 3. *de leg. c.* 33. *n.* 3. Pal. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 3. *n.* 11. et apud hunc multi alii. Fundantur 1. trito illo *si fueris Romae, romano vivito more* 2. textu *can. illa* 11. *vers. at ille dist.* 12. ubi Augustinus ad Januarium scribens, ait: *ad quam forte ecclesiam veneris, ejus morem serva* 3. *c. fin. de feriis, etc. consilium* 2. *de observat. jejun.* ubi dicitur in festivitatibus, et abstinentiis servandam

esse consuetudinem regionis, non distinguendo inter viatores, et incolas 4. Ejusmodi viatores, et peregrini, ut dictum est *num. praec.* eximuntur legibus particularibus suae patriae; ergo aequum est, ut vivant legibus loci, in quo existunt *arg. reg. qui sentit* 55. *in* 6. 5. leges, quae prohibent frumentum, arma, merces alias exportari, obligant etiam viatores; quia sunt de re, pertinente ad bonum illius loci, ut paulo antea dictum est; atqui pax, tranquillitas, et bonum exemplum non minus bonum reip. sunt, quam abudantia frumenti, armorum, et aliarum mercium; ergo cum pax, et tranquillitas maxime custodiatur, si omnes, qui existunt in aliquo loco, se conforment legibus illius loci, quamdiu ibi existunt, etiam peregrinis hae observandae sunt 6. Ejusmodi peregrinus puniri potest ob delictum commissum in tali loco, ergo etiam obstringi ejusdem legibus. Haec sententia admodum probabilis est.

Dicendum tamen, probabilius hujusmodi peregrinos per se loquendo legibus particularibus loci non obligari: et hinc si in tali loco servetur jejunium, secluso scandalo, peregrinus poterit ibi vesci carnibus; et si ibi celebretur festum, potest missam omittere etc. in gloss. *in can.* 11. *cit. V. veneris.* Sylvest. *V. jejunium. num.* 7. Sanchez. *l.* 1. *moral. c.* 12. *num.* 38. Laymann. *l.* 1. *theol. moral. tr.* 6. *c.* 12. *n.* 4. et apud Pal. *l. cit.* plures alii. Ratio est, quia lex per se non obligat, nisi subditos, et membra communitatis, cui fertur; atqui praedicti peregrini moraliter non censentur subditi, vel membra communitatis, per cujus territorium duntaxat transeunt, cum brevis mora habeatur pro nulla *arg.* 1. *nam et ego* 3. *de V. S.* Hinc etiam forum non sortiuntur, nisi ratione rei sitae, vel celebrati contractus, aut commissi delicti; ergo etc.

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. axioma illud intelligendum est de iis, qui ad locum aliquem sese conferunt animo ibidem diutius commorandi; vel de casu, quo observationem legis exigit ratio scandali, aut boni publici. *Ad* 2. eadem est responsio, prout patet ex verbis immediate consequentibus; addit enim S. P. *Si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Ad* 3. id intelligendum de subditis: neque obstat, quod hoc in textibus *citt.* non exprimatur; nam ratio id satis ostendit. *Ad* 4. *neg. cons.* et hoc ob defectum jurisdictionis requisitae ad peregrinos hujusmodi obligandos: non ideo tamen exleges erunt, quia adhuc obligantur legibus communibus. *Ad* 5. nam quacunque non observatione legum territorialium turbatur pax, et tranquillitas reip. vel si turbatur, obligatio erit eas servandi, non vi authoritatis, quam in talem peregrinum legislator ille non habet; sed vi legis naturalis, quae prohibet scandala, et nocumenta. *Ad* 6. Negatur paritas; nam delinquens in loco, qua tran-

sit, sortitur forum ratione delicti, exigente hoc bono publico, ne delicta maneant impunita.

43

Quaeritur 8. qua ratione legibus teneantur vagi, seu qui nuspiam domicilium habent? Sanch. *l.* 1. *moral. c.* 12. *n.* 23. cum non paucis aliis existimat, eos teneri legibus particularibus loci, ubi existunt. Eandem defendit Pal. *tr.* 3. *d.* 1. *punct.* 24. §. 4. *n.* 3. ubi ait, esse sententiam omnium aliorum, etiam eorum, qui affirmant peregrinos, et forenses eximi a legibus municipalibus, et episcopalibus. Rationem dat, quia in vagis est specialis ratio; cum enim nullibi habeant domicilium, debent illud sortiri ex praesentanea habitatione; alias omnibus legibus particularibus essent exempti, quod recta a eorum gubernatione dissidet.

Haec sententia, etsi sit multum probabilis, insistendo tamen principiis jactis de peregrino, cum Less. *l.* 4. *de J. et J. c.* 2. *n.* 49. Sayr. *Clav. reg. l.* 3. *c.* 4. *n.* 8. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 12. *n.* 7. Vviest. *hic n.* 114. idem dicendum puto de vagis, quod supra dictum est de peregrinis, videlicet illos nullis adstringi legibus illius oppidi, per quod transeunt. Ratio est, quia ejusmodi vagi non sunt vere subditi, cum subditus nemo fiat, nisi ratione originis, domicilii, vel quasi contractus, et delicti; atqui ejusmodi vagi in loco, qua transeunt, non habent domicilium, vel quasi; igitur quoad leges, quae contractus non concernunt, vel delictis poenam imponunt, non erunt subditi: si vero subditi non sunt, neque etiam tenebuntur obtemperare legibus illius loci; ergo etc.

Ad argumentum sententiae oppositae sufficit, quod observare debeant leges communes, et ex legibus municipalibus illas, quarum transgressio affert scandalum, vel obest bono publico loci, ejusque gubernationem, et pacem perturbat.

Litigant hic multi, a quo judice puniri debeat vagus, qui delicto alicubi commisso, fugit in locum alium: alii volunt puniri posse in loco, in quo capitur; alii contendunt remittendum ad judicem delicti commissi; alii distinguunt, et cum prima asserunt puniri posse in loco capturae, si hic cum loco delicti sub eodem sit principe; si vero sub diversis, remittendum ad locum delicti. Verum de hoc ex instituto agitur *l.* 2. *tit.* 2. *de for. compet.* Saltem patet, quod etiam in nostra sententia ejusmodi vagi impunitatem non consequantur, quippe cum ratione delicti judex loci, in quo commissum est, sortitus sit jurisdictionem in delinquentem; proinde petere eundem poterit, quocunque fugerit, a judice loci, quo fugit.

§. VII.

De interpretatione legis.

SUMMARIUM

44 *Interpretatio legis alia est authentica, alia usualis, alia doctrinalis, et hæc vel declarativa, vel extensiva, vel restrictiva.*

45 *Authentice interpretari legem potest legislator, hujus successor, vel superior, et qui ab his facultatem habet.*

46 *Doctrinaliter interpretari legem per se cuilibet permissum est.*

47 *Afferuntur regulae in interpretatione doctrinali servandae.*

48 *Per se loquendo ob similitudinem, vel identitatem rationis lex extendi de casu ad casum lege non comprehensum nequit.*

49 *Quando locus sit interpretationi restrictivæ legum per epiikiam?*

Legis anima, et mensura obligationis ex ea ortae, est intentio legislatoris, *can. humanae* 11. *caus.* 22. *q.* 5. Hinc legis interpretatio semper secundum mentem legislatoris fieri debet, ita quidem, ut sicut *can. cit.* dicitur, *non debeat aliquis verba considerare, sed voluntatem.*

44

Quaeritur 1. Quid, et quotuplex sit interpretatio legis? *Resp. Interpretatio legis* nihil aliud est, quam declaratio, qua declaratur, legem ad hunc, vel illum casum esse extensam, vel non extensam. Haec juxta gloss. *l.* 37. *ff. de legib.* triplex est, authentica, usualis, et doctrinalis. *Authentica* est, quae fit per aliam legem, latam ad declarandam priorem: et hinc eandem authoritatem habet, quam lex ipsa. *Usualis*, quae per usum et consuetudinem est introducta: hinc consuetudo *l.* 37. *ff. de legib. optima legum interpres* dicitur, et quia si legitima sit, vim legis habet, in effectu pro lege habenda est. *Doctrinalis* denique, quae fit arte, et peritia interpretum, et DD.

Haec iterum triplex est, videlicet. 1. *Declarativa*, quae est congrua obscurorum, aequivocorum, aut dubiorum verborum expositio. 2. *Extensiva*, eaque vel *pure*, cum ob paritatem, vel similitudinem rationis dispositio legis extenditur ad personam, vel casum, neque verbis, neque mente legislatoris comprehensum: vel *comprehensiva tantum*, quando lex per interpretationem extenditur ad personam, vel casum verbis quidem non expressum; mente tamen legislatoris com-

prehensum ob adaequatam rationis identitatem 3. denique *restrictiva*, cum interpretamur, aliquem casum particularem propter suas circumstantias sub lege universaliter lata non contineri: unde *epiikia* dicitur, i. e. benigna interpretatio, seu restrictio legis secundum aequum, et bonum.

Nulla ex his tribus doctrinalis interpretationis speciebus inducit obligationem legis, habet tamen probabilitatem, cum in quavis facultate standum sit judicio peritorum: imo si DD. communiter omnes conveniant in explicatione legis, credendum illis omnino est, cum saltem tanta consensio, quomodo lex communiter sit acceptata, declaret, ut recte advertit Suar. *l.* 6. *de legib. c.* 1. *n.* 6. et ex hoc Konig. *hic n.* 27.

45

Quaeritur 2. qui possint legem interpretari *authentice*? Resp. Regulariter solus legislator, aut hujus successor, vel superior *c. inter alia* 31. *de sent. excomm.* et *l. fin. C. de legib.* Ut tamen hujusmodi declaratio vim legis obtineat, necesse est, ut legitime, et publice de ea constet; alias interpretatio doctrinalis solummodo erit, quamvis majoris authoritatis, quam alterius viri docti. Pal. *tr.* 3. *d.* 5. *p.* 3. §. 1. *n.* 2.

Addidi *regulariter;* potest enim legislator potestatem interpretandi legem suam committere etiam inferiori per §. *responsa* 8. *inst. de J. N. G. et C.*

Talem 1. a Deo habet summus pontifex ad interpretandum jus divinum, ut communis docet cum S. Thoma.

2. A pontifice congregatio cardd. trid. interpp. in dubiis de reformatione morum, et aliis humanis statutis, prout insinuavi supra *n.* 12. et constat ex *bulla Sixti V.* quae incipit *immensa*, *edita* 1588. Estque declaratio haec non doctrinalis solum, ut quidam volunt, sed authentica, ut proinde vim legis habeat, modo de ea constet authentice, videlicet aut per breve pontificis, aut per monitorium auditoris camerae, aut per epistolam alicujus cardinalis suo sigillo munitam, aut per transumptum ex registro congregationis parte citata, ut notat Pal. *l. cit. n.* 6. Ratio est, quia si solummodo doctrinales essent, non eguissent speciali indulto, cum secundum dicenda *n. seq.* omnes viri docti declarare sic possint. *Neque obstat*, quod declarationes istae subinde sibi pugnent; nam ut lex prior per posteriorem, ita et declaratio prior per posteriorem declarationem abrogatur, et tollitur.

3. Licet judices inferiores nullo modo regulariter declarare legem a principe latam possint, ita ut declaratio illorum obliget tanquam lex, possúnt tamen illud in rebus facilibus, et minutioribus; quia credendum est, in his praelatis inferioribus fuisse a pontifice commissam hanc facultatem, ut advertit Pal. *n.* 7. et rationem dat; quia

alias nulla legis observantia perfecte introduceretur, si passim recurrendum esset ad principem. In gravioribus iste adiri debet, vel ubi adiri non potest, judex sensum legis interpretabitur doctrinaliter secundum veriorem explicationem DD. secundum illam sententiam feret.

46

Quaeritur 3. an cuilibet liceat legem *doctrinaliter* interpretari? Resp. Affirmative, si id faciat juxta regulas, et ex sensu DD. non ex cerebro proprio. Ita Pal. *D.* 5. *cit. p.* 3. §. 2. *n.* 1. et hoc teste omnes DD. Ratio est, quia cum lex saepe ambiguitatem in sua significatione contineat, et legislator de facili consuli non semper possit, necessarium erat ut doctoribus daretur facultas faciendi ejusmodi interpretationem.

Proceditque hoc etiam casu, quo per aliquam legem prohibetur ejusmodi interpretatio; nam regulariter loquendo ejusmodi verbis solum prohibetur interpretatio frivola, et quae est contra mentem legis, ut Pal. §. 2. *cit. num.* 6. monet, et colligitur ex trid. *sess.* 4. *decret. de us. sacr. libror.* ubi prohibetur fieri interpretatio *contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater ecclesia. Neque obstat,* hanc interpretationem per se esse exclusam; quia nihil prohibet eam etiam excludi per legem positivam.

Dixi *regulariter;* nam aliquando etiam interpretatio doctrinalis prohibetur, non quaecunque, sed quae typis mandatur, et ex professo fit: et talis videtur esse, quae prohibita est a Pio IV. in *bulla confirmatoria concilii trid.* ubi etiam *praelatis* praecipitur *sub interdicti ab ingressu ecclesiae, aliis vero sub excommunicationis latae sententiae poenis, ne commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumve omnino interpretationis genus super ipsius concilii decretis quocunque modo edere, aut statuere audeant, etiam sub praetextu majoris corroborationis, aut executionis, aliove quaesito colore.*

47

Quaeritur 4. quae regulae sint servandae in *doctrinali* interpretatione legum? Resp. Plures in hoc dari regulas posse, 1. ante omnia alia spectanda est legis materia, et praecipue finis, et causa, qua ad eam condendam legislator principaliter est inductus; quia ut *c. intelligentia* 6. *de V. S.* dicitur, *non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.*

2. Ponderandus est totius legis, vel canonis textus; quia ut habetur *l. incivile* 24. *de legib. incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua ejus particula proposita, judicare, vel respondere.*

3. In interpretatione legis non est recedendum a proprietate verborum, nisi id suadeat aut praxis, aut quia alias lex foret inutilis, aut quia ex verbis proprie acceptis sequeretur iniquitas, vel absurdum, *c. inter* 2. *vers. sed neque de translat. episc. l. non aliter* 69.

ff. de legat. 3. Ratio est, quia non est praesumendum, legislatorem locutum fuisse improprie, cum legem tulit, et quod ex verbis non venit intelligendum, nec ex mente provenire creditur. *l. Labeo* 7. §. *Servius* 2. *vers. id. Tubero ff. de supell. legat.*

4. Si sensus verborum dubius sit, ita ut accipi illa proprie in duplici, aut multiplici sensu possint, ille sensus est praeferendus, quem verba ex communi usu approbata intellectione habent; quia ut dictum est *num.* 44. optima interpres legum est consuedo.

5. Omnis lex, etiam poenalis, et odiosa, ita interpretanda est, ut non evadat inutilis, et otiosa; quia sic etiam intelligenda sunt verba in actibus, et negotiis, inter privatos gestis *l. itam veniunt,* 20. §. *praeter* 6. *ff. de haered. petit.*

6. Lex exprimens genus comprehendere sub se censetur omnem speciem contentam sub genere, perinde fere, ac si expressisset singulas, ex communi juris consultorum axiomate: *ubi lex non distinguit; neque nos distinguere debemus.*

7. In poenis facienda est interpretatio mitior, in odiosis restringenda, in favorabilibus amplianda etiam ad sensum verborum, quem ex sola juris fictione habent juxta *regul. odia* 15. *in* 6.

8. Legi anteriori nunquam censetur derogatum per aliam legem posteriorem, nisi haec sit priori omnino contraria; quia correctio legis vitanda est, quoad fieri potest: et hinc si lex prior sit specialis pro aliquo casu, et posterior generalis, non censenda est correcta prior, sed potius posterior limitari a priore, nisi verbis expressis posterior contradicat priori; nam hoc si fiat, tunc

9. Regula est: lex posterior priorem, cui contraria est, abrogat, vel ei derogat, licet illa ejus mentionem faciat *c. licet* 1. *h. t. in* 6. ubi ratio redditur, quia *romanus pontifex* (idem est de quovis legislatore) *jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere:* et hinc concedendo constitutionem antiquae contrariam, priorem censetur tollere. *Excipitur*, nisi lex prior fit tantum particularis; hujusmodi enim leges, cum innumere sint, diversissime, a papa probabiliter ignorantur prout habetur *c. licet cit.* cons. condendo legem universalem illi contrariam, nisi clausulam derogatoriam addat, eandem non praesumitur revocasse.

10. Semper lex nova, si per contrarietatem fieri possit, secundum antiquam interpretari debet, etiam verbis aliquando acceptis in sensu minus proprio *l. non est novum* 26. *et l. sed et posteriores* 28. *ff. de legib.*

48

Quaeritur 5. an ob solam similitudinem, vel identitatem rationis extendi lex debeat ad casum sub lata verborum forma in lege non comprehensum? Rationem dubitandi facit commune axioma desumptum

ex *l. illud* 32. *ff. ad leg. aquil.* quo juris consulti inquiunt, *ubi eadem est ratio, ibi eandem debere esse dispositionem juris.*

Sed respondendum est, per se loquendo tali extensioni locum non esse. Ita Suar. *l.* 6. *de legib. c.* 3. *an.* 4. Pal. *tr.* 3. *D.* 5. *p.* 3. §. 4. *num.* 2. *etc.* Ratio est, quia ratio legis non est lex: ergo etiamsi in alio casu eadem militaret ratio, adhuc non sequeretur esse de illo legem; quia optime potest legislator de uno disponere, et non de alio, vel quia non vult, vel quia non expedit omnia simul prohibere.

Dixi *regulariter*; nam quando ejusmodi extensio esset de mente legislatoris, merito praesumi potest, extensio facienda est, et existimandum, casum in lege positum tantum exempli causa adjectum esse. Praesumi autem hoc potest 1. *in correlativis:* et hinc quia maritus ob adulterium uxoris eximitur ab obligatione reddendi debitum, etiam uxor eximitur si adulterium commissum sit a marito, quod maritus, et uxor ad imparia judicari non debeant. 2. in iis, quae *jure aequiparantur* quoad ea, in quibus aequiparantur. Pal. *l. c. n.* 10. et hinc si excommunicatio lata sit in surripientem centum florenos, eandem incurrit, qui surripit torquem ejusdem pretii. 3. In *connexis* ita, ut unum subordinetur alteri, vel in isto contineatur, tanquam pars in toto, aut imperfectum in perfecto; in his enim, cui licet, quod plus est, etiam licet, quod minus est, juxta *reg.* 53. *in* 6. Et hinc qui dispensare cum illegitimo potest ad sacerdotium, etiam dispensare potest ad minores ordines; qui potest condere testamentum, etiam potest condere codicillum etc. 4. In iis omnibus, in quibus, si non fieret ejusmodi extensio, sequeretur *iniquitas*, aut *absurdum:* nam ad haec cavenda verba legum improprie accipi debent, ut patet ex *num. praec.* ergo poterunt, et debebunt etiam accipi late. 5. Denique in *decisione causarum;* nam quando pro aliquo casu decidendo nulla habetur lex, judicandum erit ad normam casus similis expressi, ex communi axiomate, quo dicitur, *casum similem expressum a lege non censeri omissum.* In his ergo casibus procedit regula pro ratione dubitandi allata, non vero in aliis.

49

Quaeritur 6. quando locus sit interpretationi *restrictivae* legum per epiikiam? Resp. praecipue in his tribus casibus. 1. Si alioquin in casu particulari lex evaderet iniqua, et praeciperet aliquid illicitum: ita lex, quae e. g. statuit universaliter esse reddenda deposita, non obligat ad reddendum gladium depositum, si deponens eo velit uti ad occidendum innocentem. 2. Si lex in casu particulari praeciperet aliquid nimis arduum, et supra potestatem humanae legis: sic lex jejunii non obligat in casu gravis infirmitatis, etsi in lege jejunii non excipiatur expresse. 3. si prudenter credi possit, quod legislator in hoc, vel illo casu lege sua non voluerit obligare.

Proceditque hoc in omnibus legibus, praeterquam in irritantibus; nam istae non recipiunt epiikiam, seu interpretationem ex aequo et bono. Patet in matrimonio clandestino, quod irritum est, etsi ob pestem grassantem, vel mortem alterutrius contrahentis imminentem praesentiam parochi, et testium haberi nequiverit. Ratio est, quia, ut bene advertit Konig. *hic num.* 27. *in fine*, leges irritantes non attendunt ad casus, et rationes particulares, sed praecise ad rationem communem, et pariformitatem actuum.

§. VIII.

De cessatione legum.

SUMMARIUM

50 *Lex primo cessat ex cessatione causae finalis ejusdem.*
51 *Secundo per abrogationem.*
52 *Quando lex anterior censeatur abrogata per posteriorem?*
53 *Quinam possint legem abrogare, vel derogare eidem?*
54 *An inferior possit abrogare legem propriam, si ea sit confirmata a superiore?*
55 *An episcopus, vel archiepiscopus abrogare possit constitutiones a se factas in synodo dioecesana?*
56 *Tertius modus, quo lex cessat, est dispensatio: ubi, an dispensari possit in lege naturali?*
57 *An in jure divino positivo dari dispensatio possit, et a quo?*
58 *Quis dispensare possit in lege ecclesiastica?*
59 *Quando episcopis, et prœlatis inferioribus censeatur esse concessa potestas dispensandi in lege pontificia?*
60 *Circa quos dispensatio exerceri debeat?*
61 *An superior possit dispensare secum ipso?*
62 *Utrum ad valorem, et licentiam dispensationis requiratur causa justa?*

Cessare lex aliqua dupliciter potest in totum vel in partem duntaxat. *In partem* cessat, quando pro aliquo casu speciali, vel pro aliquo tempore ejus obligatio cessat: *in totum* cessat, quando vel finis legis omnino cessat, vel quando abrogatur lex, vel quando dispensatur in illa. Ex quo *sequitur*, tribus modis legem cessare posse. 1. cessatione finis. 2. abrogatione. 3. dispensatione.

50

Quaeritur 1. quando lex cesset ex cessatione *causae finalis* ejusdem? Resp. quatuor has regulas observandas. 1. Cessare debet ejus causa fi-

nalis tota : hinc quia lex jejunii ab ecclesia lata est ob duplicem finem , unum intrinsecum , qui est honestas jejunii , alterum extrinsecum , qui est maceratio carnis , lex illa adhuc manet , quamdiu finis ejusdem intrinsecus manet , quamvis alter extrinsecus cesset , et jejunio ad macerationem carnis utpote spiritui plene subjectae , opus non sit. Pal. *D.* 5. *p.* 1. *num.* 3.

Causa finalis cessare debet pro omnibus legis membris , seu articulis ; alias ejus tantum articuli obligatio cessabit, cujus causa finalis cessat , ceteris vigorem retinentibus , ne utile per inutile vitietur contra *regulam* 37. *de R. J. in* 6.

3. Si lex aliqua lata sit ratione generalis periculi , e. g. latum est generale praeceptum , ne arma deferantur noctu ad vitandas rixas , ut lex cesset , non sufficit , quod in aliquo particulari casu periculum illud cesset , sed requiritur , ut cesset communiter , seu respectu totius communitatis ; quia periculum commune , non particulare est ratio , et causa finalis legis *v. supra num.* 34.

4. Causae cessatio debet publice innotescere , ut legis obligatio ex ea cesset. Suar. *l.* 6. *de legib. c.* 9. *n.* 12. rationem dat , quia lex communitatem adstringit , et ratione illius personas singulas : ergo dum communitati non constat de cessatione , etsi singulis constet , singuli excusari non possunt ; quia non prius excusari possunt , quam ipsa communitas excusetur. Putat tamen Pal. *tr.* 3. *D.* 5. *p.* 1. *n.* 8. si de facto aliquibus constaret , cessasse integre finem a legislatore intentum , posse illos adversus legem procedere , secluso scandalo , etiamsi communitati id non constaret , et videtur hoc evincere ratio ab ipso allegata ; nam a puncto cessationis causae , lex perit : ergo ab illo puncto deobligatur communitas , licet per ignorantiam putet se nondum esse deobligatam : ex hoc autem , quod communitas ex ignorantia se censeat esse obligatam , non sequitur , quod obligentur illi qui carent hac ignorantia. ergo etc.

51

Quaeritur 2. quomodo lex cesset per *abrogationem* ? *Resp. Abrogari* lex aliqua dicitur tunc , quando a principe lex tota tollitur : hinc distinguitur a *derogatione* legis ; nam hac lex solum tollitur quoad partem aliquam. Porro abrogari lex potest dupliciter. 1. Per aliam legem , qua inducatur obligatio ad actum contrarium , vel contradictorium 2. Sine alia lege , precise obligationem legis impositam revocando.

Dubium. 1. est , quaenam conditiones servandae sint in abrogatione legis ? Resp. 1. requiritur *potestas sufficiens ;* solum enim per legitimam potestatem leges abrogari possunt. 2. *Causa justa* , et pertinens ad commune bonum *l. in rebus* 2. *ff. de constit. princip.* sine hac enim abrogatio legis erit quidem valida , sed tamen illicita : valida

quidem ; quia legis obligatio e legislatoris voluntate pendet : illicita autem ; quia ita abrogare legem utilem reip. est abuti potestate, et jurisdictione sibi concessa, quam princeps accepit ad regendos subditos per leges justas, et convenientes reip. 3. *Publicatio abrogationis*, si quidem haec fiat per impositionem novae legis ; nam abrogatio talis vere lex est. Secus si fiat sine impositione novae legis ; ut enim ita lex abrogetur, satis est, si alio modo voluntatem abrogandi legem sufficienter manifestet princeps.

52

Dub. 2. quando lex anterior censeatur abrogata per posteriorem legem. Resp. Cum distinctione ; vel enim lex prior, et abroganda generalis est vel specialis. *Si specialis*, per posteriorem legem contrariam generalem non abrogatur, vel derogatur, nisi illius saltem in genere princeps mentionem faciat ; sed potius, ut, vitetur juris correctio, anterior lex specialis erit quasi quaedam exceptio legis generalis posterioris. *Si vero anterior sit generalis*, videndum, an illa sit corpore juris communis clausa, an vero extra hoc posita. *Si primum*, abrogatur per posteriorem, modo haec priori contraria sit ; neque opus erit de priore in posteriore lege mentionem fieri ; quia eorum, quae juri communi inserta sunt, princeps censetur conscius, et cons. legem contrariam ferendo voluisse abrogare priorem. *Si secundum*, anterior lex per posteriorem sine prioris mentione non abrogatur, nec derogatur ; quia ea, quae extra jus commune sunt posita, potest probabiliter ignorare princeps *c. licet* 1. *h. tit. in* 6. Pal. *tr.* 3. *D.* 5. *p.* 2. §. 1. *a num.* 7. *et ab hoc cit.*

Duo tamen casus sunt, in quibus legis anterioris, etiam corpore juris communis clausae, mentio fieri debet. Primus est, si lex prior firmata sit juramento de ea non abroganda, tunc enim fieri mentio illius deberet, ut per posteriorem abrogata censeri possit. Pal. *l. cit. num.* 8. Konig. *hic num.* 29. ubi rationem dat ; quia magis inconveniens est legislatorem contra suum juramentum venire, quam quod lex posterior ob non sufficientem expressionem prioris fiat inutilis. *Secundus*, si lex prior contineat clausulam derogatoriam deinceps ferendae. Konig. *l. cit.* et apud hunc *Abbas* contra *Sylvestrum*, et *alios* : nam clausula illa debet aliquid operari ; nihil autem operaretur, si per legem posteriorem revocare tur perinde, ac si illam clausulam non haberet. ergo etc.

53

Dub. 3. Quinam possint legem abrogare ? *Certum est*, quod legem suam revocare possit 1 *qui illam tulit* ; quia haec dependent a voluntate ejusdem. 2. *Ejus successor* ; quia parem cum antecessore potestatem habet. 3. *Superior istorum* ; quia habet universaliorem jurisdictionem.

Difficultas est de inferiore, an iste abrogare legem superioris possit in suo saltem territorio? *Ratio dubitandi* est quia inferior potest dispensare in lege superioris, puta, episcopus in legibus pontificiis, in regiis, vel imperialibus magistratus; ergo etiam iisdem derogare, non enim minus haec potestas; quam illa pertinent ad rectam, et suavem provinciae gubernationem. *Confirmari* potest ex pluribus statutis municipalibus juri communi contrariis, quae valorem habent; sic enim jure communi habetur, ne quis ob delictum alterius puniatur, ut tradit Bartol. *in l. 7. ff. de incend. ruin. naufrag. n.* 1. et tamen valet statutum, quo cavetur dominum teneri satisfacere pro damnis famulorum, quae commissa fuerint, etiam ipso nesciente, et patrem pro damnis filiorum etc. cui similia multa alia refert Az. *p.* 1. *l.* 5. q. 11. et 14.

Sed adhuc verius est inferiorem legi superioris derogare non posse, nisi forte ex privilegio, aut praescripta consuetudine potestatem istam acceperit: ita Suar. *l.* 6. *de legib c.* 26. *n.* 4. Pal. *tr.* 3. *D.* 5. *p.* 2. §. 2. *num.* 5. Videtur hoc quoad jus canonicum decisum esse pluribus textibus, precipue autem *c. quod super his* 9. *et c. cum inferior* 16. *de major. et obed.* et patet universaliter ex ipsis terminis inferioris, et superioris; si enim ex se potestatem habet abrogandi leges superioris inferior, non esset amplius inferior illo; sed potius superior.

Ad rationem dubitandi negatur, quod inferior habeat ex se potestatem dispensandi in legibus superioris, sed si habet, habet illam a superiore, ut dicetur *num.* 58. *Ad conf.* statuta illa non sunt contra dispositionem juris communis; jure enim communi non est prohibitum expresse, ne aliquis innocens puniatur in bonis suis ob delictum alterius, sed solum est praeter illam: condere autem statuta praeter jus commune, et potius ei faventia, quam nocentia reip. concessum est *l. omnes populi* 9. *ff. de J. et J.*

54

Dub. 4. an inferior possit abrogare legem propriam, si ea sit confirmata a superiore? *Certum est* abrogari ab inferiore non posse, si superior in confirmatione addidit clausulam irritantem ea, quae contra essent statuenda, vel attentanda; tunc enim intelligitur sublata esse inferiori potestas in contrarium aliquid statuendi *c. dilecto* 25. §. *praeterea de praeb. et dign.*

Major difficultas est, quando princeps ejusmodi clausulam non adjecit, sed apposuit confirmationem tantum simplicem. Sanch. *l.* 8. *de matrim. D.* 17. *n.* 30. etiam hoc casu negat abrogari ejusmodi legem sic confirmatam etiam a conditore suo posse, ex ratione, quia ex ea confirmatione censetur esse facta lex superioris, cum princeps ea, quae authoritate sua confirmat, sua faciat *c. si apostolicae* 22. *de prae-*

bend. in 6. *et l. Deo authore* 1. §. *sed neque* 6. *ff. de vet. jur. enucl.*

Sed melius applicatur distinctio, qua utuntur Abb. *in c.* 8. *h. tit. num.* 2. Pal. *tr.* 3. *D.* 5. *p.* 2. §. 2. *num.* 8. Konig. *hic num.* 28. et colendissimus antecessor, et professor meus p. Jacobus Vviestner *p. m. ibid. num.* 144. Vel enim statutum ejusmodi principaliter concernit favorem statuentium, vel contra concernit favorem publicum, aut aliorum, quam statuentium.

Si primum; etsi a sede apostolica confirmatum sit confirmatione simplici, derogari idem potest a statuentibus; quia non debet censeri velle superior beneficium invito obtrudere, et ad favorem recipiendum obligare nolentem. *Si secundum*, ab inferiore sine licentia superioris revocari non potest; quia ex quo iste statutum ejusmodi confirmavit, censetur suum fecisse juxta *c. et l. cit. excipitur*, nisi confirmatio tantum petita sit ad majorem authoritatem statuti: et hoc praesumendum vult Pal. *l. cit.* quandocunque confirmatio statuti petitur ab eo, qui seclusa confirmatione, habet potestatem obligandi illos, pro quibus statutum condidit. *Ex quo patet responsio* ad argumentum Sanchezii.

55

Dub. 5. an episcopus, vel archiepiscopus abrogare possit constitutiones a se factas in synodo dioecesana? Videtur non posse 1. Quia episcopus non est superior sua synodo; est enim pars illius: ergo non potest abrogare statutum factum a synodo. 2. episcopus ipse legibus, et constitutionibus synodalibus arctatur, ut cum Medina plures alii docent apud Pal. *tr.* 3. *D.* 5. *p.* 2. §. 2. *num.* 9. 3. Constitutiones sic factae vim habent non tantum a voluntate episcopi, sed etiam clericorum ibi congregatorum, qui suffragium decisivum habent: igitur sicut non solus episcopus est legislator in eo casu, sic nec solus derogare ejusmodi statutis poterit. 4. Esto, clerici in synodo congregati non habeant votum decisivum, sed consultivum tantum, tamen statutum in synodo factum ab episcopo fieri debet cum horum consensu: atqui statutum factum cum consensu aliquorum transit in contractum, ac proinde sine simili consensu revocari non potest, ut tenet Bartol. *in l.* 9. *ff. de J. et J. num.* 29. *vers. distingue* et plures alii apud Pal. *l. cit.*

Verum his non obstantibus, dico probabilius posse episcopum, inconsulta synodo, constitutiones synodales, si id viderit expedire (raro tamen illud expediet) abrogare. Ita Navarr. *summ. c.* 25. *num.* 74. Az. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 15. *q.* 3. Barb. *de offic. et potest. episc. alleg.* 34. *num.* 3. Pal. *l. cit.* qui dat rationem, quia clerici in synodo congregati non faciunt constitutiones, sed solum praebent consilium ad illas faciendas, non ex necessitate, sed ex utilitate, et convenientia, ut episcopus procedat prudentius.

Neque aliud probant argumenta allata. 1. episcopus est quidem pars synodi, sed instructus simul potestate legislativa, quam reliqui in synodo dioecesana congregati non habent. *Ad* 2. constitutionibus synodalibus episcopus non aliter obligatur, quam si factae fuissent a se solo, videlicet indirecte, et quatenus hoc aut bonum commune, aut necessitas scandalum vitandi suadet, ut supra *n.* 36. de legislatore quolibet dictum est. *Ad* 3. quod clerici ceteri votum decisivum in synodo non habeant, videtur constare ex hoc, quia synodalia statuta, non ipsi, sed solus episcopus subscribit, absque ulla mentione clericorum. *Ad* 4. Statutum factum cum consensu aliquorum in contractum transit tum solum, quando consensus expostulatur ut necessarius, et consentientes aliquid statuenti tribuunt: quod non fit in casu nostro.

56

Quaeritur 3. quomodo lex cesset per *dispensationem?* Resp. Hic tertius modus est tollendi legem, non quidem semper totam, sed quoad partem; saepe enim dispensatur solum in casu aliquo particulari, vel cum particulari persona, manente obligatione legis pro reliqua communitate. Definiri communius solet, quod sit relaxatio alicujus juris, seu exemptio alicujus ab obligatione legis. Ita Pal. *tr.* 3. *D.* 6. *p.* 1. *num.* 2. Porro in lege sua dispensare potest quilibet legislator, ejus successor, et istorum in jurisdictione superior; non tamen inferior in lege superioris, nisi hic eidem dispensandi potestatem concesserit expresse, vel tacite, ut infra *num.* 59. dicetur.

Dub. 1. An dispensari possit in *jure naturali? Certum est*, ab hominibus mutari posse pro circumstantiis occurrentibus ea, quae sunt de jure naturali *concessivo*, vel *probativo*. Patet ex multis instantiis; sic enim etsi per jus naturae omnia sint communia, jure gentium introducta est rerum divisio: item etsi liber a natura sit homo, libertas tamen haec captivis in bello auferri potest: denique etsi naturale sit dogma, quod nemo cum damno alterius locupletari possit, saepe tamen respubl. ob bonum commune, et pacem servandam bona unius alteri tribuit, ut fit per usucapionem, et praescriptionem.

Difficultas igitur solum est in lege naturali *praeceptiva*, an dispensari in ea ab homine, vel saltem a Deo possit? Videtur posse. 1. Quia quilibet legislator dispensare in legibus suis potest, et alteri vires dispensandi committere, cum leges a legislatoris voluntate pendeant: at praeceptorum naturalium legislator Deus est; ergo etc. 2. Constat Deum dispensasse in lege naturali, nim. in praecepto non occidendi cum Abraham *gen.* 22. non fornicandi cum Osea. *Os.* 1. non furandi, dum Israelitis permisit spoliationem Ægypti *exod.* 12. 3. Pontifex dispensat in votis, et juramentis, in matrimonio rato, in residentia ecclesiae: quorum omnium obligatio ex jure naturae oritur.

Sed tenenda negativa sententia, et dicendum, nec a Deo, nec ab alio, vices ipsius habente, proprie et directe dispensari posse in ullo jure naturali. Ita fere omnes TT. et canonistae cum S. Thom. 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. Ratio est, quia quae lege naturali prohibita sunt, intrinsece sunt mala, et inhonesta; quae autem intrinsece mala, et inhonesta sunt, honesta, et licita fieri ulla potestate non possunt, cum essentiae rerum sint immutabiles; ergo etc. Dixi autem *directe proprie:* nam indirecte potest tam Deus, quam illius commissione homo: sed homo non in omnibus, in quibus Deus, sed tantum in iis, in quibus potestatem dominativam ipsi concessit Deus, ut fit in casu praescriptionis, ubi leges uni adimunt proprietatem, alteri dant: de quo plura alibi.

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. jus naturae a voluntate Dei aeterna, ac necessaria pendet; ac proinde est immutabile. *Ad* 2. in illis exemplis non dispensavit Deus in praecepto naturali non occidendi, non fornicandi etc. haec enim semper invariabilia manserunt; sed apposuit conditionem, qua illorum obligatio cessabat, et qua posita, numquam jus naturale negavit occisionem, commixtionem corporum, aut spoliationem: haec autem conditio in iis, quae non absolute mala sunt, est concessio divina; cum enim omnia potestati illius dominativae subsint, ut pro lubitu de iis possit disponere, et disponendi facultatem concedere, si ipse facultatem istam concedat, licita erit spoliatio, commixtio corporum, occisio, etiam innocentis. Neque tamen hinc sequitur, etiam licitum fieri posse mendacium, odium Dei, etc. nam horum praeceptorum materia non pendet ex dominio Dei. *Ad* 3. pontifex dispensando in voto, et juramento, Dei nomine, et authoritate relaxat promissionem ipsi factam, qua relaxatione facta obligatio voti et juramenti per se ipsam corruit: hoc autem non est proprie, et directe dispensare in voto, et obligatione naturali voti; numquam enim obligatio fuit, ut remissa promissione Deo facta per votum, obligaret votum. Directe tunc dispensaretur in voto, si per dispensationem liceret homini non implere obligationem voti, a Deo, vel Dei nomine, et authoritate non relaxatam. Idem dicendum ad duos reliquos casus.

57

Dub. 2. an in *jure divino positivo* dari dispensatio possit, et a quo? *Certum est* 1. posse in hoc Deum dispensare; quia, ut dictum est *num.* 56. quilibet legislator dispensare potest in propriis legibus. 2. *Certum est*, hanc potestatem non esse concessam regibus, et aliis saecularibus; quia tota illorum potestas est mere temporalis. 3. *Certum est*, eandem non competere praelatis pontifice inferioribus; quia usus hujus potestatis, si ad aliquem pertinet, debet esse rarissimus; igi-

tur si penes aliquem hominem est, non potest esse, nisi penes summum pont.

Tota igitur quaestio in id recidit, an summus pontifex dispensare in jure divino possit? Videtur posse. 1. quia dispensat in solemni religiosorum professione. 2. aliquando dispensat, ut minister sacramenti confirmationis sit simplex sacerdos. 3. dispensare potest, imo ut quidam volunt, reipsa dispensavit in sacrificio missae ob urgentem causam, ut fieri id possit sub una duntaxat specie, atqui haec omnia sunt juris divini; ergo etc.

Sed his non obstantibus, communis, verissima DD. sententia est cum s. Thom. 1. 2. *q.* 97. *a.* 4. *ad* 3. quae negat, pontificem dispensare in ullo jure divino posse. Colligitur ex *can. sunt quidam* 6. *et seqq. caus.* 25. *q.* 1. ubi asseritur, non esse sedis apostolicae aliquid condere contra Apostolorum statuta, et aliquid illorum mutare. Ratio est 1. quia si pontifex haberet hanc potestatem, haberet illam a Christo, maxime vi verborum *quodcumque solveris super terram etc.* atqui nec ex his verbis, nec aliunde colligitur satis haec potestas concessa pontifici; nam verba illa nimis generalia sunt, et ex verbis ita generalibus non debet inferri concessio rei tam gravis, et extraordinariae, quae propterea specialem concessionem petebat. 2. haec potestas non cederet in aedificationem ecclesiae, sed potius in destructionem illius; cum enim in lege nova nulla alia praecepta divina positiva extent praeter illa, quae pertinent ad fidem, sacramenta, et sacrificia, si in his per dispensationem mutatio aliqua fieri posset, facile corrueret unitas, qua secum invicem ligantur fideles per totum orbem diffusi. 3. nulla excogitari potest causa legitima dispensandi in aliquo praecepto divino, quae non habeat etiam locum in reliquis praeceptis: et sic ob penuriam aquae naturalis per dispensationem fieri baptismus poterit in aqua rosacea, ex penuria sacerdotis absolutio in articulo mortis impertiri a laico, ex penuria panis triticei, vel vini consecrari in pane hordaceo, aut cerevisia etc etc.

Neque urgent argumenta opposita. *Ad* 1. solemnitas professionis religiosae, ut communis DD. habet, et inde orta insolubilitas, non jure divino, sed ecclesiastico introducta est: hinc sicut pontifex, existente causa, remittere potest obligationem cujuscunque voti Deo facti, ita remittere potest obligationem professionis, quod facit remittendo obedientiam specialem, et superioribus a profitente factam. *Ad* 2. jure divino solum habetur, quod episcopus sit ordinarius minister sacramenti confirmationis; absolute autem, ut notat Pal. *tr.* 3. *D.* 6. *p.* 3. *num.* 6. institutione divina ministrare confirmationem potest sacerdos quilibet: hinc quando pontifex ei committit hanc potestatem, non dispensat, sed tantum ponit conditionem, sine qua sacerdos simplex sacramentum istud impertiri non potest. *Ad* 3. non constat authentice de

ejusmodi dispensatione facta : vel si pontifex aliquando dispensavit, ea dispensatio non fuit proprie dispensatio , sed tantum declaratio doctrinalis , quod in tali casu praeceptum divinum non obliget.

58

Dub. 3. quis dispensare possit in *lege ecclesiastica ? Certum est* 1. summum pont. dispensare posse in omni lege ecclesiastica , sive illa ab ipsomet pont. sive a praedecessoribus , sive a concilio generali lata sit ; quia praedecessoribus suis potestate par est, superior autem conciliis. *Certum est* 2. episcopum , et archiepiscopum posse dispensare per se loquendo in statutis synodi dioecesanae ; quia sunt ab ipso episcopo lata. Clerici vero ceteri solum sunt consiliarii , non legislatores , ut dictum est *num.* 55. *certum* 3. neque ab archiepiscopo dispensari posse in legibus concilii provincialis ; quia non sunt latae a solo archiepiscopo , sed a concilio superiore illius.

Quaestio tantum est , an episcopus , vel alius praelatus inferior papa dispensare possit in lege pontificia expresse non reservata ? Affirmat Sot. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *ar.* 4. §. *at quo tandem.* Covar. *in c. alma p.* 1. §. 7. *num.* 8. et alii , quos citant Pal. *tr.* 3. *D.* 6. *p.* 4. *num.* 7. et Barbos. *de offic. et potest. episc. alleg. num.* 17. fundatur 1. textu *c. nuper* 29. *de sent. excom.* ubi Innocentius III. ad episcopum uratislaviensem rescripsit , *quando conditor canonis* excommunicationis *absolutionem sibi specialiter non retinuit , eo ipso concessisse videri facultatem aliis relaxandi* ; ergo idem dicendum de legibus , si dispensationem illarum sibi non reservavit pontifex. 2. *ex generali axiomate :* quo episcopi respectu subditorum suorum dioecesanorum dicuntur posse omnia , quae pontifex potest respectu omnium Christi fidelium , nisi huic specialiter sint reservata. 3. *ex praxi communi :* sic enim dispensationes in observatione festorum , et jejuniorum passim petuntur , et sine scrupulo dantur ab episcopis sine recursu ad pontificem. 4. *ex ratione :* quia sine hac facultate non possent inferiores praelati gubernationi recte consulere , si deberent recurrere in quolibet casu ad pontificem.

Sed melius negatur , quod in lege ecclesiae universali inferiores praelati quicunque dispensare possint , extra casus expresse , vel tacite , ipsis permissos. Ita gloss. *in c.* 15. *de temp. ordin. V. permissa.* Abb. *in c.* 33. *de testib. num.* 3. Sylvest. *V. dispensatio num.* 14. Suar. *l.* 6. *de legib. c.* 14. *num.* 4. Pal. *tr.* 3. *p.* 4. *num.* 8. et apud hunc plures alii. Colligitur ex *c. cum inferior.* 16. *de major. et obed. et Clem. ne romani* 2. *de elect.* ubi cavetur , inferiorem non posse superioris jura mutare sine consensu ejusdem ; atqui mutaret , si in lege ejusdem dispensaret ; ergo etc.

Ad argumenta in contrarium facilis est responsio. *Ad* 1. negatur paritas ; quia potestas absolvendi a casibus non reservatis conceditur

absolute, cum absolutio talis non sit contra jus, sed conformis juri: jus enim praecipit dispositum absolvere; at dispensatio semper jus violat, neque ita necessaria est bono animae. *Ad* 2. axioma illud solummodo verum est in his, quae ad commune regimen spectant, et antequam a pont. lex aliqua constituatur; nam illa lege constituta, ex vi illius limitata est jurisdictio inferioris, ut non possit circa illam se intromittere. *Ad* 3. potestatem dispensandi in observatione festorum, jejunii etc. cum sint casus usu frequentes, habent inferiores praelati ex tacita concessione pontificis per consuetudinem manifestata. *Ad* 4. argumentum hoc probat, quod in aliquibus casibus episcopus, et inferiores praelati habeant potestatem dispensandi in lege pontificia, ex tacito saltem consensu pontificis: quod concordat responsioni nostrae. Sed hinc

59

Dub. 4. quando episcopis, et praelatis inferioribus censeatur esse concessa potestas dispensandi in lege pontificia? Resp. 1. Si materia levis sit, et ad mortale obligatio legis non pertingat; quia commissa jurisdictione videntur etiam haec minora esse concessa. 2. in casibus frequenter occurrentibus; quia nimis esset onerosum ad principem semper recurrere. 3. in casu extraordinario, quando urget necessitas dispensandi, et periculum est in mora, neque facile ad superiorem recurri potest; tunc enim ex praesumpta legislatoris voluntate censetur inferiori commissa facultas dispensandi, cum hoc suave ecclesiae regimen exigat. 4. cum dubium est, an casus indigeat dispensatione; nam tunc praesumptio est pro libertate, neque censeri debet esse legi adstrictus aliquis, quousque de lege sibi moraliter constet: unde etsi detur, quod in tali casu opus sit dispensatione, sufficiet tamen dispensatio episcopi. 5. si consuetudine praescribatur, ut inferior dispenset in lege superioris; nam consuetudo legitime praescripta jurisdictionem confert. 6. si eadem facultas habeatur ex privilegio, modo hoc non sit revocatum; tunc enim patet de voluntate concedentis. 7. quandocumque in canone impersonaliter, et indefinite dicitur, dispensari posse; alias enim verba illa forent superflua, cum nemini dubium sit, pontificem dispensare posse in omni jure ecclesiastico.

60

Dub. 5. Circa quos dispensatio exerceri debeat? Uno verbo responderi potest, dicendo, exercendam illam esse circa subditos; cum enim sit actus jurisdictionis, et superioritatem ex parte dispensantis, et subjectionem ex parte dispensati importat. In specie quoad casus sibi permissos dispensare etiam in lege pontificia possunt. 1. *legati apostolici* cum habitantibus in sua provincia. 2. *episcopi* cum suis dioecesanis. 3. *praelati regulares* cum suis religiosis, saltem si exempti sint. 4. In quibusdam casibus *parochi* cum suis parochianis. Neque necesse est,

ut is, cum quo dispensatur, habeat ibi domicilium; nam etiam cum vagis dispensare potest superior loci, in quo ad tempus resident. Quod ipsum Basil. de Leone *l.* 8. *c.* 5. *num.* 7. extendit etiam ad peregrinos: quod verum est quoad dispensationem in lege municipali, et communi: nam in votis, juramentis, et aliis specialibus impedimentis cum peregrinis superior loci, in quo sunt, dispensare probabilius nequit, ut notat Pal. *tr.* 3. *D.* 6. *p.* 7. §. 2. *tom.* 4. ob complures declarationes cardd. quae hujusmodi dispensationes negant impertiendas forensibus.

61

Dub. 6. An superior, vel is, qui ex commissione potestatem dispensandi habet, secum ipso dispensare possit? *Certum est* 1. posse secum ipso dispensare indirecte; nam quando in lege jejunii, aut festi praelatus concedit dispensationem pro tota civitate, vel conventu, necessario in illa dispensatione etiam ipse includitur, cum sit praecipua communitatis pars. *Certum est* 2. Quod possit alteri vices suas committere, qui dispensationem ei concedat; quia praelati non debent esse deterioris conditionis, quam subditi, qui prae manibus habent, a quo possit absolvi, et dispensari.

Difficultas solum est, an dispensare secum ipso possit directe? Rationem dubitandi facit 1. *c. fin. de institut.* ubi dicitur, eum, qui beneficium conferre potest, non posse seipsum instituere; et ratio subditur, quod *inter dantem, et accipientem debeat esse distinctio personalis.* 2. Ex *magnae* 7. *de vot.* ubi laudatur episcopus Trecensis, quod se noluerit obligatione voti exemptum judicare absque consilio sedis apostolicae, et rationem addit gloss. *ibid. V. noluisti, quia nemo juramentum, vel votum suum debet interpretari.* 3. Ex *l. quamquam* 1. *ff. de auth. et cons. tutor.* ubi regula juris est, *in rem suam tutorem authorem fieri non posse.* 4. *Ex ratione:* quia superior non potest se absolvere a censuris, vel aliis poenis, et inhabilitatibus; ergo nec dispensare.

Sed tenenda est affirmativa sententia, quam etiam cum communi defendit Suar. *l.* 6. *de legib. c.* 12. *num.* 8. Pal. *tr.* 3. *D.* 6. *p.* 7. §. 1. *n.* 2. Ratio est, quia dispensatio est actus jurisdictionis voluntariae, quae distinctionem personarum non requirit. *Conf.* quia dum superior ipsi potestatem dispensandi concessit, ne deterior sit ipsius, quam aliorum conditio, etiam censetur ei concessisse illam quoad seipsum.

Neque vim habent argumenta opposita. *Ad* 1. Ratio *in c. cit.* data non est sumenda generaliter, sed in illa materia beneficiorum ob inconveniens maximum, quod esset, si praelatus beneficiorum distributor sibi ipsi conferret. *Ad* 2. Ibi episcopus ille laudatur, non quia fecit opus necessarium, sed quia fecit opus super erogationis,

et maxime decens. *Ad* 3. Negatur paritas; quia ibi est periculum damni in bonis pupilli, quale damnum non est in dispensatione. *Ad* 4. Absolutio a censuris est quaedam sententia, quam in seipsum quis dictare non potest: quoad reliquas poenas, distinguendum est, et concedendum de poenis, quas per sententiam contraxit, negandum de iis, quas incurrit ipso jure; nam in his, sicut cum aliis, ita probabilius potest dispensare secum ipso; imo tali casu potius dispensat superior, a quo potestatem istam accepit.

62

Dub. 7. Utrum ad valorem, et licentiam dispensationis requiratur causa justa? *Certum est* 1. requiri, si inferior dispensat in lege superioris, e. g. papa in lege divina, episcopus in lege pontificia etc. et quidem ita, ut sine illa dispensatio neque valida sit, neque licita. Ratio est: quia non censetur superior potestatem dispensandi in lege sua concedere, nisi ex causa rationabili: et hinc sine illa dispensans excedit limites potestatis sibi concessae, quos egrediens nihil agit *c. dilecta* 22. *de rescript.* et *l. diligenter* 5. *in princ. ff. mandat. Certum videtur esse* 2. si legislator dispenset sine causa in lege propria, eum valide dispensare; quia voluntate principis lex constituitur, et ex illa integre pendet ejus obligatio. Ergo si princeps velit ab obligatione eximere aliquem, iste, aliis manentibus obligatis, exemptus erit ab obligatione.

Controversia moveri potest, an sine causa dispenset licite? Videtur enim causa non esse opus. 1. Quia, ut dictum est modo, obligatio legis ex voluntate legislatoris pendet, igitur sicut pro libitu potuit illam imponere, ita etiam in illa dispensare. 2. Deus potest pro sola sua voluntate a legum obligatione aliquem eximere; ergo etiam legislator humanus. 3. Princeps potest tributa sibi debita debitori remittere absque ulla alia causa; ergo etiam legislator obligationem legis. 4. Plures dispensationes a pontif. postulantur in gradibus prohibitis, nulla tamen assignata causa. 5. Non potest dici, quale peccatum, veniale, an mortale sit, quando legislator in lege propria sine causa dispensat.

Sed his non ostantibus, dicendum, neque legislatorem in lege propria sine justa causa dispensare licite posse. Ita communis cum S. Thom. 1. 2. *q.* 97. *a.* 4. et colligitur ex *can. necessaria* 7. *et can. seq. caus.* 1. *q.* 7. praecipue vero ex trid. *sess.* 24. *c.* 5. et *sess.* 25. *c.* 14. et 18. Ratio est manifesta, quia si princeps sine causa ab obligatione legis te eximit, inaequalitatem facit, et aliquo modo committit vitium acceptionis personarum; item ansam praebet querelis aliorum, dum vident se esse sub onere legis, te tamen excipi: quae omnia sunt contra rationem; ergo non potest princeps, qui

debet esse fidelis, et prudens obligationum dispensator, hanc inaequalitatem inducere.

Neque urgent argumenta contraria. *Ad* 1. Legislator etiam legem ferre sine causa boni communis nequit, ut patet ex definitione legis *num.* 2. *ad* 2. Voluntas divina est summa regula bonitatis, non autem voluntas humana, ergo non est mirum, quod causam requirat legislator humanus ad dispensandum in lege licite. *Ad* 3. In remissione tributi se princeps habet, ut persona privata; at in exemptione a lege non privatam personam agit, sed publicam. *Ad* 4. licet non assignetur causa, non tamen sine causa conceduntur eae dispensationes; pro causa enim succedit eleemosyna copiosior, a dispensato donata in sumptus publicos. *Ad* 5. Pal. *tr.* 3. *D.* 6. *p.* 8. §. 1. *n.* 5. aliis *cit.* notat, si legislator in lege propria sine causa dispenset, secluso scandalo, et damno notabili aliorum, committere solum peccatum veniale; quia non videtur esse gravis deformitas partem toti se non conformare. Hinc quando trid. *l. citt.* graviter prohibet dispensationem sine causa, intelligendum est casu, quo gravis inconvenientia ex hujusmodi dispensatione exurgit.

TITULUS III.

De rescriptis.

Constitutionibus affinia sunt rescripta ; nam et ipsa inter placita principum numerantur , et legis vigorem habent , saltem inter partes, et personas , inter quas rescriptum est , et in negotiis , pro quibus rescripta sunt edita. *l. quae ex relationibus* 2. *C. de legib.*

§. I.

De rescripti natura , varietate , et impetratione.

SUMMARIUM

1 *Rescriptum est responsum a papa , imperatore , vel alio principe , praesertim supremo , ad alicujus petitionem in scripto datum.*
2 *Praecipue dividitur in rescriptum gratiae , justitiæ , et mixtum.*
3 *Proprie dicta rescripta concedi possunt tantum a principe , qui superiorem non recognoscit.*
4 *Impetrari possunt a quocunque , nisi specialiter prohibeatur.*
5 *Ab excommunicato in septem casibus.*
6 *Rescriptum justitiae regulariter nemo impetrare potest pro alio , nisi instructus sit speciali mandato.*
7 *Potest rescriptum gratiæ.*

1

Quaeritur 1. quid sit *rescriptum* ? Resp. Id desumendum ex diversa acceptione istius nominis ; potest enim dupliciter accipi , generice , et specifice. *Generice* acceptum comprehendit responsiones omnes etiam privatorum , scripto datas ad petitionem alterius verbo , vel scripto factam. *Specifice* sumptum solum continet responsiones , scripto datas a principe : et in hoc sensu accipi potest vel stricte , vel late. *Scripte acceptum* illa tantum rescripta continet , quae dantur a principe secundum jus : quo sensu sumptum rescriptum excludit a se privilegium , et dispensationem ; quia dispensatio semper est contra legem. Privilegium vero aliquando contra , aliquando praeter legem. *Late sumptum* sub se comprehendit etiam privilegia , dispensationes , et beneficia principis , modo sint in scriptis ad supplicationem , vel petitionem alicujus obtenta. Ita sumitur praesenti titulo , et definitur, quod sit responsum , a papa , imperatore , vel alio principe , praesertim su-

premo, ad alicujus supplicationem, relationem, vel consultationem in scripto datum. Ita quoad sensum communiter DD.

Differt 1. ab *oraculo*; quia hoc est responsum principis ore, sive viva voce datum, quamvis postea in scripturam redactum sit. 2. ab *epistola decretali*; quia haec interdum datur motu proprio principis, non praecedente consultatione, vel petitione illius, cui, vel in cujus favorem data est.

2

Quaeritur 2. Quotuplex sit rescriptum? Resp. Prae ceteris tres notabiles sunt ejus divisiones 1. enim dividitur in rescriptum contra jus, praeter jus, et secundum jus. *Contra jus* est, quod aliquid conceditur contra juris regulas, ut sunt dispensationes, et multa privilegia. *Praeter jus*, quod versatur circa ea, quae jure non sunt decisa, ut cum pontifex rescripto suo mandat Titio provideri de beneficio. *Secundum jus*, quo respondetur de jure consulentibus, ut si princeps alicui per litteras committat potestatem cognoscendi de causa inter partes controversa.

2. Dividitur in generale, et speciale. *Generale* est, quod habet vim obligandi omnes subditos, et in toto territorio principi subjecto. *Speciale*, quod inter certas solum personas, et ad certas causas, vel negotia, certum locum, aut tempus datum est. Fieri autem ex speciali potest generale, si jussu, et authoritate principis inseratur juri communi, et omnibus servandum proponatur.

3. Et praecipue dividitur in rescriptum gratiae, justitiae, et mixtum. *Rescripta gratiae* dicuntur, quibus ex liberalitate principis aliquid praeter, aut contra jus commune conceditur, ut sunt, quae expediuntur super resignationibus beneficiorum, collationibus et dispositionibus aliis. *Rescripta justitiae, sive ad lites* vocantur, quae ad justitiae administrationem, fere secundum jus commune, faciendam tendunt, ut quando papa causae ad se delatae cognitionem committit judicibus delegatis. *Rescripta mixta* denique dici possunt, quae gratiam simul, et justitiam continent, ut si executori mandetur, ut conferat beneficium, simulque ei detur potestas compellendi resistentes. Porro in dubio praesumitur esse rescriptum justitiae, non gratiae; nam qui gratiam allegat, eam probare debet.

3

Quaeritur 3. quis concedere rescriptum possit, in qua materia, et contra quem? Resp. 1. Rescripta proprie dicta concedere potest solus, et omnis princeps superiorem non recognoscens, qualis est pontifex in spiritualibus, in temporalibus imperator, reges et alii principes habentes supremam potestatem, horumque cancellarii *c. ad haec* 10. *et c. h. tit.* nam inferiorum concessiones, in scripto factae, rectius litterae commissionis, excommunicationis, absolutionis etc. quam

rescripta vocantur, ut ex *c. olim* 25. *V. absolutionis* desumit Vallens. *hic* §. 1. *n.* 2.

2. Rescriptum impetrari potest super rebus omnibus, de quibus litigari potest, quaeve ex officio, vel gratia concedi possunt, et solent. Host. *in summ. hic n.* 8. Vall. §. 4. *num.* 3. Pirh. *num.* 6.

3. Impetrari potest rescriptum contra quemcunque, sive clericum, sive laicum, sive majorem, sive minorem 25. annis, etiam contra excommunicatum, ne ex malitia sua commodum ferat, modo is, contra quem impetratur, subsit jurisdictioni concedentis. Host. *n.* 6. Vall. *num.* 1. Pirh. *num.* 6. *cit.*

4

Quaeritur 4. a quo rescriptum impetrari possit? Resp. Impetrari potest a quocunque, sive actor ille sit, sive reus, nisi specialiter prohibeatur. Prohibetur autem 1. servus *l. licet* 1. *C. de precib. imper. offerend.* nisi ex atrocissimis causis, ut si dominus in servos saevierit, vel ad impudicitiam, aut turpem violationem compellat *l. si dominus* 2. *ff. de his, qui sui, vel alien. jur.* 2. falsus, aut revocatus procurator *c. ex parte* 33. *h. tit.* 3. haereticus *l. nullus* 2. *C. de summ. trinit.* 4. alii excommunicatione majori *c. ipso jure* 1. *h. tit. in* 6. Haec certa.

Dubium est, an rescriptum ab *excommunicato* impetratum etiam sit invalidum? Ratio dubitandi sumitur a paritate; nam si excommunicatus agat in judicio, et per exceptionem adversarii, vel a judice ex officio non repellatur, sententia, et omnia acta sunt valida; ergo similiter si petat rescriptum, et superior petentem non repellat, valebit rescriptum.

Verum hoc non obstante, dicendum, regulariter rescriptum pontificium ab excommunicato impetratum esse invalidum, et ipso jure nullum. Ita statuitur *c. ipso jure cit.* et docent ibidem interpp. Ratio est, quia per excommunicationem redditur omnino inhabilis ad impetrandum rescriptum, praeterquam in casibus jure exceptis. Proceditque hoc, etiamsi sit toleratus; quia *extrav. ad evitanda* a Martino V. *in concil. constantiensi edita* ipsis excommunicatis nullus favor indultus est, quem tamen consequerentur, si ob hoc, quod tolerati sint, rescriptum valide impetrare possent.

Ad rationem dubitandi dico, id verum esse casu, quo excommunicatus agit coram judice ordinario, qui jurisdictionem jam ante fundatam habet: non vero casu, quo agit coram judice delegato vi rescripti: et ratio est, quia hujus jurisdictio originem suam sumit ex rescripto, quod cum nullum sit ipso jure, etiam jurisdictionem dare non potest judici per hoc delegato, ut cum gloss. *in c. ipso jure cit. V. processus* notat Laym. *num.* 3.

5

Quaeritur 5. quibus casibus validum sit rescriptum impetratum ab *excommunicato*? Resp. plures enumerari casus: hinc *num. praec.* addidi *regulariter* 1. validum est rescriptum, si illud excommunicatus impetraverit a papa super causa excommunicationis suae; alioquin non haberet medium necessarium ad sui defensionem *c. ipso jure* 1. *h. tit. in* 6. et ibi DD.

2. Si excommunicatus sit tantum conditionate; nam pendente conditione, vim suam excommunicatio nondum exerit, et cons. eum non impedit ab impetrando rescripto.

3. Si sit minor solummodo excommunicatio; nam nomine excommunicationis simpliciter, et absolute positae, intelligitur solum major.

4. Si impetrans rescriptum in excommunicationem primum incurrit post rescriptum justitiae impetratum; tali enim casu per excommunicationem non vitiaretur rescriptum, quamvis impetrans per exceptionem repelli possit.

5. Si papa excommunicationis conscius, rescripsit; quia tali casu praesumeretur dispensasse: et hinc ex praxi curiae romanae rescriptis fere omnibus praemitti solet absolutio a censuris, ut rescripta consequantur effectum.

6. Si rescriptum impetratum sit, et concessum ab episcopo, vel alio ordinario papa inferiore; quia appellatione rescripti, absolute prolati, solum veniunt responsa principis, qui superiorem non habet; igitur *c. hoc jure cit.* extendi non debet ad episcopalia, vel similia.

7. Si excommunicatus rescriptum impetravit ab imperatore, rege, vel alio principe saeculari; quia in praesentis rubricae textibus, ut bene advertit Pirh. *hic num.* 10. Vviest. *n.* 21. solum, vel saltem praecipue sermo est de rescriptis apostolicis: et propterea *c. hoc jure* dispositio, tanquam odiosa, de his solis debet intelligi.

Quaeritur 6. An quis non tantum pro se, sed etiam pro alio impetrare rescriptum possit? *Certum est*, neminem posse impetrare rescriptum justitiae, seu ad lites pro alio, sive nomine illius, sine speciali ejusdem mandato; nam hoc expresse vetatur *c. nonnulli* 28. §. *sunt et alii*, et *c. ex parte* 33. *h. tit.*

6

Dubium faciunt *c. ex parte cit.* verba ibi: *apostolicae litterae, quas sine speciali mandato domini quis impetrat, valere non debent:* quae verba cum significationem futuri temporis habeant, indicant ad rescripti irritationem opus esse exceptione; cons. illud non esse irritum ipso jure. Ita quidem putabat gloss. *in c. cit. V. speciali*, Abb. *in §. sunt et alii cit. n.* 6.

Sed melius Imol. *in §. cit. n.* 4. *in fin.* Zoef. *hic n.* 15. Pirh. *n.* 12. Viest. *n.* 33. affirmant, sic impetratum rescriptum esse ipso

jure irritum. Sumitur ex *l. licet* 24. *C. de procurat.* Ratio èst, quia qui speciali mandato non est instructus, ad hujusmodi rescriptum papale impetrandum inhabilis est ob defectum potentiae agendi; sed actus a persona inhabili procedens omnino nullus est; ergo etc. Et hoc verum est, etiamsi ejusmodi rescriptum principalis, cujus nomine impetratum est, postea ratum habeat; quia ratihabitio subsequens non retrotrahitur ad actum praestitum, quando is praestitus est a persona, quae intuitu boni publici inhabilis reddita est ad agendum, prout contingit in nostro casu.

Excipiuntur tamen 1. Personae conjunctae, ut sunt liberi, parentes, fratres, affines, liberti; nam hae personae, sicut agere possunt in judicio pro iis, quibus ita conjunctae sunt, dummodo de rato caveant, ita et impetrare pro illis rescripta possunt sine speciali mandato §. *sunt et alii*, et *c. ex parte citt. excipiuntur* 2. etiam aliae personae jure non expressae, si judicis arbitrio videantur ita affectae esse erga eos, pro quibus rescriptum impetrarunt, ut sine fraudis suspicione pro illis in judicio admitti possint, etiam sine speciali mandato: Abb. *in* §. *cit. n.* 10. ubi ait, personas in praecedente exceptione positas exempli loco dumtaxat enumeratas fuisse. *Excipitur* 3. procurator generalis; quia hic, sicut agere potest in judicio cum solo mandato generali, ita etiam absque mandato speciali, pro se tamen, et nomine proprio ad hujusmodi causas judiciarias impetrare rescriptum potest: Abb. *in* §. *cit. n.* 3. *Excipitur* 4. nisi aliter consuetudo obtineat; nam ut Navar. *cons.* 4. *hic num.* 9. cum aliis notat, defacto ex stylo, et praxi romanae curiae, valent rescripta ad lites, etiam sine speciali mandato pro extraneis impetrata.

Quaeritur 7. an speciale mandatum principalis requiratur etiam ad rescripta gratiae? Affirmat Abb. *in c.* 20. *de elect. n.* 10. motus istius *cap.* textu.

7

Sed tenenda est negativa sententia, quam etiam cum communiori defendit Suar. *l.* 6. *de legib. c.* 13. *a n.* 6. et colligitur ex *l. universis* 6. *C. de precib. Imperat. offerend.* ubi expresse permittitur rescripta impetrari pro alio etiam sine hujus mandato; cui legi derogatum nuspiam est a jure canonico quoad rescripta gratiae. Ratio est, quia ejusmodi gratiae a papa concedi possunt motu proprio etiam absenti, et ignoranti *c. accedens* 24. *de praeb.* et *c. si tibi absenti* 17. *eod. in* 6. ergo etiam concedi poterunt, alio interveniente, et petente pro alio, etiamsi mandatum petendi ab isto non habeat.

Adverto tamen, quod eo casu illi, cui impetratum est tale rescriptum, non acquiratur per illud jus in re ante acceptationem illius: quod adeo verum est, ut etiamsi impetrans pro ipso rescriptum, sit persona conjuncta, nequeat tamen sine speciali mandato illud ejusdem

nomine acceptare; quia acceptatio haec, seu consensus est actus personalis, qui fieri debet ab eo, cui concessa est gratia *c. si tibi absenti cit.* Quodsi tamen quis gratiam alteri factam hujus nomine acceptavit, satis est, ut is, cui concessa est gratia, acceptationem suo nomine factam ratificet, ut notat gloss. *in c. si tibi absenti cit. V. habueris:* cujus ratio est, quia acceptatio sine mandato facta solum irrita fuit ex defectu consensus illius, ad quem pertinebat dare consensum; sed hic per ratihabitionem suppletur; ergo etc.

Neque contrarium probatur ex textu *c. innotuit* 20. quo Abbas se fundat; quia ibi negata fuit gratia dispensationis, non quia petita fuit sine speciali mandato ejus, cum quo dispensandum erat; sed quia capitulares illegitime natum, omissa postulatione, contra jus tentarunt eligere, et confirmationem ejusdem petebant: quam merito negavit papa, ne videretur approbare factum capitularium.

§. II.

De rescriptorum forma.

SUMMARIUM

8 *Quae sit rescripti forma?*
9 *Quid exprimi debeat in rescriptis justitiae, seu ad lites?*
10 *Quid in rescriptis beneficialibus?*
11 *Quanta sit vis motus proprii?*
12 *Quae vis clausularum, quae vel addi rescriptis, vel subintelligi solent?*

8

Quaeritur 1. quae sit *rescripti* forma? Resp. Haec in legitima ejusdem expeditione consistit. Ad quam requiritur 1. ut nomen pontificis, vel imperatoris praeponatur, et annus incarnationis, item pontificatus (si sit rescriptum pontificium) vel imperii (si sit imperatoris) dies, consul, et indictio, locusque subjiciatur; alioquin rescriptum de falsitate suspectum redditur. *c. eam te 7. h. tit. c. inter* 6. *de fid. instrum.* et *l. si qua* 4. *C. de divers. rescript.*

2. Ut observetur stylus usitatus. Est autem stylus curiae romanae, ut pontifex in suis rescriptis patriarchas, archiepiscopos, episcopos *fratres*, reges autem, principes, et alios cujuscunque ordinis, sive clericos, sive laicos *filios* appellet; et cum uni tantum personae rescribitur, numquam fit usus pluralis numeri: quae si in rescripto aliquo neglecta fuerint, id falsum censebitur. *c. quam gravi* 6. *de crim. fals.*

3. Ut rescripta gratiae bullentur cum filo serico rubro, et croceo: rescripta justitiae autem cum filo cannabis, in quo plumbum pendet: et hinc *c. quam gravi cit. in fin.* pontifex monet ad deprehensionem falsi praeter alia diligenter filum bullarum inspiciendum esse.

4. De jure communi imperiale rescriptum debet scribi scriptura purpurea, signarique ardore cocti muricis, et triti conchylii. *l. sacri* 6. *C. de divers. rescript.* sed haec forma in desuetudinem abiit, ut testatur Brunnem. *ibid. num.* 3.

5. Litterae etiam gratiae, continentes dispensationes, interinari, seu examinari debent ab ordinariis, seu commissariis, num petita sint vera; et quidem si contineant rescriptum justitiae, coram partibus: et ratio est; quia in omni rescripto pontificio subintelligitur clausula *si preces veritate nitantur*, vel *si ita est. c. ex p.* 2. et *c. ex parte* 12. *h. tit.* Imo rescripta imperialia non aliter de jure valent, nisi dictam clausulam expresse contineant per *l. fin. C. de divers. rescript.* relatam *can. dicenti* 16. §. *universa caus.* 25. *qu.* 2.

9

Quaeritur 2. quid exprimi debeat in *rescriptis justitiae*, seu *ad lites*? Resp. 1. si in eadem causa vel ab una solum parte, vel utriusque consensu impetratum jam sit rescriptum ad judices delegatos, ut secundum valeat, in hoc mentio fieri debet prioris rescripti *c. ceterum* 3. *h. tit.* Ratio est, quia si papa, vel princeps recordatus fuisset prioris rescripti, posterius, vel omnino non, vel non eodem modo concessisset, ut adeo censeatur citra ejus consensum extortum.

2. Si reus extra dioecesin propriam ultra terminum a jure praescriptum (qualis antiquo jure erant duae dietae, novo una) ad judicium trahatur, debet fieri mentio dietarum, *c. statutum* 11. §. *cum vero h. tit. in* 6. quia non praesumitur pontifex, nisi hoc exprimat, velle in tam remotum locum vocari partem cum tanto ejus incommodo.

3. Si per rescriptum mandatur restitutio spoliati contra judicem, qui per sententiam ipsum spoliavit beneficio suo, debet fieri mentio causae spoliationis *c. dilectus* 27. *h. tit.* quia non solet pontifex dare rescriptum in forma communi in tali casu adversus judicem, priusquam constet, an judex, partem spoliando, juste, vel injuste processerit.

4. Si rescriptum impetretur adversus personam privilegiatam, debet exprimi conditio personae privilegiatae, saltem quando privilegium respicit exceptionem dilatoriam, et dat formam rescripto impetrando, ut si sit persona miserabilis, vel scholaris. Innoc. *in c.* 38. *de offic. jud. deleg.*

5. Si impetretur rescriptum super re litigiosa, debet fieri mentio litis pendentis supra illa re, et judicis, coram quo lis inchoata, et processus pendet; Felin. *in c.* 20. *h. tit. n.* 12.

6. Multo magis mentio fieri debet si super re, super qua rescriptum est impetratum, est jam in causa conclusum, sententia lata, vel appellatio interposita. *c. ex parte* 12. *h. tit.* et *c. bonae* 3. *de confir. util. et inutil.*

7. Quod etiam dicendum, si causa jam sit terminata transactione, vel pronuntiatione arbitri compromissarii; quia pontifex litem, laudo, vel transactione finitam, non censeretur per rescriptum suum resuscitare velle.

8. Denique si ad instantiam partis committatur alicui inquisitio specialis contra aliquem, debet in rescripto fieri mentio diffamationis, vel indiciorum huic aequivalentium. *c. inquisitionis* 21. §. *tertiae c. qualiter* 24. *de accusat.* et *c. si is.* 2. *eod. in* 6.

10

Quaeritur 3. quid exprimendum sit in *rescriptis beneficialibus?* Resp. in his adhibendam esse distinctionem; aliqua dantur *in forma pauperum*, seu *in forma communi*, quibus mandatur conferri beneficium clerico pauperi: et haec vocantur *rescripta justitiae;* quia aequum est clerico provideri de beneficio, si alias cogeretur mendicare. Alia vero dicuntur *rescripta gratiae*, quae a curia romana emanant etiam pro clericis non indigentibus; et haec sunt iterum duplicis generis, videlicet *in forma gratiosa*, et *in forma dignum.*

Quando in forma *gratiosa* dantur, clericus iis instructus supponitur dignus beneficio, quo providetur, sed tantum datur mandatum ad deputatos executores, ut provisum in possessionem inducant. Quando autem dantur sub forma *dignum*, etsi impetranti aliquando ad beneficium tribuatur jus, provisio tamen de illo non fit Romae a papa, sed facienda, vel saltem per tituli collationem perficienda committitur dioecesis ordinario, cum mandato, ut praemisso examine, clerico, pro quo scribitur, si idoneus reperiatur, conferat beneficium.

Jam in his rescriptis servandae sunt istae regulae. 1. Si rescriptum detur *in forma pauperum*, seu *communi*, debet fieri mentio patrimonii; alias erit invalidum; et ratio est, quia per ejusmodi rescripta providetur solum clericis pauperibus, sed non potest dici pauper, qui sufficiens patrimonium habet; ergo etc.

2. Tam in rescriptis justitiae, quam in rescriptis gratiae *sub forma gratiosa* debet exprimi illius, pro quo rescribitur, habilitas, vel potius defectus, quo absque dispensatione redditur incapax beneficii, alias si talis defectus reperiatur, et de hoc non sit facta mentio in rescripto, repellendus est, cum papa non praesumatur relaxare jus, quando illud non exprimit.

3. Tam in rescriptis gratiae, quam in rescriptis justitiae beneficialibus exprimendum est beneficium ante obtentum, etiam unicum *c. cum adeo* 17. *h. tit.* Venit autem nomine beneficii hoc loco etiam

beneficium tenue *c. si proponente* 42. *eod.* etiam vicaria, si sit perpetua, *c. postulasti* 27. *eod.* imo et pensio, si in titulum beneficii detur; cum enim in locum beneficii succedat, perinde est, ac si quis beneficium haberet: Cockier *in reg.* 61. *cancell. num.* 29.

4. Exprimenda etiam est qualitas beneficii ante obtenti, v. g. an sit dignitas, vel personatus *c. ad aures* 8. *h. tit.* an sit curatum *c. cum in illis* 16. *in princ. de praeb. in* 6. an residentiam perpetuam exigens. arg. *cap. fin. de cleric. non resid.* an patronatum, vel electivum, aut unitum alteri beneficio. Menoch. *de arbitr. c.* 201. *num.* 71. 84. *et* 91. quia pontifex non censetur velle derogare juri electorum patronorum, praesertim laicorum etc. si non exprimat.

5. Exprimi debet, an sit beneficium ecclesiae cathedralis; quia hoc non venit nomine beneficii in rescriptis ambitiosis *c. quamvis* 4. *de praeb. in* 6. an sit beneficium regulare, si saecularis, vel saeculare, si regularis pro eo supplicet; quia regulariter beneficia saecularibus, et regularia regularibus conferri debent *c. cum de beneficio* 5. *de praeb. in* 6.

6. Exprimendus etiam valor, seu quantitas redituum beneficii juxta praxim, et stylum romanae curiae. Franc. *in c.* 21. *de praeb. in* 6. *n.* 3. Cockier *in reg.* 61. *cancell. num.* 21. qui tamen *n. sequent.* notat, hodie ex generali consuetudine canonicatus omnes Germaniae, et Hispaniae rescribi ad 24. ducatos, idque, ut vitentur annatae: et ita se habent concordata Germaniae teste Branden *super concord. germ. not.* 2.

7. Exprimendus modus, quo vacat beneficium, pro quo supplicatur, an morte, resignatione etc. inducta vacatio sit *c. susceptum* 6. *h. tit. in* 6. item persona, per cujus obitum e. g. illud vacat, si talis illa sit, ut papa non credatur provisurus de beneficio, nisi illa rescita. Menoch. *de arbitr. l.* 2. *cas.* 201. *n.* 135.

8. Exprimi debet, si jus ad, vel in beneficio, quod per rescriptum impetratur, competat alteri. Menoch. *num.* 138. quia papa jus alteri competens tollere, vel ei derogare non creditur, nisi hoc exprimat.

9. Exprimendum est, etsi alius sit tantum in possessione colorata *c. cum nostris* 6. *de concess. praeb.* imo si solum sit detentor beneficii per aliquod tempus, nisi aperte sit injustus; quia possessione, non notorie injusta, dejici nemo sine causae cognitione assolet.

10. Denique facienda mentio rescripti primi super beneficio ab alio impetrati *c. audientiam* 31. *h. tit.* Proceditque hoc, etsi impetrans mandato illi prius impetrato renuntiarit: et ratio est, quia si prius mandatum hoc expressum fuisset in supplicatione, verisimiliter papa posteriores litteras non concessisset.

11

Quaeritur 4. quando rescriptum, seu litterae principis, vel papae censeantur datae *ad instantiam*, et quando *motu proprio ?* et quanta sit vis *motus proprii ? Resp. Motu proprio* tunc dicitur concedi gratia, quando ejus concessionem vel non praecessit impetrantis petitio, vel si praecessit, concedens tamen ad concessionem faciendam non est motus petitione, sed potius proprii animi motu, et libertate. Contra *ad instantiam* concessa censetur gratia, quando ad ejus concessionem princeps inductus est impetrantis pro ea precibus, ac petitione. Praesumitur autem concessa ad *instantiam*, quoties *motu proprio* concessum litteris non est expressum, prout habetur *c. si motu* 23. *de praebend. in* 6.

Porro clausulae istius *motu proprio*, si rescripto, vel potius litteris suis adjiciat princeps, ea vis est, ut quamvis non tollat obreptionem, commissam per narrationem falsi, tollat tamen regulariter subreptionem commissam per reticentiam veri, seu alicujus veritatis de jure, vel stilo curiae exprimendae. Ita gloss. *in c.* 23. *V. modicum de praeb. in* 6. Felin. *in c.* 8. *hinc n.* 9. Pirh. *h. tit. num.* 111. Hinc validum est rescriptum motu proprio concessum, quando impetrans reticuit beneficium tenue; non vero valet, quando beneficium, quod est curatum, dicitur simplex aut falsus ejus valor exprimitur. Ratio disparitatis est, quia quando tacetur veritas, pontifex ab illa ad concessionem non movetur; neque sciri potest, an bene informatus de rei veritate gratiam denegasset: imo cum ea gratia procedat ex mera liberalitate principis, potius praesumi potest, quod etiam veritate cognita, adhuc illam concessurus fuisset. E contrario, quando causa falsa exprimitur, satis apparet, quod concessio ex errore processerit, igitur *cum errantis nullus sit consensus*, ut dicitur *l. non idcirco* 9. *C. de jur. et fact. ignor.* neque clausula motus proprii firmabit gratiam.

Dixi *regulariter;* nam tres casus excipiendi sunt, in quibus motus proprius etiam non tollit subreptionem. 1. Quando veritas per reticentiam suppressa respicit jus tertii, cui per rescriptum praejudicatur; quia motus proprius jus quaesitum non aufert, nisi id exprimatur. 2. Quando suppressa est inhabilitas personae, v. g. irregularitas: quia motus proprius inhabilitatem non aufert, neque dispensationem inducit super impedimento; nisi aliquid addatur, quo rescribens indicet se dispensare, vel impedimentum velle tollere. 3. Quando tacetur qualitas beneficio intrinseca, ut quod sit curatum etc. cum enim pro diversis beneficiis diversa requiratur habilitas, praesumi non potest, quod papa per motum proprium beneficium quodlibet velit conferre cuilibet.

12

Quaeritur 5. quae sit vis aliarum clausularum, quae vel addi rescriptis, vel subintelligi solent? Resp. Praeter eam, de qua *num. prae-*

ced. motus proprii clausulae frequentiores, quae addi, vel subintelligi in rescriptis solent, sunt maxime quatuor. *Prima*, et maxime consueta est, *si preces veritate nitantur.* Hujus diversa vis est in rescriptis *gratiae, et justitiae;* nam rescriptum gratiae, si res non ita se habeat, ut in supplicatione rescripti dicitur, est ipso jure nullum, non vero rescriptum justitiae. Ratio disparitatis est, quia in rescriptis gratiae clausula illa inseritur ad demonstrandam intentionem concedentis gratiam, illam non concessuri, si falsa sint, quae proponuntur in supplicatione; at in rescriptis justitiae inseritur tantum ad institutionem judicis, quomodo secundum justitiam procedere debeat.

Secunda non minus usitata est; nam in omnibus rescriptis sive gratiae, sive justitiae subintelligi saltem debet et explicatur his verbis *salvo jure alterius:* et ratio est, quia papa, vel princeps non censetur velle derogare juri alterius, nisi hoc exprimat. Quo sit, ut rescriptum, quod in damnum alterius cedit, nisi in rescripto expressum illud sit, sit ipso jure nullum, saltem si grave sit: modicum enim praejudicium aestimari non solet. *c. ad aures* 8. *junct. gloss. V. intentionis h. tit.*

Tertia addi, vel subintelligi solent in rescriptis datis ad beneficia, et his verbis proponitur: *si is, cui datur beneficium ecclesiasticum, dignus sit,* h. e. si impedimentum canonicum nullum habeat. Haec tacite ipso jure inest collationi beneficii, non tamen facit illam conditionalem proprie; quia actu vel validam eam facit, si fiat digno, vel invalidam, si indigno.

Quarta additur rescriptis derogatoriis privilegiorum, et effertur his verbis: *non obstantibus quibuscumque privilegiis, sub quacumque verborum forma concessis:* Ad hujus vim explicandam necesse est distinguere inter privilegia corpori juris communis inserta, et inter illa, quae jure communi non sunt comprehensa; his per ejusmodi clausulam regulariter derogare velle censetur princeps, non illis. *Ratio de primis est*, quia privilegium insertum juri communi instar publicae legis esse censetur; ergo non praesumitur princeps, qui legum publicarum custos esse debet, ei velle derogare per clausulam generalem revocatoriam, sed opus est specifica derogatione. *Ratio de secundis*, quia cum papa privilegia omnia, et singula nosse nequeat, eo ipso revocare illa censetur, quod genere utatur, in quo ex natura sua omnes comprehenduntur species.

Addidi *regulariter;* nam 1. *excipiuntur* privilegia, quae ita concessa sunt, ut per nullam constitutionem revocata censeantur, nisi quae ipsorum expresse meminerit; nam haec generali revocatione non includuntur ex mente illa concedentis. *Excipiuntur* 2. privilegia concessa per modum contractus, v. g. in compensationem meritorum; quia per illa jus acquiritur privilegiato; juri autem alicui quaesito derogari, non nisi

ex gravi causa potest: opus igitur erit speciali mentione illorum, ut derogatum illis velle princeps cogitari possit.

§. III.

De vitiis rescriptorum, maxime de ob et subreptione illorum.

SUMMARIUM

13 *Enumerantur vitia rescriptorum.*
14 *Inter hæc præcipuum est ob-et subreptio.*
15 *Si rescriptum fraude vel dolo subreptitie sit impetratum, vitiatur totum.*
16 *Si per simplicitatem, vel ignorantiam, aliquando vitiat, aliquando non vitiat.*
17 *Vitiata una parte rescripti per ob-vel subreptionem, non vitiatur pars altera, quæ a vitiata est separabilis*
18 *An vitientur rescripta, si ex duabus causis in eo allegatis una sit falsa?*
19 *Quando vitientur per errorem adjectæ qualitatis*

13

Quaeritur 1. quibus modis vitiari, vel suspecta reddi rescripta possint? Resp. Id fieri pluribus modis posse. 1. Si emanarunt contra jus commune, non addita clausula derogatoria ejusdem *can. rescripta* 15. *caus.* 25. *q.* 2. quia non est verisimile, principem jus, tot vigiliis excogitatum, et inventum, uno rescripto tollere voluisse: ut adeo tale rescriptum suspectum sit saltem, ne sit supposititicium. 2. Si emanarunt contra consuetudinem legitime praescriptam, et stylum curiae, et speciali clausula non sint munita; quia princeps non censetur huic derogare, nisi exprimat *c. porrecta* 6. *de conf. util.* 3. Si per illud laedatur jus quaesitum alicui tertio, et rescriptum de eo mentionem non faciat; quia princeps, nisi hoc exprimat, non praesumitur alterius juri per rescriptum suum praejudicare: *c. super eo* 15. junct. gloss. *V. intentionis de offic. deleg.* 4. Si per aliquod rescriptum justitiae uni, vel pluribus certis judicibus committerentur omnia negotia tam praesentia, quam futura *c. adhaec* 10. *h. tit.* nam per ejusmodi rescriptum nimium praejudicaretur potestati judicis ordinarii, quod praejudicium facere papa non praesumitur. 5. Si in rescripto justitiae delegaretur judex incertus, ad arbitrium impetrantis eligendus, non addita clausa *ex certa scientia. c. adhaec cit.* quia impetrans posset eligere eum, qui sibi faveret, et adversae parti merito esset suspectus. 6. Si in rescripto committatur, aut mandetur aliquid insolitum, nimis durum, alienum

a recta ratione, aut contra publicam utilitatem *c. si quando* 5. *h. t. c. cum teneamur* 6. *de praebend. et novell.* 134. *c.* 6. 7. Si rescriptum contineat manifestum, et inexcusabile peccatum, vel errorem in latinitate, stylo curiae, vel camerae apostolicae recepta. *c. ad audientiam* 11. *h. tit.* cum enim ejusmodi rescripta per manus multorum officialium transeant, non est verisimile, illos non correxisse, vel emendasse errorem, si illud rescriptum emanasset ex curia. 8. Si contineat rasuram, lituram, cancellationem in loco suspecto, seu parte rescripto substantiali *c. inter* 6. *de fid. instrum.* 9. Si careat debita forma, aut solemnitate, quae in praxi, aut stylo curiae recepta est *arg. l. jubemus* 29. *C. de testam.* 10. Denique, et praecipue vitiantur rescripta per ob-et subreptionem. De qua

14

Quaeritur 2. quid sit *ob et subreptio?* et quomodo rescripta per illam vitientur? Saepe obreptio cum subreptione confunditur, proprie tamen diversum quid sonant; nam *obreptio* proprie committitur per narrationem, vel expressionem falsi; *subreptio* per reticentiam, sive suppressionem veri. Quocumque modo ex istis vitietur rescriptum, non prodest impetrantibus. Ratio est, quia ut *n.* 12. dictum est, in omni rescripto exprimitur, vel subintelligitur clausula *si ita est, si preces veritate nitantur;* atqui ob et subreptio veritatem tollit: haec quidem eam tacendo; illa autem falsitatem ponendo. Igitur quacumque ex is interveniente, vitiatur rescriptum; nec immerito; cum enim tali casu rescriptum procedat ex ignorantia, vel errore, merito praesumitur deesse consensus in rescribente, utpote cui nihil magis est contrarium, quam error, prout dicitur *l. si per errorem* 15. *ff. de jurisdict.*

Discrimen tamen aliquod faciendum est inter rescripta gratiae, et rescripta justitiae; nam rescripta gratiae ipso jure sunt irrita, si ob vel subreptitie impetrata sint per textus *c. ad audientiam* 31. *h. tit. c. si motu* 23. *de praeb. in* 6. et *Clem.* 1. *eod.* at rescripta justitiae communiter, et ordinarie solum sunt irritanda ope exceptionis *c. si autem* 9. et *c. plerumque* 23. *h. tit.* Ratio discriminis est 1. quia facilius conceduntur litterae justitiae, quam gratiae, ideoque hae etiam citius, et facilius redduntur irritae, praesertim quia magis ingratus censetur, qui beneficium vel gratiam per ob vel subreptionem obtinet. 2. Rescripta gratiae impetranti tribuunt jus v. g. in, vel saltem ad beneficium, et sic negotium quasi definiunt, et determinant: cons. majoris sunt praejudicii, quam rescripta justitiae, quae negotium tantum praeparant, jus declarando, dando judicem, modum procedendi praescribendo, ut recte negotium definiri possit. 3. Rescripta gratiae non respiciunt litigantem, cujus intersit de ob vel subreptione excipere, sicut ea, quae sunt justitiae: proinde majus est periculum inde-

biti usus in primis , quam in secundis : et cons. major erat necessitas irritandi illa , quam ista.

15

Quaeritur 3. quibus modis contingat obreptio ? Resp. Obreptio , *ut n. praec.* dictum est , contingit expressione falsi ; subreptio autem taciturnitate veri. Utrumque debet esse de re tali , quae ad negotium , de quo datur rescriptum , per se , seu intrinsece pertineat , adeoque necessario sit exprimenda. Quaenam autem exprimenda sint in rescripto , dictum est *n.* 9. *et* 10. Porro reticentia haec veritatis exprimendae , et expressio falsitatis in rescripto, vel potius supplicatione pro rescripto dupliciter fieri potest , videlicet , 1. per dolum , 2. per simplicitatem , et ignorantiam.

Hinc 1. dubitatur , quomodo vitientur rescripta ob vel subreptitie impetrata per dolum ? Videtur , ea saltem non omni ex parte vitiari ob textum *l. praescriptione* 2. *C. si contra jus etc.* ubi habetur , rescriptum principis per mendacium impetratum valere quoad judicem in eo datum , eique jurisdictionem tribuere , ut de veritate negotii principalis possit cognoscere.

Sed dicendum. Si rescriptum sit ob vel subreptitie impetratum fraude vel dolo , illud vitiari totum , seu quoad omnes partes , si illae tendant ad unum , eundemque finem. Colligitur ex *c. sedes* 15. *c. ex tenore* 16. et *c. super litteris eo h. t.* Ratio est , quia mendax precator indignum se facit favore rescripti : unde in suae perversitatis poenam merito hoc favore privatur ; ne ex delicto suo commodum referat. *Proceditque hoc* 1. non tantum de rescriptis justitiae , sed etiam gratiae ; nam etsi textus *citt.* de primis solum loquantur , ex communi tamen DD. et interpretum extenduntur etiam ad rescripta gratiae , quod ista , cum fere juris relaxationes sint , magis sint odiosa quam ea , quae lites concernuntur , et propterea facilius vitientur. *Procedit* 2. etiam de privilegiis , et aliis litteris gratiosis ob eandem rationem. *Procedit* 3. etiamsi expressio falsi , vel suppressio veri non fuerit causa concessionis rescripti , quia distinctio illa , an papa , vel princeps adhuc dedisset litteras necne , solum locum habet , quando ob vel subreptio contingit per simplicitatem , vel ignorantiam , non vero quando per dolum ; tunc enim in poenam doli , et malitiae indistincte vitiatur rescriptum. Debet tamen res , quae subticetur , aut falso allegatur , ut in principio *numeri praecedentis* monui, esse talis, quae secundum jura , et praxim curiarum pertineat ad substantiam causae.

Ad textum in contrarium allegatum, praeterquam quod textus iste procedat solum in rescriptis imperatoriis , ut recte ad *l. cit.* notat Bald. *n.* 13. dici praeterea potest cum Abb. *in* 20. *c. n.* 3. ibi sermonem esse de mendacio non doloso , quod non ex proposito , et sine animo decipiendi committitur , sed commissum est per iguorantiam , vel erro-

rem. Vel si contendas, ibi sermonem esse de mendacio etiam doloso, dici cum gloss. *fin. in l. praescriptione cit.* potest, textum loqui, non de delegato, sed ordinario partium judice; nam hic jurisdictionem suam non habet ex rescripto, et propterea mirum non est, quod possit cognoscere de veritate negotii.

16

Quaeritur 4. an, et quomodo per ob, vel subreptionem vitientur rescripta, si illa sine dolo, per simplicitatem, vel ignorantiam contingit? Resp. cum distinctione: vel enim hoc casu suppressa veritas, aut expressa falsitas talis est, ut ea cognita, pontifex negaturus fuisset rescriptum; vel talis e contra, ut adhuc illud fuisset concessurus, quamvis non in ea forma, qua illud concessit. *Si primum*, ob, vel subreptio, tametsi ex simplicitate, vel ignorantia, vitiat rescriptum, prout habetur *c. super litteris* 2. *h. tit.* de rescriptis justitiae; de rescriptis gratiae autem colligitur ex *c. constitutus* 19. *eod.* ubi generaliter, adeoque etiam per simplicitatem vel ignorantiam facta, subreptio in impetratione beneficii eandem inficere declaratur. Ratio est, quia in ordine ad valorem rescripti non tam spectatur culpa, aut ignorantia, vel error impetrantis, quam intentio concedentis, a qua vim suam rescriptum habet: haec autem in casu praesenti deest; ergo; etc. *Si secundum*, patet ex *c. super litteris cit.* rescriptum justitiae non vitiari: cons. poterit et debebit eo casu judex delegatus procedere in causa sibi per tale rescriptum commissa, non tamen secundum formam eo praescriptam, sed ordinariam. Ratio est, quia subreptio non dolosa non reddit vitiosum rescriptum, nisi quatenus est causa concessionis; si ergo fuit causa inductiva solius formae accidentalis rescripti, videlicet quoad specialem modum procedendi, tantum vitiabit specialem formam rescripti, non vero ejus substantiam, quae in jurisditione consistit, cujus subreptio non fuit causa, quippe cum illam princeps dedisset, quamvis non intervenisset subreptio.

De rescriptis gratiae in hoc secundo casu major est dubitatio. Videntur valere hoc casu. 1. ex *c. gratia* 7. *h. tit. in* 6. ubi statuitur, gratiae litteras non infici reticentia beneficii, quod impetranti, absenti, et ignoranti ab episcopo collatum fuit, si tale illud fuit, ut papa rescribens illud adhuc concessurus fuisset, quamvis alio modo, si collationem ita factam scivisset: 2. ex *c. si pro clericis* 8. *de praeb. in* 6. ubi reticentia defectus ordinis non vitiat litteras beneficiales, si qui eas impetravit, ordines in beneficiato requisitos intra tempora jure statuta suscipere possit. 3. Ex pluribus *decisionibus rotae*, praesertim *in una senensi*, ubi pro valido habetur rescriptum ad thesaurariam, sive sacristiam, impetratum sub nomine dignitatis, licet postea compertum fuerit, illam non dignitatem sed officium esse 4. *Ex ratione;* quia expressio falsitatis, et veritatis reticentia non do-

losa id solum vitiat, quod causat: atqui casu, quo papa adhuc daturus fuisset rescriptum veritate cognita, expressio falsitatis, et veritatis reticentia non fuit causa rescripti; ergo etc.

Sed dicendum, etiam rescriptum gratiae vitiari, si veritas alias de jure, vel stylo curiae exprimenda, per simplicitatem, vel ignorantiam expressa non fuit, et haec reticentia, vel falsitas fuit causa finalis rescripti. Ita communis cum gloss. *in c. si motu* 23. *v. taceatur de praebend. in* 6. Clarus est *c. istius* textus; nam ibi pontifex generaliter decernit, vitiari rescriptum gratiae ad instantiam concessum per reticentiam beneficii, quantumcumque modici, ante obtenti. Ratio est, quia tali casu desideratur aliquid, quod ad formam rescripti pertinet. Igitur cum forma det esse rei, ea deficiente, actus jure non subsistit.

Neque contrarium efficaciter probant rationes allatae. *Ad* 1. *c. gratia cit.* non fuit suppressa veritas de jure, vel stylo curiae exprimenda in rescripto; cum enim in casu illius fuerit beneficium collatum ignoranti, per eam collationem ante acceptationem non fuit acquisitum jus absolutum in beneficio, sed solum facultas juris in eo per acceptationem acquirendi: atqui nullo jure requiritur, ut talis facultas exprimatur in rescripto: ergo etc. *Ad* 2. pariter non debet in rescripto exprimi defectus ordinis, quia ut provideri aliquis de beneficio, certum ordinem exigente, possit, sufficit, si ordinem talem intra annum suscipiat: mirum igitur non est, quod reticentia defectus ordinis non vitietur rescriptum. *Ad* 3. ibi nomen dignitatis expressum non fuit causa determinationis gratiae, sed demonstrationis tantum; intendit enim pontifex conferre thesaurariam, aeque collaturus, si nominata fuisset officium: atqui, ut *num.* 18. dicam, falsa demonstratio, quando de re constat, non vitiat rescriptum. *Ad* 4. expressio falsitatis, et reticentia veritatis, etiam per simplicitatem facta, si de jure, vel stylo curiae in rescripto debuisset exprimi, causat defectum formae; formae autem defectus inducit nullitatem rescripti; ergo etc.

17

Quaeritur 5. an vitiata una parte rescripti per ob, vel subreptionem, vitientur etiam aliae partes ejusdem rescripti? Resp. cum distinctione. Vel enim partes rescripti ceterae connexae sunt cum parte, quae ob, aut subreptionem continent, quia v. g. ad unum finem tendunt, vel non sunt ita connexae, sed ab hac separabiles.

Si primum, satis convenit inter DD. eo casu vitiata per ob, vel subreptionem una parte, etiam corruere ceteras, cum connexorum sit eadem ratio. *Si secundum*, non obstante, quod rescriptum secundum unam partem sit ob, vel subreptitium, non tamen per hoc vitiantur partes ceterae rescripti, in quibus nulla intervenit ob, vel subreptio. Ita Abb. *in c.* 15. *h. tit. n.* 4. Felin. *ibid. n.* 2. Gaill. *l.* 1.

obs. 14. *n.* 4. et colligitur ex *c. si eo tempore* 9. *h. tit. in* 6. ubi litterae impetratae ad beneficium cum cura, vel sine cura, tacito defectu aetatis ad curatum insufficientis, etsi propterea invalidae sint quoad curatum, valere tamen asseruntur quoad beneficium simplex, si precator ad hoc habeat sufficientem aetatem.

Ratio est, quia *utile per inutile vitiari non debet*, quando sunt ad invicem separabilia juxta *reg.* 36. *in* 6. *junct. gloss. ibid.* Et *confirmatur:* nam quando diversae gratiae, nullam inter se connexionem habentes, in eodem rescripto conceduntur, sunt virtualiter duo rescripta, et mere per accidens, et materialiter est unum rescriptum. *Proceditque* hoc, etiamsi in parte vitiosa intervenerit ob vel subreptio per dolum, et non tantum per ignorantiam; quia irritatio rescripti ob dolum, in eo impetrando commissum, est poena a jure statuta in odium doli; poenae autem strictae interpretationis sunt: igitur ad partes rescripti non connexas cum parte vitiosa, extendi non debet.

18

Quaeritur 6. an subsistat rescriptum, in quo ex duabus causis, simul; et copulative allegatis, una vera, altera falsa est? Resp. probabiliter subsistere, dummodo causa, quae vere allegata est, ad gratiam, quae rescripto concessa est impetrandam de jure, vel stylo curiae sufficiat, et altera, quae falso est allegata, non sit de substantia rescripti, et causa finalis unica. Ratio est, quia quando copulative exprimuntur duo, quorum singula de jure vel consuetudine sufficiunt, propositio copulativa sesolvitur in disjunctivam arg. *l. saepe* 53. *in princ. ff. de V. S.* atqui, quando disjunctive narrantur duae causae, ut rescriptum non fiat ob, vel subreptitium, sufficit alterutram esse veram; ergo etc.

Dixi autem *si altera causa falso allegata non sit finalis etc.* scilicet talis, qua non expressa, princeps rem petitam non concessisset; tunc enim clarum est, rescriptum vitiari, cum desit consensus rescribentis. Porro, an aliqua causa finalis sit, an vero impulsiva tantum, si id verbis rescripti non satis constet, arbitrio judicis definiendum erit, qui ad judicium prudens in hoc ferendum in consilium adducet circumstantia rescripti, maxime stylum curiae, et consuetudinem principis. Quodsi, omnibus consideratis, remaneat dubium ex utraque parte aequale, benignius sentiunt, qui tali casu docent, in omnibus litteris gratiosis causam ex duabus tacitam, vel falso expressam censendam esse potius impulsivam tantum, ex generali principio, quod in dubio praesumendum sit pro valore actus, si is in nullius praejudicium cedat.

Aliud dicendum, quando unica solum causa in rescripto exprimitur; nam haec finalis, non impulsiva censeri debet: cons. si falsa illa sit, irritum erit rescriptum. Ratio est, quia princeps non cense-

tur concedere velle rescriptum sine vera aliqua causa, ut patet ex clausula apponi solita *si preces veritate nitantur*. Motus autem praesumitur causa in rescripto expressa; igitur hac non subsistente, cum alia tali casu non exprimatur, censeri debet concedere noluisse rescriptum: cons. rescriptum irritum erit ex defectu consensus.

19

Quaeritur 7. an rescripta vitientur per errorem adjectae qualitatis? Resp. cum distinctione, an qualitas talis adjecta sit per modum taxationis, vel per modum demonstrationis tantum. *Si per modum taxationis, vel restrictionis, aut determinationis*, ut alii loquuntur, vitiatur rescriptum, etsi error ejusmodi non sit causa rescripti; quia talis error redundat in personam, aut substantiam rei, quae per qualitatem illam determinatur, et restringitur. *Proceditque* hoc tam in rescriptis justitiae, quam in rescriptis gratiae. *In rescripto justitiae* exemplum est, siquis impetravit rescriptum contra debitorem suum, allegando per errorem causam mutui, cum tamen ipse sit debitor ex causa emptionis venditionis; nam causa mutui, quoad substantiam, alia est, quam causa emptionis venditionis: cons. causa mutui, per errorem allegata ab impetrante, se habet per modum determinationis, et vitiat rescriptum. Exemplum in *rescripto gratiae* habetur *c. susceptum* 6. *h. tit. in* 6. ubi proponitur casus, quo pontifex per rescriptum mandat conferri beneficium vacaturum per resignationem, et statuitur, si resignaturus beneficium, antequam illud actu resignet, moriatur, eum, qui impetravit rescriptum, non posse vi illius obtinere illud beneficium: quia in rescripto restrictio facta est ad certum modum vacationis, nempe per resignationem, qui prorsus diversus est a modo vacationis per mortem.

Quodsi autem secundum contingat, et qualitas per errorem addita se habeat solum per modum demonstrationis, per ejusmodi errorem non vitiatur rescriptum, modo de substantia rei constet, et etiamsi sine tali errore concessio, vel dispositio eodem modo fuisset facta. Casus est, si e. g. aliquis petiit dispensationem in aetate ad ordines suscipiendos, et in rescripto dispensationis dato appellatur Michael, cum revera vocetur Joannes, aut si per errorem dicatur esse natione germanus, cum revera sit polonus: tale enim rescriptum, non obstante hujusmodi errore, validum est, nam et legata cum hujusmodi errore valent, ut habetur *l. siquis* 4. *ff. de legat.* 1. *l. demonstratio* 17. §. *igitur* 1. *et l. falsa* 33. *ff. de condit. et demonstr.* Ratio a priori est quia nomina inventa sunt personarum, aut rerum significandarum gratia: igitur etsi in nomine, vel aliis signis, aut qualitatibus, rei demonstrandae causa adjectis, erretur, id nihil obest concessioni, vel dispositioni, si de re ipsa quolibet alio modo constet. §. *siquidem* 29. *et* §. *sed inst. de legat.* Addidi *modo sine tali errore concessio eo-*

dem modo fuisset facta ; secus enim vitiaretur scriptum , ut si pontifex jubeat beneficium conferri Titio , quod alias conferri solitum erat solis Germanis , Titius vero non sit Germanus , sed Italus : et ratio est , quia tali casu error in qualitate redundat in personam , et voluntas concedentis deest.

§. IV.

De rescriptorum praesentatione.

SUMMARIUM

20 *Quando rescriptum , legitime impetratum praesentari debeat judici delegato , vel executori gratiae in eo nominato ?*

21 *Quem effectum habeant , si legitimo tempore sint praesentata ?*

22 *Quale tempus in rescriptis justitiae sit attendendum* , datae , *an* presentatae ?

23 *Quale in litteris gratiae ad beneficia ?*

20

Quaeritur 1. quando rescriptum , legitime impetratum , praesentari debeat judici per illud delegato , vel executori gratiae in eo nominato ? Resp. Distinguendo : vel enim a rescribente praefixum est certum tempus , vel non est praefixum. *Si primum* , intra illud tempus necessario praesentandum est , alias evanescet : et ratio est , quia rescriptum omnem vim suam habet ex principis voluntate , qui tali casu vult solum illud habere vim , si intra tempus , quod ipse praescripsit , praesentetur.

Si secundum , distinguendum est inter rescripta gratiae , et justitiae. *Rescripta gratiae* quocumque tempore praesentari possunt , etiam post mortem concedentis ; nam perpetua sunt , nec morte concedentis , etsi res integra adhuc sit , perimuntur , ut patet ex *c. si super gratia* 9. *de offic. jud. deleg. in* 6. Ex quo *sequitur* , quod is , qui super beneficio litteras apostolicas prius accepit , in illius assecutione praeferendus sit illi , qui postea ad idem beneficium obtinuit alias , quamvis iste suas prius praesentarit , quam ille , modo non dolo , aut notabili negligentia praesentare distulerit *cap. tibi* 12. *in fin. h. tit. in* 6.

Aliud dicendum de *rescriptis justitiae , seu ad lites , et juris observantiam datis* ; nam in his attendendum est , an unicum dumtaxat super eadem causam impetratum rescriptum sit , an vero duo. *Si*

unum, eo utendi facultas durat tamdiu, quamdiu durat jus agendi, vel excipiendi, super quo impetratum est; quia ut liquet ex *l. falso* 2. *C. de divers. rescript.* rescripta etiam justitiae regulariter sunt perpetua. *At si duo sint impetrata*, et is, qui impetravit primum, eo, cum posset, intra annum per malitiam, vel negligentiam non fuit usus, rescriptum primum evanescit et convalescit secundum, licet istud absque mentione prioris impetratum fuisset, adeo, ut deinceps primus impetrans adversus posteriorem exceptionem opponere non amplius possit, prout in poenam doli, et negligentiae statuit Innocentius III. *c. plerumque* 23. *h. t.*

21

Quaeritur 2. quem effectum habeant rescripta, si valide impetrata, et legitimo tempore praesentata sint? Resp. Effectus illorum duplex est, alius specialis, alius generalis. *Effectus specialis* rescripti varius est pro varietate clausularum illi insertarum, quae modo restringunt, modo ampliant, aut exponunt concessionem. *Effectus generalis*, et cuilibet rescripto communis est, quod in negotiis, et inter personas, in quibus, et inter quas rescriptum conceditur, jus statuat, et ad observationem ejusdem obliget omnes, ad quos dirigitur. *l. quae ex relationibus* 2. *C. de legib.* Excipitur, nisi aliquid insolitum, a recta ratione alienum, vel contra publicam utilitatem mandetur; tunc enim rescripti executio suspendenda, et nova declaratio, seu jussio petenda, ut bene advertit Koning *hic n.* 8.

Dixi *in negotiis*, *et inter personas etc.* nam ad decidendam quaestionem, an ejusmodi rescriptum faciat jus commune, adhibenda distinctio est, et affirmandum, si emanet ad declarationem juris dubii, et obscuri; negandum autem, si de jure solum privato agatur. *Ratio primi* est, quia tale rescriptum est instar declarationis authenticae, quae ut *tit.* 2. *num.* 44. dictum est, vim legis habet. *Ratio secundi*; quia ut *l. leges* 3. *C. de legib.* dicitur, lex generalis solum illa est, *quae ad omnes jussa est pertinere.* Excipitur, nisi specialiter caveat princeps, ut hujusmodi rescriptum ubique, et omnes obliget: quod velle regulariter creditur, si ejus jussu, et authoritate inseratur corpori juris communis.

22

Quaeritur 3. quale tempus in rescriptis justitiae attendendum sit delegatis, seu executoribus per ea constitutis, *datae* an *praesentatae*? *Datae* tempus dicitur, quo litterae apostolicae sunt expeditae in curia romana; *praesentatae*, quo eaedem praesentantur delegato, vel executori illarum. Quo notato

Dicendum in his litteris attendendum esse aliquando tempus *datae*, aliquando *praesentatae*, aliquando aliud, nam 1. si quaeratur, an valide sit impetratum rescriptum, inspiciendum est tempus *datae*; ne-

que enim sufficit, quod tempore *preasentatae* impetrans rescriptum fuerit habilis ad illud impetrandum : et hinc si tempore *datae* is ligatus erat excommunicationis vinculo, rescriptum non convalescit, etsi tempore *praesentatae* ab ea sit absolutus.

2. Idem *datae* tempus attendendum est, quando dubitatur, ad quas causas, et actiones se illud extendat ; nam ad causas et actiones post impetrationem primum ortas, non extenduntur rescripta hujusmodi ex generali regula, quod in simplici, quamvis generali dispositione, si aliud non exprimatur, praesentia dumtaxat, non futura comprehendantur negotia, prout sumitur ex *Clem. fin. h. tit. et l. si scripsisset* 46. *de legat.* 2.

3. Si quaestio sit, quando judex in rescripto delegatus jurisdictionem accipiat, inspiciendum est tempus *praesentatae*, ut colligitur ex *c. super eo* 11. *de appellat.* et ratio est, quia jurisdictio non nisi scienti, et acceptanti acquiritur.

4. Idem *presentatae* tempus attendi debet, quando quaeritur, num acta judicis delegati, per rescriptum revocati, sint valida ; valent enim tamdiu, quamdiu rescriptum revocatorium potestatis eidem non praesentatur. *c. audita* 4. *de restit. spol.*

5. Denique si quaeratur, an jurisdictio per rescriptum data morte rescribentis sit extincta, spectari debet tempus citationis factae ; si enim haec ante mortem rescribentis sit facta, perpetuatur jurisdictio, nec morte rescribentis cessat ; secus, si post mortem ejusdem *c. gratum* 20. et *c. licet* 39. *de offic. deleg.*

23

Quaeritur 4. quale tempus attendendum sit in litteris gratiae, quibus papa alicui providet, aut provideri mandat de beneficio ? Resp. Regulariter in his inspiciendum esse tempus *datae*, prout colligitur ex *c. eam te* 7. *h. tit.* et *c. eo tempore.* 9. *eod. in* 6.

Dixi *regulariter ;* nam aliquando attendendum etiam in rescriptis gratiae, seu beneficialibus est tempus *praesentatae.* I. Ut executor in ejusmodi rescripto designatus exequi illud possit ; nam ante litterarum praesentationem executio illarum inchoari non potest *arg. c. super eo* 12. *de appellat.*

2. Ut sciatur, an inhabilitas personae, pro qua rescriptum est, orta ex defectu aetatis, vel alio, ipsam impediat a consecutione gratiae, quae rescripto est impetrata ; nam si defectus talis sit, ut ejus reticentia subreptionem non inducat, valet rescriptum, modo is, pro quo scriptum est, tempore *praesentatae* reperiatur habilis. Patet ex *c. si cui* 29. *de praeb. in* 6. vi cujus illi, qui impetravit mandatum de conferenda sibi praebenda proxime vacatura, si primo vacet praebenda sacerdotalis, conferri debet, etsi tempore *datae* ob aetatem non fuerit ejusdem capax, modo capax actu sit tempore executionis, seu

vacationis, et collationis beneficii. 3. Ut vi rescripti conferri alicui beneficium certae qualitatis in rescripto expressae possit; sufficit enim, quod tale beneficium qualitatem in rescripto denotatam habeat tempore vacationis, et collationis, etsi tempore *datae* non habuerit. Et hinc si alicui ex rescripto apostolico providendum sit de beneficio simplici, conferri eidem beneficium potest, quod tempore executionis est simplex, quamvis tempore *datae* curatum fuerit: item si papa jubeat conferri alicui beneficium certi valoris, is consequi vi talis mandati potest beneficium, quod tempore collationis sibi factae habet valorem in rescripto expressum, licet tempore *datae* notabiliter istum excesserit. Felin. *in capit.* 7. *h. tit. num.* 22.

4. Ut executioni mandari possint litterae in forma *dignum* expeditae ad executorem cum clausis *si tibi constiterit, si impetrantem idoneum esse repereris, si preces veritate niti inveneris etc.* nam ut Garc. *p.* 6. *de benef. cap.* 2. *n.* 277. advertit, tali casu sufficit, si ejusmodi clausulae executionis tempore verificentur, quod illa verba tempus futurum denotent; qualitas autem adjecta verbo ad istius tempus referatur *arg. l. in delictis* 4. §. *si extraneus* 1. *ff. d. noxal. act.*

5. Idem dicendum monet Laym. in *c.* 19. *h. tit. n.* 7. *prope finem*, si papa dispensationem in impedimento, vel alia inhabilitate committat cum clausula, *si causa rationabilis urgeat, si revera adsit necessitas etc.* nam eo casu dicit sufficere, si causae subsistant tempore dispensationis a commissario faciendae *arg. c. ei cui* 29. *de praeb. in* 6.

§. V.

De rescriptorum interpretatione.

SUMMARIUM

24 *Rescripta justitiae regulariter interpretari debent secundum propriam significationem verborum.*
25 *Et secundum jus commune.*
26 *Ac stricte.*
27 *Ita ut quam minimum afferant praejudicium.*
28 *Interpretationem strictam habent etiam rescripta ad beneficia,*
29 *Aliquot sequèlae inferuntur.*
30 *Dispensationes regulariter stricte interpretari debent.*

24

Quaeritur 1. quomodo interpretari oporteat rescripta justitiae, seu ad lites? Resp. Ad horum legitimam interpretationem faciendam ponuntur sequentes regulae 1. interpretatio illorum regulariter facienda est secundum propriam, et communi usu, praesertim curiae, ex qua emanant, receptam significationem verborum; nam in hoc sensu censetur locutus fuisse princeps.

25

Regula 2. in dubio, quando non constat de contraria voluntate rescribentis, intelligi, et explicari debent secundum jus commune, ne illi derogent, etiamsi necessarium foret a verborum proprietate recedere, et clausulam adjectam transponere *c. causam* 18. *h. tit.* Ratio est, quia non censetur papa, vel princeps velle decernere aliquid, quod sit juri communi contrarium, nisi expresse ei deroget per clausulam *non obstante tali lege l. rescripta* 7. *C. de precib. imp. offer.* et *l. fin. C. si contra jus, vel util. reip.* Hinc casu, quo ordo, aut constructio verborum in rescripto justitiae aliam explicationem, et sensum non admittit, nisi qui contrarius sit juri communi, potius praesumendum est, errore scriptoris verba fuisse transposita, vel aliter mutata.

26

Regula 3. in rescriptis justitiae stricta interpretatio fieri debet *c. causam cit.* Ratio est, quia per illa detrahitur jurisdictioni ordinarii: deinde sunt odiosa, cum praebeant ansam, et materiam litigandi. Hinc ejusmodi rescripta ad casum, vel personam eo non expressam, vel conjunctam cum casu, vel persona expressa extendi non debent, *cap.*

olim 32. et *c. P. et G.* 40. *de offic. deleg.* Neque refert, etsi ejusmodi rescripto adjecta sit clausa generalis, ac indefinita, e. g. si rescribens dicat, quod conveniri coram judice a se delegato possint certae personae, cum addito, *et quaedam aliae;* vel si committat certas causas cum clausula. *Ut cognoscatis super his, et aliis quibusdam causis;* nam vi talis clausulae delegatus jurisdictionem tantum accipit in personas, et causas similes expressas, et quidem non plures, quam tres, vel quatuor, prout statuit Innoc. IV. *c. cum in multis* 2. *h. t. in* 6. et ante ipsum Innoc. III. *c. sedes* 15. *extr. eod.* Ratio est, quia clausula generalis, seu indefinita subsequens ordinarie restringitur ad similia iis, quae praecesserunt, vel expressa sunt, nec comprehendit diversa.

27

Regula 4. Rescripti verba interpretanda sunt, ut quam minime praejudicetur aliis, eorumque juri quaesito; quia concessiones principis semper ita sunt intelligendae, ut nemini noceant, nisi quantum expressum est *l. praeter.* 2. §. *merito* 10. *ff. ne quid in loc. publ. l. impuberi* 40. *ff. de administ. tutor.* Et hinc 1. in rescriptis justitiae nomine clericorum non venit episcopus; aut religiosi; et nomine populi, si is v. g. interdictus est, non veniunt clerici; et nomine civitatis ea tantum veniunt, quae murorum ambitu continentur, non vero suburbia, et pagi ad civitatem pertinentes, nisi ex circumstantiis aliud appareat, ut colligitur ex *c. si civitas* 17. *de sent. excomm. in* 6. 2. si rescriptum impetratum sit contra homines, *qui sunt in dioecesi,* vi illius conveniri non possunt, qui existunt in civitate episcopali, ut statuitur *c. Rodulphus* 35. *h. tit.* et ratio est, quia nomine dioecesis saepe, praesertim in odiosis, venit tantum territorium reliquum, quod ad jurisdictionem episcopi pertinet, praeter civitatem episcopalem *arg. c. quamvis* 4. *praeb. in* 6. 3. similiter rescriptum impetratum a papa contra aliquem sub clausula generali, seu indefinita, *et quosdam alios clericos, vel laicos,* non debet extendi ad ejus haeredem, vel successorem, re adhuc integra, *c. significavit* 36. *h. tit.* Ratio est, quia defunctus, qui vi dictae clausulae conveniri poterat, re adhuc integra, et antequam rescripti impetrator declararet, quemnam convenire velit, nullam adhuc obligationem contraxit: ergo ea nec ad haeredem transit, quippe qui obligatur tantum ex persona defuncti, quam repraesentat.

28

Quaeritur 2. qualis interpretatio fieri debeat in rescriptis ad beneficia? Videntur late interpretanda; quia rescriptum ejusmodi, quod papa e. g. concedit ad conferendum beneficium ecclesiasticum, est beneficium principis, sed horum plenissima, et amplissima interpretatio facienda est *c. quamvis* 4. *de praeb. in* 6. et *c. cum dilecti* 6.

de donat. Verum haec regula solum vera est in iis, quae non sunt ambitiosa: aliud dicendum in iis, quae impetrari per ambitionem solent, uti sunt beneficia, *c. quamvis cit.* Quare dicendum hujusmodi rescripta stricte esse accipienda, neque de casu, aut persona expressa ad casum, vel personam non expressam extendi debere, vel posse. Ratio est, quia hujusmodi rescripta continent mandatum de provisione facienda, sed fines mandati diligenter custodiendi sunt *l. diligenter* 5. *ff. mandat*, ergo.

Excipitur. 1. nisi litterae beneficiales simpliciter favorem contineant, ut si detur episcopo facultas conferendi beneficia propriae dioecesis, quae erant reservata; nam per tale rescriptum res ad suum primaevum statum revertitur. *Excipitur.* 2. nisi motu proprio sint concessae; tunc enim majorem favorem, et ampliorem interpretationem merentur, quam si ad alicujus instantiam sint impetratae. Felin. *in c.* 18. *h. tit. n.* 7. *Excipitur* 3. si concessae sint alicui in compensationem damni; quod quis passus est occasione ecclesiae, cui pro ipso scribitur. Felin. *l. cit.* Atque hinc

Sequitur 1. si quis impetravit rescriptum de conferendo sibi beneficio proxime vacaturo, eidem vi hujus rescripti non deberi beneficium, quod primum erectum est post datum rescriptum, ut statuitur *Clem. fin. h. tit.* et ratio est; tum quia tale beneficium non vacat proprie, quippe quod possessorem nullum adhuc habuit; tum quia rescribens non videtur cogitasse de illo, cum istud tempore dati rescripti nondum in rerum natura fuerit.

Sequitur 2. si cui papa rescriptum concessit, quo mandat ipsi conferri beneficium in civitate, vel dioecesi, concessionem non extendendam ad beneficium ecclesiae cathedralis *c. quamvis cit.* quia quae speciali mentione, et nota digna sunt, si specialiter non exprimantur, censentur studiose omissa *arg. c. quia periculosum 4. de sent. excomm. in* 6. et *l. item* 15. §. *hoc editum* 26. *ff. de injur.* talis autem est ecclesia cathedralis ob eminentiam suam; ergo etc.

Sequitur 3. si in rescripto beneficiali mandetur alicui conferri beneficium vacans, aut vacaturum per resignationem, non posse ei vi talis rescripti conferri, si illud vacet per mortem, aut vicissim *c. susceptum* 6. *h. tit. in* 6. *et ibi* gloss. *V. susceptum.* Ratio est, quia vacatio beneficii per resignationem, et vacatio per mortem sunt diversi modi, et species vacandi; atqui a diversis non fit illatio *arg. l. sed si* 17. *ff. de exception.* et *l. si maritus* 10. *in fin. C. de donat. int. vir. et uxor.* Neque obstat, quod renuntiatio beneficii, tanquam mors civilis, in jure aequiparetur morti naturali; nam ista aequiparatio non habet locum, nisi in casibus jure expressis, et hinc in litteris beneficialibus, nisi aliud exprimatur, appellatione mortis sola mors naturalis intelligi debet.

29

Quaeritur 3. quam interpretationem, latam, an strictam in dubio patiantur dispensationes? Videtur, quod latam, 1. quia sunt gratia, et beneficium principis, quod cum latae interpretationis sit, dispensationes se extendent saltem ad similia, vel minora concessis. 2. Dispensatio imitatur naturam privilegii; hoc autem latam interpretationem recipit ex *c. ex parte* 27. *de decim.* ubi privilegium percipiendi decimas extenditur etiam ad decimas ex novalibus. 3. Legitimatio, facta ad actus spirituales, porrigitur etiam ad temporalia *c. per venerabilem* 13. *in princ. qui fil. legit.* 4. *cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus*, ut habet *reg.* 53. *in* 6.

30

Sed contrarium satis clare desumitur ex *reg.* 141. *ff.* et 28. *in* 6. Accedit ratio, quia dispensatio est relaxatio quaedam juris communis, et contra jus; quae autem sunt contra jus, et ad relaxationem illius tendunt, stricte interpretari debent. *Excipitur* 1. si dispensatio concessa sit ex motu proprio publicae utilitatis intuitu; quia, licet etiam ista sit juris relaxatio, ex mera tamen principis liberalitate procedit. 2. Si sit indulta toti religioni; quia etiam huic indulta privilegia sunt amplianda: 3. si sit circa materiam juris communis, vel corpore ejusdem clausa; tunc enim eandem, quam jus illud, interpretationem recipit. 4. Si sit concessa contra statutum, vel consuetudinem loci contrariam juri: quia tunc reducit ad jus commune; cons. favorabilis est. 5. Si sit necessaria, vel extensione non admissa, reddatur inutilis: arg. *c. si civitas* 17. *de sent. excomm. in* 6. 6. Si ea, ad quae extenditur, sint accessoria, et inseparabiliter connexa concesso.

Sic limitata responsione, facilis est responsio ad argumenta opposita. *Ad* 1. illud duntaxat beneficium largam interpretationem habet, quod in sui tantum praejudicium princeps largitur, non vero, quod juri alterius, vel communi contrariatur. *Ad* 2. dispositio *c. ex parte citat.* est conformis juri communi; quia per illam decimas novalium monasterio attribuit pontifex, ad quod illae pertinebant jure communi ob parochias, quas obtinebat. *Ad* 3. extensio illa solum ponitur in ratione dubitandi allegata pro parte, cui tamen non est conformis ipsa decisio, prout ex contextu patet. *Ad* 4. argumento a majori ad minus per *reg. cit.* locus dumtaxat est in concessionibus juris communis, non vero in iis, quae sunt contra jus commune, vel privatorum.

Dub. an sicut dispensatio, ita etiam facultas ad dispensandum data stricte interpretari debeat? Videtur respondendum affirmative; quia etiam ipsa ad relaxationem juris communis tendit. Igitur ut dispensatio, ita et ipsa odiosa erit, cons. restringenda.

31

Sed cum communi DD. omnium tenenda est negativa sententia, et dicendum potestatem dispensandi non stricte, sed late interpretandam, sive deinde ordinaria illa sit, sive delegata: *de ordinaria* patet; nam boni publici interest, legem communitati impositam, si illa uni, vel pluribus gravior justo appareat, relaxari posse. *De delegata* autem ostenditur; quia rescripta, et concessae in his gratiae, late accipiendae sunt, quando nec juri communi, nec privatorum praejudicant. Talis est concessio potestatis ad dispensandum; continet enim meram gratiam, et beneficium principis, et nemini praejudicat, nisi concedenti tantum, qui volens potestatem hanc sibi competentem communicat alteri. *Excipitur*, si delegetur potestas dispensandi cum expressa persona particulari; nam haec strictam interpretationem exigit, ut aliis *citt.* notat. Pal. *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 11. *n.* 5. et ratio est; quia talis facultatis concessio moraliter est dispensatio ipsius superioris, a quo decernitur, et ejus executio ita committitur alteri, ut, si preces veritate nitantur, nequeat denegari.

Ad rationem dubitandi duo sunt distinguenda: primum est ipsa potestas dispensandi, alterum executio potestatis concessae; illi immediatum objectum est rescripti concedentis hanc potestatem, haec mediatum: sufficit autem, quod immediatum, et principale objectum rescripti sit favorabile, etsi mediatum, et minus principale sit odiosum; nam hoc non obstante, rescriptum simpliciter est favorabile, et cons. extendendum.

§. VI.

De rescriptorum executione.

SUMMARIUM

32 *Quibusnam personis committi possit, ac debeat executio rescriptorum?*
33 *An hujusmodi personis commissa executio ad successores transeat?*
34 *Quando facienda sit executio rescriptorum?*
35 *Si plura sint impetrata rescripta, quod praeferendum?*
36 *Quodnam rescriptum valeat ex pluribus rescriptis impetratis ad beneficia?*
37 *An rescripta gratiae mandari executioni possint, mortuo rescribente, qui illud concessit?*

32

Quaeritur 1. quibusnam personis committi possit, ac debeat executio rescriptorum? Resp. Si rescripta causae cognitionem, et jurisdi-

ctionem ecclesiasticam externam exposcant, executio rescripti a sede apostolica, et hujus legatis jure communi committi debet personis dignitatem ecclesiasticam, vel personatum obtinentibus, vel canonicis ecclesiarum cathedralium, prout habetur *c. statutum* 11. *in princ. h. tit. in* 6. quod statuendi ratio fuit, partim honor sedis apostolicae, ne ejus authoritas in ministro inferiore vilipendatur; partim utilitas impetrantium, ut peritos et dignos executores habeant, prout notat aliis *citt.* Pirh. *hic num.* 18.

Dixi 1. *Si causae cognitionem, et jurisdictionem ecclesiasticam externam exposcant;* nam si nudo ministerio opus sit sine jurisdictione; aut jurisdictio quidem necessaria, non tamen in foro externo; qualitates in responsione relatae non requiruntur, sed exequi rescripta poterunt etiam, qui qualitates illas non habent, ut cum aliis advertit Laym. *in cit. num.* 1. et patet in dispensationibus, quae a S. poenitentiaria committi solent confessario; nam in isto sufficit, si sit approbatus ab episcopo, ad hoc electus ab oratore, et doctor in theologia, vel jure canonico, aut saltem munitus privilegio apostolico, quale societas JESU habet per *const.* Greg. XIII. incip. *exponi: editam* 3. *april.* 1582.

Dixi 2. *jurisdictionem ecclesiasticam;* nam *c. cit.* constitutio solum procedit in causis ecclesiasticis, quae coram judice ecclesiastico tractari debent; non item in causis mere temporalibus: nam hae etiam coram judice laico secundum canones tractari possunt, et cons. in iis etiam per rescriptum a pontifice judex laicus executor constitui poterit. Franc. *in c. cit. n.* 12.

Dixi 3. de *jure communi;* nam si papa *ex certa scientia* committeret causam simplici clerico, non constituto in dignitate, valeret commissio; quia per ejusmodi clausulam censeretur derogasse juri communi, Gloss. *in c. cit. V. litterarum.*

Dixi 4. *a sede apostolica, et hujus legatis;* nam episcopi rescripta sua dirigere possunt ad quemvis clericum, et ei executionem committere, modo alias sit idoneus. Pirh. *hic num.* 129. hoc ipso, quia jus positivum de his nihil disponit.

Dixi 5. *dignitatem ecclesiasticam obtinentibus:* ubi sufficit, si dignitatem etiam ad nutum superioris revocabilem habeant, modo juncta sit cum jurisdictione ecclesiastica. Tales sunt officialis, aut vicarius generalis episcopi, vel capituli sede vacante: item priores conventuales, qui toti conventui regularium, cum jurisdictione praesunt, licet dignitatem istam non perpetuo gerant etc.

33

Quaeritur 2. An hujusmodi personis commissa rescriptorum executio ad successores illarum transeat? *Certum est* transire, si commissa sit episcopo, praeposito, decano etc. sub nomine dignitatis, et non

personae, prout sumitur ex *c. quoniam* 14. junct. gloss. *V. substitutum de offic. deleg.* et ratio est, quia dignitas eorum perpetua est, et personae obitu, vel renuntiatione non extinguitur.

Dubium est de vicario generali, idque triplex. 1. An vicario amoto, cedente, mortuo, commissionem illi factam exequi possit episcopus? 2. An ejus successor in officio? 3. An vicarius capituli sede vacante?

Ad 1. Respondeo negative; quia dum vicario commissa est executio, ejus dignitas, et officium habet rationem conditionis *sine qua non*, seu qualitatis requisitae: quod ipsum probat, quod etiam utroque vivente, nec episcopus ingerere se possit in executionem commissam ejus vicario, neque vicarius in commissam episcopo. *Neque obstat*, quod item tribunal, et jurisdictio sit utriusque; quia hoc verum duntaxat est quoad jurisdictionem ordinariam, et causas comprehensas mandato generali episcopi.

Ad 2. communis, et stylo curiae recepta est affirmativa sententia, si in rescripto sit expressum nomen non personae, sed officii, et dignitatis; quia licet illa reipsa non sit perpetua, perpetua tamen, et continua reputatur, quod cedenti, decedenti, amoto vicario alius, aliusque substituatur, et episcopi vices in se suscipiat. Accedit, quia id merito praesumi potest de mente pontificis rescribentis, quod nolit cum maximo incommodo suo partes postquam rescriptum impetrarunt ad vicarium episcopi, hoc mortuo, compellere ad redeundum Romam pro novo rescripto.

Ad 3. Eidem stylo curiae conformior est opinio distinguentium inter litteras, et commissiones, quarum executio ex juris dispositione, vel stylo curiae solis episcopis, et eorum vicariis committitur, et inter illas, quae aliis quoque in dignitate constitutis, et a parte nominatis committi solent, harum executionem a vicario episcopi ad vicarium capituli transire concedunt, non vero illarum: quod ex eo colligunt, quia posteriores vacante sede committi a curia solent vicario capituli, non vero priores, sed viciniori episcopo, quod signum est vicarium capituli a curia non haberi omnino eodem loco, quo habetur vicarius episcopi sede plena; V. Garc. *q.* 6. *de benef. c.* 2. *num.* 44. et plura infra dicenda *tit.* 29. *et de offic. et potest. judic. deleg.*

34

Quaeritur 3. quando facienda sit executio rescriptorum? Resp. cum distinctione; vel enim in rescripto pro executione ejusdem assignatum est certum tempus, intra quod fieri debeat, vel nullum est assignatum. *Si primum*, judex delegatus, vel alius executor intra terminum sibi praefixum tractare negotium, vel cognoscere de causa debet. *c. de causis* 4. *de offic. deleg.* Ratio est, quia tempus in rescripto praefixum pertinet ad formam delegationis substantialem; ut adeo illius lapsu de-

legati jurisdictio, et potestas expiret, nisi partes communi consensu approbent dilationem termini in rescripto justitiae, seu ad lites; cum enim terminus in hoc datus praesumatur in favorem partium, istae consensu mutuo prorogare eundem poterunt; *c. de causis cit.*

Quodsi autem *secundum* contingat, et nullum certum tempus executioni praefixum sit in rescripto, videndum, an illud sit rescriptum justitiae, seu ad lites, vel rescriptum gratiae? *Si rescriptum justitiae* est, etsi omnibus modis curare judex delegatus debeat, ut, quam commode potest, liti finem imponat, potestas tamen ei delegata nullius certi temporis lapsu extinguitur, ut statuitur *c. venerabilis* 20. *de judic.* quo recessum est a *l. properandum* 13. §. *censemus* 1. *c. eod.* ubi triennium praefixum erat instantiae judicii. Si vero est *rescriptum gratiae*, *sive ad beneficium*, ordinarius, ad quem directae sunt litterae, intra 30. dies, a litterarum praesentatione numerandos, collationem facere, et provisum mittere in possessionem debet, nisi obstet legitimum impedimentum, vel contradictor; hunc enim audire, terminos competentes ad allegandum ipsi concedere, et cognita causa, de eadem pronuntiare debet, ut recte advertit Garc. *p.* 6. *de benef. c.* 2. *num.* 71. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 31. *num.* 5. Interim tamen executori non currit tempus memoratorum 30. dierum, ut idem cum aliis notant; quia per ipsum non stat, quo minus executioni detur provisio: et idem est, si is alia via impeditus fuerit.

Addidi *nisi obstet legitimum impedimentum, vel contradictor;* nam hoc cessante, multum interest, an executio differatur ex negligentia, vel malitia executoris, an vero praetextu, quod impetrans non sit idoneus, litterae ob, vel subreptitiae etc. *Si primum*, is, in cujus favorem litterae datae sunt, etiam lapso triginta dierum termino, instare apud executorem pro executione poterit, vel si velit, virtute bullae executoriae, ut vocant, quae simul cum alia datur, adire ei licebit alium judicem, qui provisum examinet, eique, ubi dignum illum repererit, beneficium conferat. *Si secundum*, proviso, qui tali sententia se gravatum sentit, gravamen istud removendum est praesidio appellationis ad papam, tanquam delegantem, interponendae; Garc. *l. cit. a num.* 72. Ratio est, quia tali casu non est recursus ad primum executorem, quippe qui pronuntiando sententiam de subreptione litterarum, ineptitudine impetrantis etc. jam functus est officio suo: neque ad executorem secundum; quia huic per bullam executoriam tantum concessa jurisdictio est in casum, quo primus executor in mora fuerit: non ad metropolitanum; quia a delegato ad delegantem est appellandum. Proceditque hoc, etsi provisus repellatur ab executore, quod is judicium examinatorum synodalium secutus sit; etsi enim isti officium non habeant a pontifice, in hoc tamen casu examen provisi non ordinaria, sed a sede apostolica delegata potestate peragunt.

Quaeritur 4. quodnam rescriptum praeferendum, et executioni mandandum sit, quando super una, eademque causa duo vel plura rescripta sunt impetrata? Resp. distinguendo: vel enim utrumque rescriptum est speciale, vel utrumque generale, vel unum generale, alterum speciale.

Si primum, distinguendum est; nam si posterius mentionem fecerit prioris sibi contrarii, isti derogatum censebitur per posterius: si mentionem non fecerit, praevalebit prius, et secundum, si sit rescriptum gratiae, ob subreptionem erit ipso jure nullum: si vero rescriptum justitiae, per executionem repelli poterit, si intra annum haec opponatur: nam si post annum, convalescit posterius, et evanescit prius.

Si secundum, videndum, an unum ex illis sit magis speciale, an neutrum. Si unum est magis speciale, illud praevalebit, ut notat Rebuff. *prax. benef. tract. de rescript. num.* 194. Si vero neutrum sit speciale magis, quam alterum, prius impetratum praevalebit posteriori, nisi hoc munitum sit clausula, qua priori derogetur. Vviest. *hic num.* 171.

Si tertium contingat, et unum sit generale, alterum speciale, speciale derogat generali, quantum ad ea, quae in speciali specialiter, et contraria contentis in generali exprimuntur, vel in generali non exprimuntur, licet prioris mentionem non faciat, prout statuitur *c. sicut* 1. *et c. pastoralis* 14. *h. tit.* Estque perinde, sive prius fuerit generale, posterius speciale, sive contra; quia generaliter generi per speciem derogatur juxta *reg.* 34. *n.* §. Neque refert, an rescriptum prius generale concedat aliquid secundum jus, an contra illud; quia papa per generalem gratiam alicui concessam non censetur sibi velle praejudicare, quo minus in specie eidem derogare possit, cum semper gratias, et facultates aliis sic concedat, ut majorem potestatem sibi reservet: neque opus est, ut in speciali posteriori fiat mentio generalis prioris, ut expresse habetur *c. dudum* 14. *vers. nos igitur de praeb. in* 6.

Excipitur, nisi per rescriptum, sive privilegium generale jam sit alicui quaesitum jus in re, ut si papa alicui concessit jus percipiendi decimas alicujus parochiae, et postea alteri concedat decimas alicujus praedii intra eandem parochiam siti; tunc enim non est censendum, quod pontifex per posteriorem concessionem voluerit derogare juri acquisito per rescriptum prius, sed potius praesumendum est, posterius rescriptum processisse ex ignorantia prioris, nisi de hoc fiat expressa mentio; *Abb. in c.* 1. *h. tit. num.* 10. Ratio est, quia rescriptum principis non debet ita intelligi, ut alteri inferatur praejudicium in jure jam acquisito, nisi id exprimatur. *l. praetor* 2. §. *siquis* 16. *ff. ne quid in loc. publ.* Neque obstat, quod alias in facto proprio non praesumatur ignorantia, vel oblivio, nisi tempus diuturnum intercesserit;

potest enim papa, vel princeps ob multitudinem, et varietatem agendorum oblivisci rescriptorum suorum, ita, ut rescriptum posterius emanet sine recordatione prioris.

36

Quaeritur 5. Quodnam rescriptum valeat ex pluribus rescriptis impetratis ad beneficia? Resp. Distinguendo: vel enim ad unum, idemque beneficium utrumque rescriptum est impetratum, vel ad diversa vacantia, vel vacatura. *Si prius*, videndum, an hujusmodi rescripta inter se consentiant, an vero inter se pugnent. Si inter se consentiant, vel ambo, omnia valent; quia tunc in effectu sunt, et reputantur rescriptum unicum, et veluti plura solum exemplaria ad majorem cautelam impetrata, uti si unum forte intereat, alterum usui esse possit. Si vero inter se pugnent, attendendum, an simul sint impetrata, an successive. Si simul, utrumque suspectum erit, si successive, speciale derogabit generali, et posterius speciale speciali priori secundum dicta *num. praeced.*

Major controversia est, siquis impetravit plura rescripta ad diversa beneficia vacantia, vel vacatura, quodnam ex illis valeat? Gloss. *in c.* 32. *h. tit. V. mentionem.* Gregor. Tolos. *ibid. num.* 2. cum aliis putant, utrumque esse validum, ita ut in optione impetrantis sit, quonam eorum uti velit. Contrarium tamen probabilius tenent Abb. *ibid. n.* 7. Imol. *n.* 11. Felin. *n.* 1. et *n.* 2. *in fin.* Ratio est, quia licet per tale rescriptum, seu gratiam exspectativam proprie loquendo non acquiratur impetranti jus ad beneficium, nisi remotum, ac praeparatorium, adeoque ex hoc capite non debeat de eo fieri mentio; quia tamen hoc modo occasio praeberetur exercendis fraudibus, et via aperiretur ad obtinenda quandoque plura beneficia contra praescripta canonum, ideo merito alterum rescriptum, si prioris mentionem non faciat, ob taciturnitatem veri habetur pro subreptitio. Procedit hoc, si unus, idemque impetraverit plura rescripta; nam quid dicendum sit, quando diversa rescripta a diversis impetrata sunt ad idem beneficium, dictum est *num.* 20.

37

Quaeritur 6. an rescripta gratiae, seu ad beneficia mandari executioni possint, mortuo rescribente, qui illa concessit? Resp. cum distinctione: vel enim papa per ejusmodi rescriptum episcopo concessit facultatem providendi de beneficio certae personae, e. g. Titio, vel generaliter, et indeterminate concessit, ut posset conferre beneficia aliquibus personis in certa ecclesia.

Si primum, et res adhuc sit integra, morte mandantis potestas data extinguitur, ut statuitur *c. si cui* 36. *de praeb. in* 6. Ratio est, quia mandatum morte mandantis, si res adhuc integra sit, finitur. §. *item* 10. *inst. de mandat. et l. mandatum* 15. *C. eod.* Excipitur, si

potestas ejusmodi concessa fuerit, non in favorem ejus, cui jubetur provideri, sed in favorem ipsius providentis, vel in favorem utriusque, vel ecclesiae, in qua jubetur provideri de beneficio : tunc enim non expirat morte concedentis, ut satis innuitur *c. si cui cit.*

Si secundum, et potestas sit generaliter concessa, nulla nominata persona, cui provideri oporteat, ea non expirat per obitum concedentis, quamvis res adhuc sit integra, ut iterum habetur *c. cit.* ubi etiam ratio datur, *quia cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram.*

TITULUS IV.

De consuetudine.

Ubi jus nihil statuit, consuetudo legitima juris loco haberi debet, et juxta illam se regulare judex. Hinc jus etiam ipsa dicitur, cum addito tamen *non scriptum ;* quod nomen accepit, non quia non potuit, sed quia non debuit comprehendi scripto ; *l. imo* 36. *ff. de legib.*

§. I.

De consuetudinis natura, varietate, et conditionibus ad illam requisitis.

SUMMARIUM

1 *Consuetudo est jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, ubi deficit lex.*
2 *Varie potest dividi.*
3 *Non potest induci ab una solum persona, etiam principe, ut vim legis habeat.*
4 *Sed a communitate tantum, eaque perfecta.*
5 *Ad legitimam consuetudinem quatuor requiruntur.*

1

Quaeritur 1. quid sit consuetudo? Resp. Consuetudinem dupliciter posse accipi 1. *causaliter* pro diuturno usu, et actibus longo tempore frequentatis a communitate, vel majore ejusdem parte 2. *formaliter* pro jure, quod ex diuturno usu, et continuatione hujusmodi actuum oritur. In primo sensu accepta dicitur *consuetudo facti*, in secundo

consuetudo juris, et definitur *can. consuetudo* 5. *dist.* 1. his verbis: *consuetudo est jus quoddam, moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Sensus est, quod consuetudo sit jus ad aliquid faciendum, vel omittendum obligans, vel etiam aliquid permittens, introductum diuturno, libero, et publico communitatis usu, approbante illo, qui curam habet illius communitatis.

Differt 1. *a lege;* nam haec, prout opponitur consuetudini, ex publicae potestatis ordinatione expressa, et publice promulgata vim obligandi accipit; consuetudo autem ex usu tacite approbato a legislatore.

Differt 2. *a traditionibus proprie acceptis*; quia hae non ex usu, sed Christi, aut Apostolorum ejus, vel ecclesiae institutione ortae sunt, et usu tantum conservatae, atque ad nostra tempora propagatae. Suar. *l.* 7. *de legib. c.* 4. *num.* 10.

Differt 3. *a stylo curiae*, tanquam includens ab incluso; nam stylus est consuetudo particularis, et limitata ad actus judiciales, docens, quis modus teneri debeat in judiciis, cognoscendis causis, et ferendis sententiis; Pal. *tr.* 3. *d. p.* 1. *n.* 3.

Differt 4. *a praescriptione* pluribus, et variis modis; nam. 1. consuetudo respicit communitatem, quam obligat, vel aliquid permittendo deobligat; praescriptio autem tantum respicit personas privatas, vel si communitatem, ista tamquam persona particularis spectatur. 2. Ad praescriptionem non requiritur consensus ejus, contra quem praescribitur; ad consuetudinem vero necessarius est consensus saltem tacitus principis, sive alterius, cujus legi per eam derogatur 3. Praescriptio locum habet tam in corporalibus, quam in incorporalibus; consuetudo tantum in posterioribus 4. Praescriptio minuit dominium, aut jus alterius; non consuetudo 5. Illa bonam fidem requirit, et titulum; ista etiam mala fide induci potest, et tacitus populi, vel principis consensus ipsi pro titulo est 6. Ad hanc, ut infra *num.* 9. dicetur, universaliter decennium sufficit; in illa sufficit aliquando tempus brevis, aliquando requiritur diuturnius; Pal. *l. cit.* et apud eundem plures.

2

Quaeritur 2. quotuplex sit consuetudo? Resp. Cum consuetudo propriissime habeat rationem legis, easdem divisiones patitur, quas ipsa lex 1. Igitur alia est canonica; alia civilis. *Canonica* est, quae vel clericorum dumtaxat usu est introducta, vel si etiam a laicis, circa materiam spiritualem versatur, ut est consuetudo jejunandi, vel observandi aliquod festum. *Civilis*, quae a laicorum usu dimanat, et circa materiam temporalem propriam laicorum versatur. Interseri inter has duas media quaedam species posset, nempe consuetudo, in qua circa materiam temporalem clerici conveniunt simul, et laici. Sed haec non male ad civilem revocatur ex fine; spectat enim regimen tem-

porale, et bonum commune politicum; Suar. *l.* 7. *de legib. c.* 5. *n.* 2. Pal. *tr. d.* 3. *p.* 1. *num.* 4.

2. Alia est *generalissima*, quae extenditur per orbem universum, ut jus gentium; alia *generalis*, sive *communis*, quae observatur in toto imperio, regno, natione, vel provincia, ut consuetudines feudales; alia *specialis*, quae viget in una civitate, oppido, pago; alia *specialissima*, quae recepta est in minima parte populi, e. g. in una ecclesia, monasterio, collegio etc.

3. Et praecipue alia est consuetudo secundum legem, alia praeter legem, alia contra legem. *Secundum legem* dicitur illa, quae legem jam conditam diuturno usu confirmat vel etiam interpretatur *can. in istis* 3. §. *leges dist.* 4. et *l. si de interpretatione* 37. *ff. de legib.* Ita ex sola consuetudine, et hujus interpretatione habetur, quod lex quadragesimalis jejunii non violetur potu, aut modicissima sumptione cibi; violetur autem illud, quod praerequiritur ad sumptionem ss. Eucharistiae. *Praeter legem* est, quae inducit jus novum, et praecipit, vel prohibet aliquid, de quo nulla lex ante fuit; *can. consuetudo* 5. *dist.* 1. et *l. de quibus* 32. *ff. de legib. contra legem*, sive huic contraria, qua introducitur oppositum legis, sive juris humani antecedentis, et istius dispositio vel usu non recipitur, vel recepta abrogatur, aut ei derogatur.

3

Quaeritur 3. an solum a communitate introduci consuetudo possit? Videtur introduci posse etiam a privata persona; potest enim haec consuetudine a se introducta aliquando se eximere ab obligatione legis, e. g. episcopus, qui obligatus erat in correctione subditorum procedere ex consilio capituli, ut non amplius teneatur illud exquirere; *c. non est* 3. *h. tit. in* 6.

Sed certum est, nullam personam privatam, et particularem id posse efficere, ut per ejus actus inducatur consuetudo, quae vim legis habeat, aut utentem solvendi a lege; Pal. *tr.* 3. *d.* 3. *p.* 3. *n.* 1. *et ab hoc citt.* Ratio est, quia irrationabile nimis, et bono communi contrarium foret, si subditus transgrediendo legem, aut praeceptum posset se ab obligatione illius eximere; daretur enim ansa violandi leges. *Proceditque* hoc, ut neque princeps, seu legislator ipse hoc possit, ut bene notat Pal. *cit.* Ratio est, quia princeps non censetur praeceptum, aut legem imponere subditis, vel illo solvere ex eo, quod ipse hoc, vel illo modo operetur.

Ad rationem dubitandi aliud dicendum est de consuetudine praescriptiva juris, aliud de legali: prior introduci a persona privata potest, sicut ab ea induci potest praescriptio; non vero altera.

Quaeritur 4. qualis communitas esse debeat, ut consuetudinem introducere possit habentem vim legis? *Certum est* 1. imperfectam com-

munitatem, qualis est familia quaedam, non posse introducere consuetudinem, quae vim legis habeat; Pal. *D.* 3. *cit. p.* 3. et colligitur manifeste ex *l. de quibus* 32. *et l. sed et ea* 35. *ff. de legib.* et ratio clara est, quia non est capax ferendi legem. *Certum est* 2. communitatem perfectam, qualis est resp. provincia, regnum, superiorem non cognoscens, posse consuetudinem legalem statuere; quia legem potest ferre: ergo etiam consuetudinem introducere, quae pro lege suscipitur.

Dubium est, an consuetudinem, quae vim legis habeat, introducere possit populus superiorem recognoscens, et non habens authoritatem condendi legem, qualis est e. g. quando episcopatus constitutus sub episcopo, regnum constitutum sub rege, provincia sub principe habente absolutum imperium in subditos regni, vel provinciae? Ratio dubitandi est; quia talis communitas non habet potestatem condendi legem, quippe quae residet penes superiorem illius.

Sed respondendum est affirmative. Ita Suar. *l. 7. de legib. c.* 9. *a n.* 7. Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 3. *n.* 4. et ab hoc *citt.* Clarum est de consuetudine abrogante legem; nam ad hanc introducendam sufficit esse communitatem, cui lex imponi possit. Major difficultas esset de consuetudine constitutiva novae legis. Sed etiam hanc potest inducere; quia esto, ferre legem non possit, tantum ideo illam ferre non potest, quia potestatem ferendi leges in principem transtulit: sufficit autem ad consuetudinem introducendam, quae vim legis habet, quod illa communitas, quae talem consuetudinem introducit, de se possit ferre legem, et accedat consensus legalis principis.

Ad rationem dubitandi communitas ejusmodi consuetudinem introducit, non ut legem suam, sed principis, ex cujus consensu legali vim habet.

5

Quaeritur 5. quaenam conditiones requirantur ad legitimam consuetudinem? Resp. Ut non mere facti, sed juris consuetudo sit, quatuor conditiones a DD. communiter requiruntur. 1. Ut sit rationabilis. 2. Ut duraverit tempore requisito. 3. Ut intercesserit requisita actuum frequentia, et horum qualitas. 4. Denique ut adsit consensus legislatoris. Verum de his particulatim agendum est. Sit ergo

§. II.

De rationabilitate ad consuetudinem requisita.

SUMMARIUM

6 *Potest rationabilis esse consuetudo etiam contra legem.*

7 *Quando censeri debeat consuetudo aliqua esse rationabilis?*

8 *Quid judicandum in dubio?*

6

Quaeritur 1. an consuetudo, quae contra legem est, rationabilis esse possit? Ratio dubitandi est 1. quia lex necessario est rationabilis. *can. erit autem* 2. *dist.* 4. igitur consuetudo ei opposita rationabilis esse non potest; ratio enim non opponitur rationi. 2. consuetudo contra legem introduci non potest, nisi per actus contrarios legi, qui cum hoc ipso peccaminosi sint, rationabiles esse non possunt; 3. *l. consuetudinis* 2. *C. quae sit long. consuet.* a Constantino imp. diserte negatur consuetudini vis, qua *aut rationem vincat, aut legem.*

Sed his non obstantibus, dicendum, quod consuetudo etiam adversa legi, si habeat, quae alias ad consuetudinem legitimam requiruntur, sit omnino rationabilis: quod clare supponitur *c. fin. h. tit.* et colligitur a paritate: nam sicut consuetudo, ita et lex posterior condi potest contraria priori legi; certum autem est, quod talis lex posterior rationabilis esse possit: ergo etc.

Neque obstant rationes dubitandi allatae. *Ad* 1. consuetudo contra legem, dum lex durat, irrationabilis est, fit tamen rationabilis, quando lex contraria rationabilis esse desinit, quod tum fit quando post continuatam requisito tempore violationem legis, lex incipit reip. esse inutilis, ut adeo ad bonum commune conducat tolli obligationem illius, ne culpae continuentur. *Ad* 2. Consuetudo vim abrogandi legem praecipue habet ex consensu legali principis, qui post frequentationem actuum contra legem, debito tempore continuatam hoc ipso supervenit, quod lege generali sancitum sit, omnem consuetudinem, quae requisitis a lege conditionibus instructa est, vim legis habere: ex quo sequitur, etsi actus antecedentes peccaminosi fuerint, a peccato tamen omni absolvi actus sequentes post consuetudinem rite completam. *Ad* 3. Suar. cum communi DD. respondet, textum istum solum procedere de consuetudine, non quam nos concedimus, sed quae legitimis, et per *c. fin. tit.* requisitis conditionibus destituta est.

7

Quaeritur 2. quando censeri debeat consuetudine aliqua esse rationabilis, et expediens communi bono? Resp. Si legi non adversetur, sed secundum, vel praeter legem sit, clarum est bono communi expedire illius observationem; quia ut ex Menochio notat Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 2. §. 1. *n.* 4. bono communi videtur expedire id, in quod communiter omnes conveniunt. At si legi adversetur, certa regula non potest statui, sed ut *l. cit.* aliis relatis advertit Palao, id viri prudentis, aut judicis arbitrio reliquendum est.

Ne autem judex in pronuntiando pro consuetudine aberret a juris, et veritatis semita, pro irrationabili, et cons. pro corruptela habebit 1. consuetudinem quamcumque, quae sit contraria juri divino, aut naturali; cum enim consuetudo jus mere humanum constituat, adversus jus divinum, vel naturale praevalere non potest: 2. si repugnet pietati in parentes, aut religione in Deum, atque in cultus divini diminutionem cedat: cujusmodi esset, qua parentibus negarentur necessaria alimenta, canonicis sine justa causa absentibus darentur quotidianae distributiones etc. 3. si disciplinae ecclesiasticae nervum disrumpat: qualis est, quae permitteret interdictum, et alias censuras impune violari *c. cum inter* 5. *h. tit.* aut impunitatem peccato concederet *c. ex parte* 10. *eod.* 4. si periculosa sit reip. inducendo v. g. bonorum dissipationem, judiciorum perversionem etc. *c. ex parte cit. et c. ad nostram* 3. *eod.* 5. si tendat in ecclesiarum damnum, e. g. permittendo, ut res ipsarum alienentur sine solemnitate canonica, vel ut de iisdem laici disponant pro libitu, aut beneficia ecclesiastica sine episcopi, vel alterius praelati approbatione tribuant etc. 6. si cedat in gravamen libertatis ecclesiasticae v. g. permittendo trahi personas ecclesiasticas ad forum saeculare. 7. denique generaliter pro irrationabili habenda est consuetudo, qua introducitur, quod per legem introduci non potuit; cum enim ad consuetudinem quamcumque requiratur consensus legislatoris, id quod istius voluntate, et approbatione licitum, honestumque fieri nequit, nulla consuetudine licitum reddi potest.

8

Quaeritur 3. quid judicandum, quando dubium est, an consuetudo sit rationabilis, et bono communi expediens? Resp. cum distinctione: vel enim consuetudo talis est legi contraria, vel non est eidem contraria. *Si secundum*, in dubio standum est pro consuetudine jam introducta; si *primum*, standum pro lege est. Ita Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 2. §. 1. *num.* 5. et apud hunc *citt.*

Ratio primi est; quia delicta non praesumuntur: et hinc posteri in consuetudine introducta a suis majoribus absque culpa possunt pergere; quia possunt de justitia ipsius praesumere. *Ratio secundi*, quia eo casu certa est reprobatio consuetudinis facta a lege: ergo non po-

test ab honestate dubia vinci. *Excipitur,* nisi consuetudo immemorialis fuerit ; nam tempus immemorabile facit praesumptionem justitiae tituli.

§. III.

De tempore ad consuetudinem legitimam requisito.

SUMMARIUM

9 *Ad consuetudinem faciendam sufficit decennium.*
10 *Etiam adversus legem ecclesiasticam.*
11 *Quamvis absens sit legislator.*
12 *Debet tamen hoc tempus esse continuum.*

9

Quaeritur 1. quantum tempus requiritur ad consuetudinem ? Videtur requiri tempus immemoriale , vel saltem 40. annorum , in quam sententiam inclinat Duaren. *ad tit. de legib. c.* 11. Fundamentum pro hac sententia capi potest ex diversis juris utriusque textibus ; nam 1. *l. de quibus* 32. *ff. de legib.* Julianus , *inveterata ,* inquit , *consuetudo pro lege non immerito custoditur :* sed inveteratum dicitur , quod 40. annis stabilitum fuit , ut explicat gloss. *in l. fin. C. de fund. rei privat. V. vetustatis :* ergo etc. 2. consuetudo saepe appellatur illa, quae excedit hominum memoriam *l. loco jure* 3. §. *ductus aquae* 4. *ff. de aqu. quotid. et aestiv.* atqui hoc tempus 100. annos comprehendit, vel paulo minus. 3. ad consuetudinem , quae legem inducit , longum tempus requiritur *c. fin. h. tit.* sed longum tempus complectitur 100. annos *l.* 23. *C. de ss. eccl.* ergo etc.

Sed dicendum , ut consuetudo habeat vim legis , et abrogare leges , saltem civiles, possit , sufficere decennium. Ita Suar. *l.* 7. *de leg. c.* 15. *num.* 5. Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 2. §. 2. *num.* 5. et apud hunc *citt.* Ratio est , quia ad consuetudinem inducendam solum requiritur longum tempus : sed decennium est longum tempus , ut habetur *in princ. inst. de usucap. et l. fin. c. de long. temp. praescript. conf.* ad consuetudinem sufficit , ut sit legitime praescripta *c. fin. h. tit.* talis est , quae per decennium durat ; licet enim multae sint aliae praescriptiones , quae longius tempus exigunt , quia tamen hoc secundum *textus citt.* sufficit , standum est huic tempori , cum agatur de re favorabili , et nemini contraria ; si enim contraria alicui esset , vel principi , vel subditis : non principi , quia ex hujus legali consensu consuetudo vim habet ; non subditis , quia ab eorum voluntate , et usu

pendet. Imo si communitas, vel potius istius pars legem non observet, et hoc sciat princeps, ac taceat, aliquando hujus obligatio cessabit etiam ante decennium, non quidem ratione consuetudinis; quia haec ante ipsius lapsum legitime praescripta non est, sed ex consensu ipsius principis conniventis, eamque ita tacite tollentis *arg. reg.* 43. *in* 6.

10

Ad textus in contrarium allegatos, in illis approbatur consuetudo inveterata, quae immemorialis, vel saltem 40. annorum sit, non autem negatur, quod decennium non sufficiat.

Quaeritur 2. an decennium sufficiat etiam ad abrogandam legem ecclesiasticam? Communis veterum canonistarum hoc casu requirebat annos 40. ex ratione, quia adversus ecclesiam non datur praescriptio, nisi 40. annorum *c. de quarta* 4. *et aliis de praescript.* sed consuetudo abrogans legem canonicam suo modo praescribit contra ecclesiam: ergo tempus necessario requisitum ad praescribendum contra ecclesiam, erit etiam requisitum ad praescribendam consuetudinem contra ecclesiam.

Verum hoc non obstante, dicendum, etiam contra legem ecclesiasticam consuetudinem decennio compleri posse. Ita Less. *l.* 2. *de J. et J. c.* 6. *num.* 46. Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 2. §. 2. *num.* 9. card. de Lug. *de J. et J. D.* 7. *f.* 6. *num.* 94. *et ab his citt.* Ratio est, quia consuetudo abrogans legem ecclesiasticam non est contra ecclesiam, sed potius pro illa, cum ex consensu illius abrogatio ista procedat: neque per ejusmodi consuetudinem eidem tollitur, vel imminuitur ullum jus, quod ante habuit, cum pontifex legem, quae consuetudine abrogata est, quandocumque eidem visum fuerit id e bono ecclesiae fore, liberrime possit restituere.

Argumentum adversae sententiae nimium probat; probaret enim legem ecclesiae universalem per consuetudinem non posse tolli, nisi spatio 100. annorum; nam tantum temporis requiritur ad praescribendum, adversus romanam ecclesiam, cujus lex est, quae universam ecclesiam obligat. Imo nec leges imperiales per consuetudinem tolli possent, nisi tempore immemoriali: nam sublatio legis est quaedam dispensatio, quae reservata est principi: atqui ut praescribatur adversus reservata principi, requiritur tempus immemoriale *c. super quibusdam* 26. *vers. praeterea de V. S.* Quare paritas praescriptionis cum consuetudine tunc solum procedit, quando per istam non tantum obligatio legalis tollitur, sed insuper jus ecclesiae laeditur, ut si parochiani per consuetudinem se facerent immunes a decimis solvendis ecclesiae; nam tali casu esset consuetudo non tantum legalis, sed praescriptiva, et cons. ut ad praescriptionem, ita etiam ad ipsam requirerentur 40. anni cum titulo, vel hoc deficiente tempus immemoriale *c. episcopum* 1. *de praescript. in* 6.

11

Quaeritur 3. an decennium sufficiat ad complendam consuetudinem, tam cum praesens, quam cum absens est legislator? Aliqui cum Sylvest. *V. consuetudo q.* 2. existimant, cum absens est legislator, requiri vicennium, quod probant ex *l. fin. C. de praescript. long. temp.* ubi dicitur longum tempus inter praesentes esse decennium, inter absentes vero vicennium.

Sed adhuc dicendum cum communi, decennium utrobique sufficere, sive cum praesens, sive cum absens est legislator. Ratio est, quia consuetudo non inducit legem, nec eam abrogat ex consensu expresso principis, sed ex consensu ejusdem generali, per legem jam stabilito, qua vim inducendi legem, vel abrogandi praeexistentem dedit omni consuetudini legitime introductae: igitur in ordine ad consuetudinem, impertinens est, principem absentem, vel praesentem in loco esse, ubi introducitur consuetudo.

Ad argumentum contrarium nego paritatem; quia ad praescribendum contra absentem longius tempus requiritur in favorem ejus, contra quem praescribitur, quippe cujus jus praescriptione tollitur, vel minuitur: quod cum non fiat in consuetudine, quae mere legalis est, non erat ratio variandi tempus ad hanc requisitum, cum unica, ut legis, ita et consuetudinis regula sit utilitas, et bonum communitatis, quod per praesentiam, vel absentiam legislatoris non variatur.

12

Quaeritur 4. qualis requiratur continuatio temporis requisiti? Resp. Tempus illud debere esse continuum, non interruptum. Ita Suar. *l. 7. de legib. c.* 8. *n.* 12. Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 2. §. 2. *n.* 11. et communiter ceteri. Ratio est 1. quia si interrumpitur, jam non durat decennio. 2. Praescriptio non debet esse interrupta: ergo nec consuetudo. 3. Tempus requisitum a jure ad aliquem effectum, ut ex Sylvest. notat Pal. *l. cit.* intelligi debet de tempore continuo, non interrupto. Porro interrupta censebitur consuetudo, si aut princeps puniret transgressores legis, ad quam abrogandam consuetudo tendit, aut communitas, vel major pars, quamvis actu unico, contra consuetudinem ageret; Suar. *l. cit. num.* 15.

§. IV.

De qualitate actuum, et consensu legislatoris ad consuetudinem requisitis.

SUMMARIUM

13 *Quanta requiratur frequentia actuum ad inducendam consuetudinem?*
14 *Quales hi actus esse debeant?*
15 *Qualis debeat esse legislatoris consensus?*

13

Quaeritur 1. quanta requiratur frequentia actuum ad inducendam consuetudinem? Non conveniunt DD. nam 1. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 17. *q.* 9. cum quibusdam aliis putat, sufficere unicum actum continuatum; quia ratione continuationis aequivalet pluribus. 2. Alii cum Sylvest. *V. consuetudo q.* 4. requirunt saltem duos vel tres, maxime si id sciat legislator, et non contradicat; censebitur enim tunc consentire. 3. Gloss. *in l. de quibus* 32. *ff. de legib. V. inveterata*, cum quibusdam distinguit; nam de actibus judicialibus concedunt duos, vel tres sufficere, negant de extrajudicialibus; quia dicunt actus judiciales constituere stylum, qui bino actu perficitur. 4. Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 2. §. 3. *n.* 2. cum aliis a se *citt.* id relinquit arbitrio judicis: et haec sententia, teste P. Wiest. *hic num.* 16. tenetur a melioris notae DD. nam ubi lege nihil certi statuitur, ad arbitrium judicis recurrendum est.

Neque adversae sententiae talibus fundamentis nituntur, ut hanc quartam convellant. *Ad* 1. Consuetudo, quae vim legis habet, debet esse longaeva, et durans decennio: igitur per unicum actum induci non potest, cum nullus actus facile tam diu duret. Deinde consuetudo dicit frequentiam actuum: atqui quod semel, aut bis fit, non dicitur fieri frequenter, sed quod fit assiduo *l. item* 15. §. *aliud est* 22. *ff. de injur.* Ad 2. ex non resistentia praecise non infertur approbatio; multa enim dissimulare princeps debet, quae tamen non approbat. Deinde esto, quod approbet, et propterea cesset lex ante decennium, non tamen cessat vi consuetudinis, sed vi consensus legislatoris abrogantis hoc casu legem. *Ad* 3. etiam, ut actus judiciales introducant consuetudinem, quae vim legis habeat, requiritur, ut duraverint decennio. *Excipitur*, si actus judicialis sit a supremo principe; hujus

enim sententia, etsi unica, loco legis habenda est, id tamen non ratione consuetudinis sed ratione suae voluntatis sufficienter declaratae.

14

Quaeritur 2. quales actus debeant esse, ut sufficiant ad stabiliendam consuetudinem? Resp. Ex communi DD. sequentes qualitates habere debent. 1. Exerceri debent a communitate tota, vel saltem majore illius parte, ut notat gloss. *in c. fin. h. tit. V. legitime*: et ratio est, quia consuetudo introduci debet tacito consensu populi; in id autem consentire censetur universus populus, quod exercetur a majore ejusdem parte *arg. c. cum in cunctis* 1. *de his, quae fiunt a majori part. etc.* et *l. quod major* 19. *ff. ad municip.*

2. Haec major pars debet esse ex personis habilibus, et capacibus legis: unde amentes, et infantes, et omnes illi, qui legibus non tenentur, non possunt sua consuetudine legem abrogare, aut novam constituere; Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 3. *n.* 5.

3. Actus isti debent exerceri uniformiter, quia ex actibus non exercitis, vel continuatis uniformiter non intelligitur, quid populus servari velit, aut in quid consentiat.

4. Exerceri debent libere, et sine metu, saltem gravi; quia praesumi non potest, quod populus velit stabilire jus per actus, quos repugnans exercet.

5. Non debent procedere ex errore, vel ignorantia: sed populus debet scire, quod lex sit lata, ut illa per consuetudinem abrogetur, vel nulla adhuc circa talem materiam lata sit, ut circa illam consuetudinem per modum legis constituat; alias actus ejusmodi erunt involuntarii, cum *nihil contrarium magis sit consensui, quam error*; *l. si per errorem* 15. *ff. de jurisdict.*

6. Debent esse publici, et notorii; quia ex actibus clam, atque in occulto exercitis intelligi nequit consensus populi aut totius, aut majoris ejusdem partis: Vallens. *hic* §. 2. *num.* 5.

7. Frequentari debent animo introducendi obligationem, si consuetudo sit praeter legem, vel eam tollendi, si contra legem, quia actus agentium non operantur ultra intentionem illorum; *c. fin. de praeb.* et *l. non omnis* 19. *ff. de reb. credit.* Hinc etsi universali, et immemoriali ecclesiae usu passim recepta sit salutatio angelica ad consuetum campanae pulsum, aspersio aquae lustralis ad ingressum, vel egressum templi, sumptio ss. cinerum ad initium quadragesimae, etc. ad ea tamen nulla est obligatio: et ratio unice est, quia hujusmodi ritus, et actus a fidelibus frequentantur libere dumtaxat, et studio pietatis, non animo inducendi obligationem.

15

Quaeritur 3. qualis requiratur consensus principis, seu legislatoris ad consuetudinem legitime inducendam? Facile convenit inter dd.

quod ejusmodi consensus requiratur ; nam id expresse desumitur ex *l. de quibus* 32. *in fin. ff. de legib.* probatque manifesta ratio : quia nemo potest statuere legem, et statutam abrogare, nisi qui potestatem habet ferendi legem : ergo absque hujus consensu non potest induci consuetudo, quae vim legis habeat.

Controversia tota est, qualis iste consensus esse debeat? Sunt enim aliqui, qui cum Pont. *l.* 6. *de matr. c.* 6. *num.* 7. exigunt consensum specialem, sive personalem, quo princeps, vel legislator mores populi, actus contra, vel praeter legem exercentis, approbet, aut saltem sciens, cum posset, non contradicat. Rationem dant, quia a principe non approbantur omnes consuetudines, sed tantum aliquae, aliae reprobantur. Et *confirmatur* ; quia consuetudo specialis est lex specialis : ergo requirit specialem consensum legislatoris, qui sine speciali scientia, et consuetudinis approbatione esse non potest.

Sed melius cum communi, et receptissima sententia nullus alius ad introducendam consuetudinem consensus requiritur, quam legalis, sive ut etiam vocant, juridicus, qui habetur per leges, et canones consuetudinem moribus populi introductam approbantes, eique tribuentes vim juris non scripti, si illa rationabilis, et legitime praescripta sit. Ratio est, quia optime poterat princeps, et quivis legislator lege sua sancire, ut quoties populus in alia consuetudine rationabili decennio duraverit, ea consuetudo suscipiatur pro lege : quo posito, dubium esse non potest, quod vi legis hujusmodi consuetudo rationabilis per decennium durans sine alia approbatione principis vim legis obtineat : atqui hoc ipsum factum est utroque jure, canonico quidem *c. fin. h. tit.* civili autem *l. de quibus* 32. *l. sed et ea* 35. *ff. de legib. l. praeses* 1. et *l. fin. C. quae sit long. consuet.* ergo etc.

Neque obstat *argumentum* adversae sententiae ; nam a jure solum approbantur, et permittuntur consuetudines, quae rationabiles, et legitime praescriptae sunt : hinc mirum non est, si princeps consuetudines, quae has praerogativas non habent, rejiciat. *Ad conf.* distinguendum est de speciali consensu, et dicendum requiri specialem consensum proprium et manifestum, non tamen ita singularem, ut solum unam consuetudinem comprehendat ; potest enim unus, idemque specialis consensus pluribus consuetudinibus deservire.

§. V.

De effectibus consuetudinis.

SUMMARIUM

16 *Consuetudinis praeter jus effectus est obligatio.*
17 *Haec induci potest etiam per actus extrajudiciales.*
18 *Consuetudo unius civitatis, vel provinciae non potest obligare aliam.*
19 *Potest induci consuetudo, quae solum ad poenam obliget, non vero ad culpam.*
20 *Alter effectus consuetudinis est abrogatio legis praeexistentis.*
21 *Potest per illam abrogari etiam lex ecclesiastica.*
22 *Manente obligatione ad poenam, sublata obligatione ad culpam, vel contra.*
23 *Abrogari per consuetudinem potest etiam lex prohibens contrariam consuetudinem.*
24 *Imo etiam lex infirmans, vel irritans certos actus.*
25 *Neque requiritur ad hujusmodi consuetudinem bona fides.*
26 *Tertius effectus est vis interpretandi legem.*
27 *Quod authentice facere consuetudo potest, si sit legitime praescripta.*
28 *In quibus vim interpretandi exerat consuetudo?*
29 *Quartus effectus est irritatio actus alias de jure validi.*
30 *Qualis consuetudo requiratur, ut inducat impedimentum irritans matrimonium?*
31 *Quae sit vis consuetudinis immemorialis?*
32 *Quid illa efficiat, si ei jungatur fama obtenti privilegii?*

Multipliciter consuetudo potest actiones humanas afficere. 1. obligationem imponendo. 2. Interpretando legem jam constitutam. 3. Eam abrogando. 4. Irritando actum adversus consuetudinem factum.

Quaeritur 1. an, et qualem obligationem imponere consuetudo possit? Quod imponere obligationem possit consuetudo legitime praescripta, patet ex dictis; quia pro lege suscipitur: est autem de ratione legis, ut obliget?

16

Dubium est 1. unde colligi possit, quod aliqua consuetudo sit obligatoria? Suar. *l.* 7. *c.* 15. *num.* 13. Pal. *tr.* 3. *D.* 2. *p.* 3. §. 3. *n.* 13. et cum his P. Vviest. *hic n.* 24. censent, id permittendum arbitrio judicis, qui circa hoc judicium ferat ex circumstantiis, praesertim vero ex actuum, et personarum eos frequentantium qualitatibus. Ad quod *citt.* dd. quatuor assignant conjecturas, ex quibus deduci possit, quod consuetudo sit obligatoria. 1. Si consuetudo sit rei

gravis, difficilis, et communiter servata a populo; quia non solet populus uniformiter convenire in his actibus, nisi quando se obligatum sentit. 2. Si viri prudentes, et timorati non solum ipsi morem ejusmodi servent, sed etiam male sentiant de transgressoribus, vel populus communiter scandalizetur. 3. Si praelati, et superiores reprehendant, aut puniant violatores. 4. Si materia consuetudinis talis sit, ut multum conferat reipublicae. Quaelibet enim ex his conjecturis non leve est indicium obligationis. Quodsi autem tales, vel his similes circumstantiae non appareant, in dubio presumendum est, actus mere libera voluntate frequentari, et ipsa consuetudo, quanticumque temporis, potius habenda pro voluntaria, et superogatoria, quam pro obligatoria, et conscientiam stringente; tum quia lex non praesumitur, sed probari debet; tum etiam, quia nemo praesumitur sibi velle imponere onus, nisi illud manifeste constet.

17

Dub. 2. an ad hoc, ut consuetudo vim legis habeat, illa debeat esse approbata in judicio contradictorio? Ratio dubitandi desumitur 1. ex *c. abbate* 25. *de V. S.* ubi quaedam consuetudo eligendi judicatur insufficiens, quia non fuit in judicio contradictorio approbata. 2. Ex *l. cum de consuetudine* 34. *ff. de legib.* ubi Ulpianus monet, in consuetudine se fundanti primo explorandum, an in contradictorio judicio aliquando firmata sit.

Sed communis dd. sententia est, ad consuetudinem, ut vim legis obtineat, non requiri, ut approbata sit in judicio contradictorio, et introducta per actus judiciales. Ratio est, quia consuetudo eo ipso, quod rationabilis sit, et legitime praescripta, vim legis habet *c. fin. h. tit.* et *l. de quibus* 32. *ff. de legib.* atqui haec requisita obtinere potest etiam per actus tantum extrajudiciales: ergo etc.

Textus oppositi non urgent. *Ad* 1. triplex est responsio; nam primo illa tantum fuit allegatio partis, cui sententia papae non fuit conformis: deinde ibi sermo est de consuetudine prescriptiva tantum, videlicet juris eligendi, non de legali: denique esto, quod etiam de hac loquatur, inde plus non evincitur, quam quod illa optime probetur, allegatis actibus judicialibus. *Ad* 2. dicendum similiter, inspici debere, an consuetudo sit firmata in judicio contradictorio, non tamen de necessitate, sed tantum de utilitate; qua probatione sumpta ex actibus judicialibus relevatur allegans consuetudinem ab ulteriore ejusdem probatione, cum haec sit optima illius probatio.

Dub. 3. an consuetudo unius civitatis obligare aliam possit? Rationem dubitandi facit *c. super eo* 3. *de cognat. spirit.* ubi episcopo videtur praecipi *consuetudinem metropolitanae ecclesiae, vel aliarum circumpositarum inquirere, et diligentius imitari.*

18

Sed respondendum est negative : et ratio clara est, quia consuetudo, et praescriptio tantum habet de potestate, quantum de usu et actu, ut recte notat Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 4. §. 1. *n.* 2. igitur non extenditur de loco ad locum, vel de persona ad personam, aut de casu ad casum. *Conf.* quia princeps solum censetur velle obligare consuetudine communitatem, quae illam introduxit, non aliam : item communitas illam introduxit tantum animo obligandi se. Interim tamen casu, quo jure nihil statutum, vel consuetudine receptum circa aliquam rem est in civitate una, bene faciet judex, si ad consuetudinem vicinarum civitatum recurrat, modo illa rationabilis sit; debet enim secundum aequum judicare, quod facillime desumet ex consuetudine rationabili viciniae.

Neque obstat *c. super eo cit.* quia ut locum istum Pal. *cit. n.* 3. explicat, illa inquisitio, et investigatio non injungitur ex precisa obligatione, sed solum ex aequitate. Deinde dici potest, id ibi fuisse injunctum episcopo, ut cognosceretur, quae probabiliter fuerit consuetudo in ecclesia propria ; in hac enim ceteris paribus praesumitur esse consuetudo eadem, quae in vicinis.

19

Dub. 4. an consuetudo induci possit, quae solum ad poenam obliget, non vero ad culpam ? Resp. Affirmative. Est certa sententia apud omnes, teste Pal. *p.* 4. *cit.* §. 1. *n.* 1. Ratio est, quia id lege fieri potest : ergo etiam consuetudine, quae pro lege suscipitur.

20

Quaeritur 2. an, et qua ratione consuetudo abroget legem praeexistentem ? *Certum est*, posse legem abrogari per consuetudinem, prout habetur *c. fin. h. tit. l. de quibus* 32. *et l. sed et ea* 35. *ff. de legib.* Ratio est, quia eadem vis est consuetudinis, quae legis : igitur sicut lex posterior abrogat priorem legem contrariam, ita et consuetudo, modo illa rationabilis, et legitime praescripta sit.

Certum est 2. per nullam consuetudinem derogari posse legi naturali ; quia hoc jus immutabile est; §. *sed naturalia* 11. *inst. de J. N. G. et C.*

Certum est 3. non posse praevalere consuetudinem adversus jus divinum positivum ; quia consuetudo est jus mere humanum, utpote introductum moribus populi, et consensu legali principis ; potestas autem humana praevalere potestati, et legi divinae nequit, utpote longe superiori, quae jus consuetudinarium contra suas leges nunquam approbavit.

Certum satis est 4. quod consuetudo etiam praevalere non possit adversus jus gentium ; quia hoc, dictante ratione, omnium, aut fere omnium gentium consensu introductum, et ideo introductum est, quia

ad stabiliendum inter ipsas commercium necessarium, aut summe utile videbatur: igitur non apparet, quomodo consuetudo huic juri contraria possit esse rationabilis.

Certum est 5. per consuetudinem abrogari posse legem civilem; hoc enim *l. de quibus cit.* aperte conceditur.

21

Dubium est 1. de lege canonica. Rationem dubitandi faciunt diversi textus 1. *c. fin. h. tit.* ubi licet consuetudini adstruatur magna authoritas, expresse tamen negatur vis, quae *juri positivo praejudicium generare* valeat. 2. *c. ad nostram audentiam* 3. *eod.* ubi *consuetudo, quae canonicis obviat institutis, nullius esse momenti* dicitur 3. *c. cum venerabilis* 7. *eod.* ubi Innocentius III. ait, quod *non tam consuetudo, quam corruptela censenda sit, quae sacris est canonibus inimica*: quod repetitur *c. consuetudinem* 1. *eod. in* 6.

Verum, ut recte monet gloss. *fin. in c.* 8. *de sent. et re judic.* textus isti, et ipsis similes intelligi solum debent de consuetudine irrationabili, et nondum legitime praescripta. Et hinc per argumentum a sensu contrario, si rationabilis illa, et legitime praescripta sit, etiam juri ecclesiastico derogare poterit, ut communis sententia DD. habet, et generalitas *c. fin. cit.* probat. Proceditque hoc etiam quoad sacramentalia, et ipsas etiam sacramentorum caeremonias, si substantiales illae non sint, et a Christo praescriptae prout colligitur ex *can. trina* 80. *de consecrat. dist.* 4. ubi statuitur, posse baptismum conferri una, vel trina mersione pro cujusque ecclesiae consuetudine. Ratio est, quia cum hae caeremoniae sint institutiones mere humanae, nullum fundamentum est eas excipiendi a generalitate *c. fin. cit.*

22

Dub. 2. an consuetudo abrogare possit legem solum quoad poenam, relicta obligatione quoad culpam, aut vicissim abrogare quoad culpam, manente obligatione quoad poenam? *Quoad* 2. *quaesiti partem* satis certa est affirmativa, et ratio est, quia possunt dari leges pure poenales, quae solum ad poenam obligent; ergo etiam consuetudine id obtineri potest. *Excipe*, nisi poena talis sit, quae culpam propriam supponat, quales sunt censurae; nam hae numquam imponuntur, nisi contumacibus, et cons. culpam propriam committentibus: et hinc fieri non potest, ut ad ejusmodi poenam maneat obligatio, sublata per consuetudinem obligatione ad culpam.

Quoad primum major est controversia. Negat Alphons. a Castro *l.* 2. *de leg. poenal. c.* 12. alios referens, et rationem dat; quia qui facit contra legem obligantem in conscientia, committit culpam: igitur poena adstringitur; nam poena est propter culpam, et culpam sequitur: cons. non potest consuetudo abrogare poenam legis, manente obligatione legis.

Sed melius tenetur affirmativa sententia, quam etiam defendunt Sylvest. *V. consuetudo q.* 11. Suar. *l.* 7. *de legib. c.* 19. *n.* 3. Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 4. §. 2. *num.* 3. *et apud hos citt.* Ratio est, quia consuetudo potest, quod princeps potest per legem : sed princeps potest per legem abrogare poenam in lege positam, manente obligatione legis : ergo etc. *Conf.* nam *can. cum multae* 3. *caus.* 15. *q.* 8. et *extrav. ambitiosae de reb. eccl. alien.* aliisque multis decretis variae poenae sunt impositae, quae jam usu cessarunt, manente obligatione legis.

Ad argumentum contrarium dico, violatorem legis committere culpam, et poenae obnoxium esse, non tamen huic poenae determinatae, quam lex imposuit ; nam haec per consuetudinem tolli potest, et relinqui in arbitrio judicis, quam ipse velit imponere.

23

Dub. 3. an abrogari consuetudine possit lex prohibens consuetudinem contrariam, quod fieri solet, adjecta legi clausula *non obstante quavis consuetudine* ? *Certum est*, nulla consuetudine abrogari vel derogari posse legi reprobanti aliquam consuetudinem, tanquam contrariam juri naturali, aut divino, quia talis consuetudo non esset rationabilis.

Difficultas solum moveri potest de lege humana. Et ratio difficultatis est 1. quia qui prohibet consuetudinem futuram, prohibet illius efficaciam ; alias sine effectu foret prohibitio ; sed si prohibetur efficacia consuetudinis, ista contra legem praevalere non potest : ergo etc. 2. Consuetudo vim abrogandi legem habet solum ex consensu, et voluntate legislatoris : atqui in casu dubii legislator prohibens consuetudinem contrariam jam sufficienter manifestat, se nolle consuetudinem praevalere huic legi : ergo etc. 3. Si lex aliqua prohibeat praescriptionem alicujus rei, vel saltem intra 40. annos praescribi nolit, talis res vel omnino non praescribitur, vel nonnisi tempore 40. annorum, esto interveniat titulus, et bona fides : ergo nec consuetudo abrogare poterit legem, quae prohibet consuetudinem contrariam legi.

Verum haec difficultas solvi ope distinctionis potest, qua utitur Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 4. §. 2. *n.* 10. *et apud hunc citt.* Vel enim adhuc manent circumstantiae, propter quas consuetudo adversa legi reprobatur per legem, vel circumstantiae illae cessarunt. *Si primum*, consuetudo adversus legem praevalere non potest ; quia quamdiu manent illae circumstantiae, lex est, et perseverat esse rationabilis, et cons. consuetudo illi contraria est irrationabilis. *Si secundum*, praevalere adversus ejusmodi legem consuetudo potest ; quia tali casu legislator rationabiliter abrogare legem suam posset : ergo etiam consentire, ut abrogetur per consuetudinem. Ex quo patet responsio ad argumenta opposita.

24

Dub. 4. an consuetudo possit abrogare etiam legem infirmantem, seu irritantem, e. g. quae formam substantialem praescribit actui, vel certas personas ad contrahendum, eligendum etc. facit inhabiles etc. Rationem dubitandi facit *c. quod super* 5. *de consang. et affinit. in fin.* ubi pontifex cavet, *ne inter gradus prohibitos contrahatur matrimonium, et praesumptores districtione ecclesiastica* puniri jubet, *non obstante consuetudine, quae dicenda est potius corruptela.*

Sed adhuc standum est pro affirmativa sententia. Ita Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 4. *num.* 14. Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 4. §. 2. *num.* 5. *et ab hoc citt.* Ratio est, quia id fieri potest per legem, ut nemo dubitat: ergo etiam per consuetudinem, quae loco legis succedit. Ex quo sequitur, per consuetudinem introduci posse impedimenta matrimonium irritantia, et introducta aboleri, si illa introducta sint jure tantum humano.

Ad rationem dubitandi dico *c. cit.* loqui de consuetudine nondum legitime praescripta; haec enim non habet vim abrogandi legem.

25

Dub. 5. an legem antea constitutam abrogare possit etiam consuetudo non introducta cum bona fide? Negant gloss. *in c.* 3. *V. canonice h. tit. in* 6. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 17. *q.* 6 Laym. *in c. fin. h. tit. num.* 9. Pirch. *hic num.* 44. secuti communiorem doctrinam antiquorum. Ratio, qua moventur, est 1. quia consuetudo, ut praevaleat adversus legem debet esse legitime praescripta: legitima autem praescriptio sine bona fide nec inchoari potest, nec currere 2. Quia sic daretur ansa subditis ad agendum adversus legem, ut sic paulatim liberentur ab obligatione legis 3. Quia si bona fides non requireretur ad consuetudinem, tunc communitas, etsi sciret se obligari ad solvendas decimas, adhuc tamen non solvendo se liberare posset ab obligatione solvendi: quod falsum est.

Sed probabilius bona fides ad introducendam consuetudinem legalem adversus legem non requiritur, ut aliis *citt.* advertit clarissimus antecessor, et professor meus P. Jacobus Vviestner *hic* 33. Colligitur ex *l. de quibus* 32. §. *inveterata* 1. *in fin. ff. de legib.* ubi dicitur, *rectissime receptum esse, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur:* atqui ad tacitum consensum requiritur scientia, et notitia legis; quia errantis, sive ignorantis nullus est omnino consensu *l. si per errorem* 15. *ff. jurisdict.* ergo ad consuetudinem contra legem necessaria est hujus scientia, et cons. mala fides. *Cons.* quia ad consuetudinem adversus legem requiritur, ut frequententur actus contrarii, non quomodocunque, sed animo abrogandi legem, ut dictum est *n.* 14. hic

animus haberi non potest sine scientia legis, et cons. mala fide: ergo etc.

Neque obstant argumenta contraria. *Ad* 1. Consuetudo legitime praescripta tunc dicetur, cum habuerit ea, quae requiruntur ad consuetudinem legalem. *Ad* 2. etsi illicitum inde capere mali possint ad transgressionem legis, minus tamen id noxium est, quam perseverantia legis, cujus observantia post diu continuatas transgressiones a communitate moraliter sperari non potest. *Ad* 3. illa consuetudo magis proprie praescriptio est, cum per illam laedatur jus ecclesiae: cons. mirum non est, quod ad illam requiratur bona fides. Neque obstat, etiamsi hoc a communitate fiat; nam tali casu communitas instar privati habetur, ut notatum est supra *n.* 1.

26

Quaeritur 3. quam vim consuetudo habeat interpretandi legem? Certum est, hunc effectum competere consuetudini; nam is aperte eidem tribuitur per *c. cum dilectus* 8. *h. tit.* et *l. si de interpretatione* 37. *ff. de legib.* Ratio est manifesta; nam si consuetudo vim habet introducendi novas leges, et jam statutas abrogandi, a fortiori habere debet efficaciam interpretandi illas, praesertim cum effectus iste videatur esse magis necessarius, quam alii; saepe enim leges obscurae sunt, et ambiguae tum in obligatione, tum in materia, ad quam se extendunt: ad quod dubium tollendum optima regula erit inspicere, quomodo usu receptae sint: nam usus, et consuetudo legis interpres est mentis, quam habuit legislator ferendo legem.

27

Dub. 1. an consuetudo interpretari legem possit authentice, an solum doctrinaliter, ut leges interpretari DD. solent? Resp. cum distinctione: vel enim consuetudo jam est legitime praescripta, vel non. *Si primum*, interpretatio ejusdem est authentica, et sequenda, ut lex, prout constat ex *l. nam imperator* 38. *ff. de legib.* et ratio est, quia vere lex est; talis enim consuetudo pro lege suscipitur. *Si secundum*, interpretatio ejusdem solum est doctrinalis, ut doctorum, sed altiori tamen ratione, quia in consuetudine plures in unum conveniunt. Porro, ut primum effectum habeat consuetudo, requiruntur omnia, quae alias requiruntur, ut consuetudo vim legis habeat: ut vero sortiatur effectum alterum, videlicet interpretandi legem doctrinaliter, ea omnia non requiruntur; neque opus est, ut duraverit decennio, sed sufficit minus tempus. Excipe, si sit contra claram juris dispositionem; talis enim consuetudo, usque dum acquirat omnia, ad legitimam consuetudinem requisita, pro corruptela potius habenda est, ac proinde judicem movere nequit, ut secundum illam ferat sententiam. Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 4. §. 3. *n.* 2. *et* 3.

28

Dub. 2. in quibus vim interpretandi modo assertam exerat consuetudo ? Resp. potestas haec est admodum ampla ; nam 1. secundum illam regulandi sunt contractus ; quia secundum illam intelliguntur facti , nisi aliud expressum fuerit *l. semper in stipulationibus* 34. *ff. de R. J. l. quodsi nolit* 32. §. *quia assidua* 20. *ff. de aedilit. edict.* 2. secundum consuetudinem introductam regulandum est judicium tam internum , quam externum ; quia judices debent secundum leges judicare : sed nulla firmior , et solidior earum interpretatio esse potest, quam ea , quae per consuetudinem habetur : ergo etc. Pal. §. 3. *cit. num.* 6. Proceditque hoc etiam in pronuntiatione arbitri compromissarii ; nam etiam iste secundum consuetudinem legitime introductam , et praescriptam judicare debet. Et hoc verum est , etiamsi partes in illum compromiserint , ut procedat secundum leges , et consuetudo istis contraria sit ; nam etiam consuetudo legitime praescripta lex est , et imperatur servari , ut lex. Pal. *num.* 4. *et ab hoc. citt.* 3. Vis interpretandi legem in consuetudine se extendit etiam ad jus divinum , non quidem , quasi illa aliquid huic addere , vel minuere illud possit , sed solum indicando mentem legislatoris : patet in multis traditionibus, et generalibus consuetudinibus totius ecclesiae circa usum sacramentorum , quae sufficienter Christi institutionem declarant ; Suar. *l.* 7. *de legib. c.* 7. *num.* 6.

29

Quaeritur 4. an consuetudo etiam vim habeat irritandi actum alias de jure validum ? Resp. affirmative ; quia habet vim legis : atqui lex habet effectum irritandi : ergo et consuetudo. *Ex quo sequitur* , posse per consuetudinem induci impedimenta irritantia matrimonium.

Dubium 1. est , an tali casu requiratur scientia pontificis de tali consuetudine ? Ratio dubitandi est , quia introducentes ejusmodi consuetudinem sunt inferiores pontifice ; inferior autem disponere circa legem superioris non potest : ergo etc. Sed dicendum , non esse necessariam istam scientiam. Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *pag.* 4. §. 4. *n.* 2. *et apud hunc citt.* Ratio est , quia *c. fin. h. tit.* et *l. de quibus* 32. *ff. de legib.* nulla fit mentio istius scientiae , sed tantum petitur , ut consuetudo sit rationabilis , et legitime praescripta. *Neque obstat ratio dubitandi ;* nam consuetudinis istiusmodi vis est ex consensu pontificis ; potest autem inferior cum consensu superioris de lege superioris disponere.

30

Dub. 2. utrum in consuetudine irritante matrimonia requiratur , ut talis consuetudo sit laicorum simul , et clericorum ? Affirmat Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 4. *n.* 11. *circa finem* cum non paucis aliis , ex ratione , quia in legibus ecclesiasticis nihil possunt laici : ergo consuetudo

laicorum praecisē non valebit statuere impedimenta matrimonii, sed debebit accedere consuetudo clericorum, non admittentium ad matrimonium cum ejusmodi impedimento. Sed respondendum est negative cum Pal. §. 4. *cit. n.* 4. et dicendum, hoc casu sufficere solam consuetudinem laicorum. Ratio est, quia in iis, quae spectant ad laicos, etsi ecclesiastica sint, consuetudinem inducere laici soli possunt, cum id faciant ex consensu pontificis, qui generaliter vim legis tribuit omni consuetudini legitime introductae.

Ex quo cadit ratio in contrarium; nam etiam laici possunt aliquid facere in legibus ecclesiasticis cum consensu pontificis, qui hoc casu, ut est dictum, non deficit.

31

Quaeritur 5. quae sit vis, et effectus consuetudinis immemorialis? Veteres juris consulti cum Innoc. *in c.* 13. *de judic. n.* 5. pro regula tradunt, consuetudine immemoriali acquiri posse omnia illa, quae privilegio, et indulto principis acquiri possunt. Rationem dant, quia consuetudo, cujus initii non extat memoria, aequiparatur privilegio, habeturque loco tituli legitime constituti, et probati, ita ut concesso, vel probato temporis immemorialis lapsu, melior titulus allegari nequeat: hinc clausula prohibente, vel irritante consuetudinem contrariam ipsa non comprehenditur, ut pluribus aliis *citt.* advertit Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 24. *n.* 7.

Verum haec regula generaliter vera non est, sed duplici limitatione indiget. *Prima est*, nisi is pro quo allegatur praescriptio, vel consuetudo immemorialis, sit incapax possidendi, extra casum, quo habilitatur per privilegium; ex hoc enim capite laicus nunquam per quamcunque consuetudinem acquirere potest jus decimandi, eligendi, confirmandi ad beneficia etc. etsi haec omnia acquirere possit per privilegium pontificium. Ratio est, quia hoc ipso, quod praescriptio sine possessione non procedat *reg.* 3. *in* 6. sequitur, quod is, qui incapax est possidendi, etiam incapax sit acquirendi per praescriptionem, vel consuetudinem. *Altera est*, nisi ejusmodi consuetudini, vel praescriptioni resistat jus, eaque tanquam abusus, et corruptela a lege, vel canone reprobetur: et ob hanc rationem induci consuetudine non potest immunitas ab obligatione observandi interdicta ecclesiastica, potestas retinendi simul duos canonicatus, personatus etc. Ratio est, quia cum consuetudo, et praescriptio vim omnem debeant legibus, vel ss. canonibus, quibus introductae, et approbatae sunt, locus illis non erit respectu rerum, et personarum, respectu quarum illis resistit jus. *l. ubi lex* 24. *ff. de usurpat. et usucap.*

32

Dub. an nihil efficiat temporis immemorialis lapsus, si cadat in personam alias jure inhabilem, si saltem concurrat cum tempore im-

memoriali fama, seu existimatio constans, et publica privilegii apostolici aliquando obtenti? Resp. hoc casu quidem jus possessori nullum acquiri, cum lapsus temporis immemorialis, etiam cum fama privilegii habilitare personam ad veram, et legitimam possessionem nequeat: si tamen utrumque, scilicet fama privilegii, et temporis immemorialis possessio legitime probetur, vel aliunde de iisdem constet, fundabunt praesumptionem privilegii, ut continuari exercitium juris hactenus possessi possit, donec probetur contrarium. *Ex quo sequitur*, adversus ejusdem tempus immemoriale, etiam cum fama privilegii junctum, admitti probationem; quamvis enim faciant praesumptionem, illa tamen praesumptio ex nullo juris textu probatur, quod sit juris, et de jure: et hinc si vitium tituli in possessione ejusmodi demonstretur, praesumptio inde orta cedere debebit veritati.

§. IV.

De consuetudinis probatione, et abrogatione.

SUMMARIUM

33 *Consuetudo ab allegante probari debet.*
34 *Et quidem plene.*
35 *Assertio unius doctoris excellentis in foro externo praesumptive eandem probat, non concludenter.*
36 *Unicus testis illam nec semiplene probet.*
37 *Abrogari consuetudo potest vel per legem.*
38 *Vel per consuetudinem aliam oppositam.*

33

Quaeritur 1. an probari debeant consuetudo, vel praescriptio ab eo, qui has allegat? Resp. affirmative. Est recepta omnium sententia apud Pal. *tr.* 3. *disc.* 3. *p.* 6. *n.* 2. Ratio est, quia ea, quae consistunt in facto, non praesumuntur. *Excipitur* 1. si sit notoria; notoria enim probatione non indigent. *Excipitur* 2. si respiciat ordinem procedendi; haec enim aliunde nota judici esse debet, vel si ignota sit, informationem de illa melius aliunde, quam ex partibus judex capiet. *Excipitur* 3. si constituat stylum curiae, ex priori ratione. *Excipitur.* 4. si dubitetur, an sit rationabilis; cum enim tunc solum agatur de qualitate consuetudinis, et res juris, non facti sit ad judicem pertinebit de controversia illa discernere.

34

Dub. 1. quomodo probari debeat consuetudo ? Resp. Saltem quando causae decisio ex consuetudine allegata pendet, plene illam probare allegans debet, ut aliis *cit.* advertit Pal. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 6. *num.* 6. neque enim consuetudinis probatio ab aliis probationibus singulare aliquid habet. Plene autem probata censebitur, si de illa deponant duo saltem testes ; et simul testentur, se vidisse, sic observatum esse in illo loco, scientibus, et praesentibus multis, toto temporis spatio, quod ad introducendam consuetudinem requiritur ; neque enim sufficit, si testentur esse consuetudinem, nisi illius rationem reddant. Ratio est, quia consuetudo est usus frequens populi, longo tempore durans : ergo qui de consuetudine testari vult, debet testari de usu frequenti durante per longum tempus. Verum si testes deponant de tempore immemoriali, sufficiet, si testentur, se ita vidisse, et a majoribus audisse observatum qui viderint, aut audierint aliquid contra fieri.

35

Dub. 2. an consuetudo probetur sufficienter per assertionem alicujus excellentis doctoris, testantis in scriptis suis, esse hanc consuetudinem ? Certum est satis ; quod in foro conscientiae tali doctori, sic asserenti aliquid, fides integre adhiberi possit, dummodo alii non contradicant ; nam hoc si fieret, necesse foret, ut conveniant plures DD. vel saltem illius unius assertio adjuvetur aliis gravibus conjecturis, ut notat Suar. *lib.* 7. *de legib. c.* 11. *num.* 8. In foro externo adhibenda est distinctio, et dicendum, tali assertioni credendum praesumptive, non autem concludenter. *Quod probet praesumptive,* patet ; nam etiam testis alius, quamvis non juratus, praesumptionem facit, ut notat gloss. *in c.* 51. *V. nisi juratus. de testib. Quod vero non probet concludenter*, inde constat ; quia consuetudo est quid facti : ea vero, quae facti sunt, etiam prudentissimos plerumque fallunt. *l. in omni* 2. *ff. de jur. et fact. ignor.*

36

Dub. 3. utrum unicus testis probet consuetudinem saltem semiplene, ita ut juramentum suppletorium deferri possit? Resp. negative. Ita Pal. *p.* 6. *cit. num.* 7. et apud hunc *Bald. Miscard. etc.* Ratio est, quia cum consuetudo debeat esse pluribus nota ; si unus tantum inveniatur, qui notitiam illius habeat, merito ille suspectus censeri poterit, et testimonium ejusdem fallax. *Excipitur*, si agatur de consuetudine multum antiqua ; quia tunc vix est, qui illius recordetur, et unus testis juratus semiplenam constituet probationem *ex auth. sed cum testator C. ad L. falcid.* et *l. si arbiter* 28. *ff. de probat.*

37

Quaeritur 2. an, et quomodo abrogari consuetudo per legem expressam possit ? Resp. Quod ita abrogari consuetudo possit, clare con-

stat ex *c. licet* 1. *de constit. in* 6. et *c. cum consuetudinis* 9. *h. tit.* probatque hoc ratio ; quia tota consuetudinis vis est ex voluntate legislatoris saltem tacita : ergo si contrarium disponat legislator , vis cessat in consuetudine. Ut autem dici possit , quando per legem abrogata censeatur consuetudo , sequentes regulae observandae sunt. 1. nulla lex consuetudinem abrogat , nisi clare e diametro sit ei contraria ? Ratio est , quia consuetudo legitime praescripta jus quoddam est , cujus correctio vitanda est , quoad fieri potest. *l. praecipimus* 32. *C. de appellat.*

2. Lege universali abrogatur consuetudo aeque universalis illi opposita , etsi in lege istius non fuerit facta mentio , neque adjecta clausula aliqua derogatoria. Sumitur ex *c. licet. cit.* ubi solum singularium consuetudines dicuntur non abrogari per legem generalem. Ratio est , quia consuetudo universalis non praesumitur ignorata a principe : ergo cum legem illi contrariam statuit , intelligitur velle eidem derogare.

3. Lege universali non censetur abrogari consuetudo particularis alicujus loci , nisi illa hujus mentionem faciat , vel saltem addatur clausula generalis derogatoria consuetudinis cujuscunque contrariae. Constat ex *c. licet cit.* et ratio ibidem datur , quia papa , vel princeps legis conditor *locorum specialium consuetudines potest* , et *probabiliter* praesumitur *ignorare* : et propterea *ipsis per constitutionem a se noviter editam , nisi expresse caveatur in ipsa , non intelligitur in aliquo derogare.*

4. Lege speciali facta a principe superiore , v. g. papa , imperatore etc. pro aliqua civitate , vel provincia suae ditionis , probabile est , non abrogari , vel derogari consuetudini particulari illius provinciae , nisi expresse apponatur clausula derogatoria , ut ex argumento primum allato colligit Pal. *l. cit. n.* 6. Neque obstat , sic legem fieri frustraneam , quod neminem liget ; quia hoc per accidens est ob consuetudinem ignoratam.

38

Quaeritur 3. an abrogari consuetudo etiam possit per aliam consuetudinem ? Resp. Affirmative : habet enim consuetudo omnes effectus legis : igitur sicut lex , ita et consuetudo abrogare consuetudinem potest.

Ut vero vim istam habeat , debet esse contrarie opposita consuetudini : et hinc si consuetudo est universalis , abrogari debet per aliam consuetudinem universalem ; particularis autem abrogare universalem non potest , sed tantum derogare , in loco scilicet , in quo cum generali oppositionem habuerit , ut recte notat Pal. *p.* 6. *cit. n.* Ratio est , quia consuetudo non inducit jus , nisi usu , et facto ; ergo non potest contrarium jus inducere nisi usus et facta contraria sint.

Praeterea in consuetudine derogatoria requiritur idem tempus, quod consuetudo praeexistens, et abroganda requisivit ad sui constitutionem; debet enim esse legitime praescripta, quod fieri non potest, nisi saltem decennio.

Denique actus, vel omissio actus, qui per consuetudinem abrogandam exerceri poterat, vel debebat, debet esse libera; nam si occasio exercendi ejusmodi actum nunquam se offerat, non usus abrogare consuetudinem praeexistentem nunquam poterit.

PARS II.

Creatio judicis ecclesiastici.

Judex ecclesiasticus episcopali plerumque, vel alia dignitate ecclesiastica solet insignis esse. Ad hanc perveniendi quadruplex via panditur. 1. Per postulationem. 2. Per electionem. 3. Per translationem. 4. Per renuntiationem a possessore priori factam. Quae omnia per sequentes titulos explicantur.

TITULUS V.

De postulatione praelatorum.

Postulationis nomen tripliciter potest accipi. 1. Late, et in hoc sensu significat quamcunque gratiae cujuscunque petitionem. 2. Magis specifice pro querela, vel petitione facta contra aliquem in judicio *l. hunc titulum* 1. §. *postulare* 2. *ff. de postuland.* de qua agitur *tit.* 37. 3. Strictius adhuc, et in nostrae rubricae sensu pro ea solum petitione, qua eligentes in praelatum sibi a superiore petunt personam aliquam, quae ob defectum aliquem non potest eligi. De hac igitur sit.

§. I.

De postulationis natura, varietate, effectu, et fine.

SUMMARIUM

1 *Postulationis natura, et differentia.*
2 *Ejusdem varietas.*
3 *Effectus.*
4 *Finis.*

1

Quaeritur 1. quid sit postulatio? Resp. *Postulatio* est capituli, vel collegii concors, et ad superiorem destinata petitio, ut ad praelaturam ecclesiasticam dispensative velit admittere personam aliquam, quae propter defectum, sive impedimentum canonicum non potest eligi. Ita Abb. *in rubr. h. tit. n.* 1. Laym. *ibid.* et quoad sensum DD. communiter. Convenit cum electione in hoc, quod ad eundem cum illa finem tendat, nimirum ut sedes per mortem, vel renuntiationem antecessoris vacans impleatur: in multis autem ab illa differt. Nam 1. Postulatio

est via solum extraordinaria perveniendi ad praelaturas ; electio ordinaria. 2. Postulatio est personae , quae jure impedita , et inhabilis est ad praelaturam , seu dignitatem , ideoque dispensatione indiget ; electio vero est personae , quae jure non impedita , sed habilis est. 3. Electus in electionem absolute consentire potest , postulatus non nisi sub conditione dispensationis obtinendae a superiore , cum sit secundum jura inhabilis. 4. Electio dicitur confirmari ; postulatio vero admitti a superiore : cujus causa est , 5. Ac praecipuum discrimen ; quia postulatio innititur gratiae ; electio autem juri , ut notat gloss. *in c. un. V. eligo h. tit. in* 6. Ex quo sequitur. 6. Et ultimum , quod etsi electus instituta actione petere praelaturam possit , postulato tamen , antequam postulatio a superiore admittatur , actio ad praelaturam non competat , cum adhuc summo jure a superiore ab hac repelli possit.

2

Quaeritur 2. quotuplex sit postulatio ? Resp. Duplex , solemnis , et non solemnis. *Solemnis* , ut eam describit Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 34. est , quando postulatur quis ab eo superiore , qui potest super omni impedimento postulati dispensare : cujusmodi est illa , quam *num. praec.* descripsimus. *Non solemnis* , seu *simplex* , quando quis postulatur ab eo ; qui non potest dispensare super impedimento , requiritur tamen ejus consensus ad promotionem sic postulati propter peculiare interesse , vel jus , quod in illa habet : talis est , cum religiosus assumitur in episcopum ; nam hunc ad episcopatum assumi nulla lex canonica prohibet , tanquam inhabilem , sed solum praecipit , ut non assumatur sine praelati sui licentia.

Ex quo patet differentia inter utramque hanc postulationem ; nam *solemnis* dispensatione indiget , qua opus non habet *simplex* , seu *non solemnis :* atque hinc ista est quaedam electionis species , ad id instituta , ut superior suo in electum jure cedat , et licentiam dando permittat , ut electus in sui electionem consentire possit.

3

Quaeritur 3. quis sit effectus postulationis solemnis ? Resp. Postquam admissa est a superiore , vim habet electionis confirmatae , ita ut postulatus omne jus consequatur , perinde , acsi fuisset electus , et confirmatus : et hinc electione , vel confirmatione alia opus non habet , ut notat Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 34. Ante admissionem autem postulatio nullum jus tribuit postulato ; quia ut *n.* 1. dictum est , a gratia superioris dependet. Hinc etiam postulatus , antequam postulatio admittatur a superiore , suscipere nequit administrationem ecclesiae , ad quam postulatus est : et si illam susceperit , privatur omni commodo postulationis : postulantes autem , si eum ad illam gerendam admiserint , jure postulandi , vel eligendi pro illa vice excidunt , et jus illud ad papam devolvitur , ut ex *card. Tusc.* advertit Pirh. *hic n.* 38.

4

Quaeritur 4. quis sit effectus postulationis non solemnis? Resp. Facit, ut secuta admissione, seu data licentia a superiore, postulatus possit eligi, si antequam eligeretur, postulatus fuit; vel si post electionem est postulatus, ut electus confirmari; Abb. *l. cit.* Sylvest. *V. postulatio q.* 6.

Ex quo sequitur, postulationem non solemnem fieri posse vel ante electionem, si videlicet petatur a superiore consensus, ut subditum suum eligi patiatur; vel post electionem canonice celebratam, si scilicet petatur a superiore licentia acceptandi electionem. Imo aliquando postulatio non solemnis potest cum solemni concurrere, ut si ad episcopatum assumendus esset filius familias laicus; nam iste propter defectum clericatus postulari deberet solemniter; et quia tanquam filius familias sub patria potestate constitutus est, non solemniter: et ratio est, quia indiget dispensatione papae, quia laicus est; et licentia patris, quia hujus juri subjectus est.

5

Quaeritur 5. quis sit finis postulationis? Resp. Est in subsidium electionis introducta, ut siquis per ss. canones prohibeatur eligi, saltem adminiculo postulationis per viam gratiae: et dispensative ad praelaturam, vel aliam dignitatem ecclesiasticam admitti possit.

Causa duplex est postulationis faciendae, nempe ecclesiae viduatae necessitas, vel ejusdem utilitas. *Necessitas*, si nullus in capitulo, vel collegio sit, cui vacans praelatura tuto committi possit. *Utilitas*, si postulati pietas, doctrina, prudentia, et aliae praeclarae dotes suadeant praelaturae praefici. Potestque casu, quo necessitas, vel utilitas ecclesiae ita exigeret, episcopus consecratus, si postulatus fuerit ad aliam ecclesiam cathedralem, authoritate pontificia cogi ad acceptandam illam ecclesiam *can. scias* 35. *caus.* 7. *q.* 1. et in hoc comparatur episcopus monacho, qui non habet potestatem contradicendi suo superiori.

§. II.

Quis postulari possit, vel non possit?

SUMMARIUM

6 *Postulari possunt, qui ob impedimentum canonicum non possunt eligi.*
7 *Hoc impedimentum debet esse tale, in quo superior dispensare possit, et soleat.*
8 *An episcopus ad alium episcopatum possit eligi, an vero debeat postulari?*
9 *Quid dicendum de cardinalibus?*
10 *Quid de praelatis episcopo inferioribus?*
11 *An postulandus ad praelaturam sit clericus vel monachus extraneus?*

6

Generaliter loquendo ad praelaturas ecclesiasticas illi solum postulari possunt solemniter, qui ob impedimentum canonicum non possunt eligi. Patet ex *num. praec.* quia, ut ibi dictum est, postulatio est introducta in subsidium electionis: frustra autem peteretur, ut ex gratia admittatur ad praelaturam, qui sine illa ad eandem promoveri potest. Sequitur ergo, quod nec postulandus possit eligi, nec eligendus postulari.

7

Quaeritur 1. quale impedimentum, vel defectus esse debeat, ut propter illud postulari aliquis possit, aut debeat? Resp. Debet esse talis, in quo superior dispensare possit, et soleat, ut notat Abb. *in c. fin. h. tit. n.* 8. *Ex quo sequitur* 1. postulari posse, et debere 1. laborantes defectu natalium *c. innotuit* 20. *de elect.* 2. aetatis legitimae, ut si quis nondum implevit annum 30. aetatis respectu episcopatus *c. cum nobis* 29. *eod.* 3. ordinis, ut si laicus, vel in minoribus constitutus in episcopum assumendus sit *c. dudum* 22. *eod.* 4. professionis religiosae, ut si novitius, vel alius numquam expresse professus assumendus esset in praelatum *c. cum monasterium* 13. *eod.* Haec enim, et similia impedimenta, etsi faciant, ut eo laborans non possit eligi, non tamen impediunt, ne possit postulari cum talia sint, in quibus ab ecclesia dispensari possit, ac soleat.

Sequitur 2. postulari non posse, qui jure aut naturali, aut divino inhabiles sunt ad dignitatem episcopalem, vel praelaturam aliam, quales sunt infantes, furiosi, amentes, propter crimen infames, ru-

des omnino, et illiterati; quia cum his superior dispensare vel omnino non potest, vel non debet, cum officium, ad quod per postulationem promovendi essent, honeste, et utiliter exercere non possint.

Sequitur 3. similiter postulari non posse bigamos *c. nisi* 10. *de renunt.* spurios, sive ex damnato coitu procreatos *arg. c.* 10. *cit.* et alios, qui etsi laborent defectu ab ecclesia dispensabili, tali tamen in quo ecclesia dispensare non soleat.

Sequitur 4. postulationis capaces non esse omnes illos, quos jus ecclesiasticum specialiter postulari prohibet: quales sunt temerarii violatores interdicti *c. ad haec* 1. *h. tit.* Religiosi mendicantes ad ecclesiam saecularem inferiorem cathedrali, et ad monasterium quodcunque extra suum ordinem; minor 27. annis ad ecclesiam cathedralem. *Extrav. un. int. comm. h. tit.* Neque obstat praxis Germaniae, ubi saepe ad ecclesias cathedrales, et metropolitanas videmus eligi principes, qui 27. imo 20. aetatis annum non attigerunt; quia, ut observat P. Vviestner *hic n.* 9. praxis ista innititur indulto pontificio, quo ejusmodi personae principes saepe in ipsis collationibus canonicatuum a papa reddunturhabiles, ut etiam ante praescriptam a jure aetatem ad ecclesias cathedrales postulari possint.

8

Quaeritur 2. an episcopus ad alium episcopatum possit eligi, an vero debeat postulari? Resp. Cum distinctione: vel enim est electus tantum, vel etiam confirmatus, aut consecratus. *Si primum*, eligi adhuc ad illam ecclesiam potest; quia licet per acceptationem electionis conjugium spirituale inter ipsum, et ecclesiam sit quodammodo inchoatum, nondum tamen est perfecte contractum: igitur sicut talis episcopus electus tantum ante confirmationem, a pontifice impetratam renuntiare juri per electionem quaesito potest, ita etiam poterit ad aliam ecclesiam eligi. *Si secundum*, iterum distinguendum est, an talis episcopus confirmatus, vel consecratus sit titularis solum, quales in Germania nostra sunt episcoporum in pontificalibus vicarii, qui vulgo suffraganei nuncupantur; an vero dioecesin, et ecclesiam actu habeant, quam per se, vel per vicarios suos gubernent. De *posterioribus* certum est, eos, ut ad aliam cathedralem ecclesiam assumi possint, postulari debere: estque perinde, sive talis episcopus sit jam consecratus, sive solummodo confirmatus; quia per confirmationem conjugium spirituale episcopi cum sua ecclesia ratum fit, per consecrationem consummatum: utroque casu intercedit vinculum spiritualis conjugii.

Major difficultas est de prioribus, seu episcopis titularibus; cum enim hi careant clero, et populo, simul et facultatibus, utpote qui ecclesias suas, et episcopatus in partibus infidelium constitutos habent, necesse erit, ut si ad congruam substentationem suam eis non suffi-

ciat proprium patrimonium, de ea ipsis provideatur aliunde : igitur nihil prohibebit, quin etiam promoveantur ad ecclesiam, et episcopatum habentem clerum, et populum. *Conf.* is, qui renuntiavit episcopatui, etsi confirmatus, et consecratus fuisset, post renuntiationem legitime factam ad aliam ecclesiam denuo potest eligi per viam ordinariam electionis : ergo etiam talis episcopus titularis.

Verum his non obstantibus, dicendum, ejusmodi episcopos titulares, nisi breve, seu indultum eligibilitatis a sede apostolica habeant, non posse eligi, sed debere postulari ad aliam ecclesiam. Ita P. Wiestner *hic n.* 11. Ratio est, quia licet possessionem episcopatus sui non habeant, tamen per confirmationem, et consecrationem episcopalem vere conjuncti matrimonio spirituali sunt cum sua ecclesia, in cujus signum annulum et ipsi gerunt : igitur non minus, ac alii episcopi, qui clerum, et populum habent, ut assumi ad aliam ecclesiam cathedralem possint, postulari debent. Addidi *nisi indultum eligibilitatis habeant ;* nam tale indultum hujusmodi episcopis titularibus, quando simul sunt canonici cathedralium ecclesiarum, non difficulter conceditur, concedique etiam solet sive tum, quando ecclesiae suae desponsantur, sive postea.

Ad argumentum contrarium satis prospectum est istis episcopis tum a jure, tum etiam alias, ut sustentationem congruam habeant : a jure quidem, quia, ut communis doctrina habet, per assumptionem illorum ad episcopatum, beneficia ab iisdem prius obtenta non vacant ; alias autem, quia plerumque sunt ceterorum episcoporum suffraganei, a quibus etiam sustentationem accipiunt. *Ad conf.* negatur paritas ; nam per renuntiationem, a superiore admissam, conjugium spirituale solvitur, cons. cessat causa, quare talis episcopus ad aliam ecclesiam non possit eligi.

9

Quaeritur 3. utrum S. R. E. cardinalis ad episcopatum eligi possit, vel postulari debeat ? Postulandum contendit Host. *in c.* 57. *de elect.* Sylv. *V. postulatio q.* 3. Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 3. *q.* 15. Moventur 1. textu *c. bonae* 3. *h. tit.* ubi cardinalis presbyter ad archiepiscopatum dicitur postulatus. 2. Cardinales, etiam non episcopi, sunt majores episcopis, et saltem in ecclesiis sui tituli jurisdictionem quasi episcopalem habent ; indecens autem videtur esse, ut quis per electionem a majore dignitate ad minorem descendat. 3. Cardinalis adstrictus est romanae ecclesiae : ergo sicut episcopus, eo, quod sit adstrictus suae ecclesiae, postulari debet, ita et cardinalis.

Sed melius adhibetur distinctio : vel enim agitur de cardinale episcopo, vel de cardinale presbytero, aut diacono. *Si primum*, postulari debet, et quidem solemniter ; quia laborat vinculo conjugii spiritualis, quo ecclesiae suae devinctus est. *Si secundum*, postulari qui-

dem debet, sed non solemniter, ut recte aliis *citt.* advertit Pirhing *hic n.* 11. Wiestner *n.* 14. quia licet eligi nullo jure prohibeantur, ex officio suo tamen papae sunt obligati, ut eum in regenda universali ecclesia consiliis, et opera sua adjuvent, quae cum plerumque utilior sit reip. christianae, quam si residerent in particulari ecclesia, merito licentia, et consensus papae requiritur, ut relicta cura universalis ecclesiae ad particularem regendam se transferant.

Neque contrarium probant argumenta opposita. *Ad* 1. cardinalis ille, de quo *c. bonae cit.* sermo est, ut cum aliis observat Gonzal. *ibid. num.* 16. non fuit cardinalis romanae, sed tantum canonicus principalis ravennatensis ecclesiae. Deinde esto, fuisset de romanae ecclesiae cardinalibus, postulatus dici potest postulatione simplici, et non solemni, quae revera electio est. *Ad* 2. cardinales majores episcopis sunt officio, inferiores autem ordine, cum non detur ordo major episcopatu. Deinde esto, cardinalis sit episcopo major simpliciter, adhuc tamen ad episcopatum eligi potest; quia causa, cur episcopus ad alium episcopatum eligi nequeat, in cardinali cessat, cum hic non sit vinculo spiritualis conjugii alligatus alicui ecclesiae, ut episcopus est alligatus suae. *Ad* 3. ex eo solum sequitur, quod cardinalis debeat postulari non solemniter, et quod pontifex licentiam acceptandi electionem sui ad episcopatum, si ita expedire videbitur, eidem negare possit.

10

Quaeritur 4. an in episcopum eligi possint, an vero postulari debeant praelati episcopo inferiores? Ratio dubitandi est, quia etiam ipsi vinculo spiritualis conjugii ecclesiae suae devincti sunt: hinc etiam annulum gerunt, et vacans per mortem ipsorum ecclesia *viduata* dicitur *c. ne pro defectu* 41. *in princ. de elect.*

Sed hoc non obstante, dicendum, praelatos hujusmodi ad episcopatus, aliasque praelaturas non debere postulari solemniter, sed via electionis ad eas promoveri posse, modo consensus, seu licentia superioris accedat, ut colligitur ex *c. abbatem* 36. *de elect. in* 6. et *clem.* 1. *eod.* Ratio est, quia postulatio solemnis supponit in assumendo ad episcopatum impedimentum canonicum, in quo necessarium sit dispensare: atqui tale impedimentum hujusmodi praelati ratione praelaturae suae non habent, cum nullo jure ad ecclesias alias prohibeantur assumi, imo jus, ut ex *citt. textibus* liquet, id ipsis clare permittat, modo non fiat sine superioris licentia; ergo etc.

Ad rationem dubitandi dico, inter hujusmodi praelatos, et concreditam ipsis ecclesiam non verum, sed improprie dictum conjugium dumtaxat intercedere. Neque refert, quod morte illorum ecclesia dicatur viduata; talis enim est viduitas, quale fuit conjugium.

11

Quaeritur 5. an clericus, vel monachus extraneus, sive qui non est de gremio, vel congregatione regulari, eligi possit ad praelaturam ecclesiae, vel monasterii alieni, an contra postulari debeat? Videtur opus esse postulatione ob diversos juris canonici textus. 1. *can. abbatem* 4. *caus.* 18. *q.* 2. ibi *quem de sua congregatione monachorum electio poposcerit.* 2. *can. quam sit* 5. *cit. caus. et quaest.* ubi Gregorius I. *defuncto abbate*, inquit, *non extraneus eligatur, nisi eadem congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit:* 3. ex integra electione *c. cum nobis* 19. et *cum inter* 21. *de elect.* quae habetur apud Gonzalez, ubi extraneus, nonnisi duabus partibus, sicut in postulatione, quando illa cum electione concurrit, fieri dicemus, in eum consentientibus, obtinuit praelaturam: quae omnia indicant, casu, quo idoneus aliquis intra gremium datur, extraneum electionis passivae incapacem esse.

Haec argumenta, etsi probent, omnino decens, et conveniens esse, ut ex gremio, si idoneus intra illud habeatur aliquis, assumatur ad praelaturam, non tamen probant, si electores sic velint, quod assumere via electionis non possint extraneum, modo is impedimentum canonicum aliunde non habeat. Colligitur ex *c. cum inter cit.* ubi pontifex omnes oppositiones, et inter has etiam, quod extraneus electus sit, tanquam frivolas rejicit, praeter eam, qua epilepsiae morbo laborare ferebatur. Ratio est, quia extranei electio nullo jure cassata reperitur.

Ad textus in contrarium allegatos dico, ibi quidem statui, ut eligatur aliquis ex gremio, addo tamen, id factum principaliter in favorem eligentium, cui renuntiare libere possunt. Neque verum est, quod tali casu necesse sit, ut duae partes in extraneum eligendum concurrant; nam major pars regulariter loquendo sufficit, ut satis clare colligitur ex *c. cum nobis*, et *c. cum inter citt.*

§. III.

Quinam postulare possint?

SUMMARIUM

12 *Postulare possunt, qui possunt eligere.*
13 *A quo superiore fieri debeat postulatio?*
14 *An iste eam possit repellere?*
15 *Quae sint poenae postulantium laborantem vitio, vel defectu indispensabili?*
16 *Quae poena sit postulantium non habentem legitimam aetatem?*

12

Regulae generalis instar est apud DD. postulare posse omnes illos, qui possunt eligere, prout colligitur ex *c. bonae* 4. *vers. ceterum h. tit.* et docet Host. *in summ. hic n.* 6. Sylv. *V. postulatio q.* 4. Pirh. *num.* 17. *etc.* Dubium moveri potest, et propterea

Quaeritur 1. an casu, quo aliquis, vel aliqui extranei per privilegium, consuetudinem vel praescriptionem obtinuerunt jus eligendi ad praelaturam alicujus ecclesiae, illi, vel illis etiam competat hoc ipso jus postulandi? Ratio dubitandi est, quod privilegium, et praescriptio sint stricti juris, et propterea de casu ad casum extendi non debeant, cum plus non praescribatur, quam quantum possidetur, juxta *reg. sine possessione* 3. *de R. J. in* 6.

Tenenda tamen est affirmativa sententia. Est communis DD. proceditque, etsi talis, vel tales actum postulationis nunquam exercuissent. Ratio est, quia postulatio est accessoria ad electionem, et necessario ei connexa, cum ad eundem finem tendat, et in supplementum electionis inventa sit; accessorium autem ad principale sequitur *reg.* 42. *in* 6.

Ex quo cadit *ratio dubitandi* in contrarium; nam regula ibi allegata locum non habet in iis, quae necessario connexa sunt: in istis enim, qui possessor est principalis, etiam possessor censetur eorum, quae accessorie sunt connexa cum illo: cons. ista etiam cum illo praescribuntur.

13

Quaeritur 2. a quo superiore fieri debeat postulatio, seu quis illam possit admittere? Resp. distinguendo inter postulationem simplicem,

et solemnem. Postulatio simplex fieri debet ab eo superiore, cui postulatus immediate subest: et hinc si eligatur filiusfamil. postulatio fieri debet a patre: si religiosus a superiori suo regulari etc. ut is licentiam det acceptandi electionem. At si postulatio fiat solemniter, instituti debet ad eum, ad quem spectat praelati, si electus fuisset, confirmatio, modo ille super impedimento, quod postulatus habet, dispensare possit, ut cum Abb. *in c. fin. h. tit. num.* 10. communis DD. habet: et ratio est, quia postulationis admissio vim confirmationis habet, ut dictum est *num.* 3.

Ex quo sequitur, si quis postuletur ad episcopatum, postulationem instituendam ad ipsum pontificem; quia ad hunc solum, saltem in Germania nostra, spectat episcoporum confirmatio. Ad alias ecclesias, aut dignitates episcopatu inferiores etiam ab episcopis, et similibus personis ecclesiasticis postulatio fieri, et admitti potest, si iis potestas confirmandi competat.

Excipe, *si potestatem dispensandi habeat;* nam qui dispensare non potest, etiam postulationem non potest admittere, quippe cum in hac dispensatio requiratur. Et hinc si minor viginti duobus annis ad dignitatem aliquam, e. g. praeposituram postuletur, etsi forte alias episcopus admittere postulationem posset, hoc tamen casu non potest; quia in defectu aetatis, per jus canonicum ad ordines, et ad beneficia requisitae, dispensare non potest, ut dicitur *infra tit.* 14. *n.* 10.

14

Quaeritur 3. an superior postulationem sibi praesentatam possit repellere? Negat Abb. *in c.* 5. *h. t. num.* 2. repelli posse, si facta sit de persona idonea, et in concordia, vel saltem a duabus partibus capitularium. Sed melius distinguitur, dicendo, casu, quo postulatio vel omnium, vel duarum saltem capituli partium suffragiis ob necessitatem, vel utilitatem ecclesiae facta est, superiorem quidem ad eam admittendam teneri ex debito officii, non tamen ex obligatione justitiae stricte sumptae: et hinc si tali casu superior aliquis papa inferior postulationem sibi factam rejiceret, adversus illum postulantes quidem non haberent actionem proprie dictam, officium tamen superioris implorare possent, ut recusantem ad postulationis admissionem compellat, prout cum gloss. *in c.* 3. *h. tit. V. gratia* notat Laym. *n.* 7. *ibid.* Pirh. *n.* 16. Vviest. *n.* 41.

Dixi *ex debito officii eum teneri postulationem hoc casu admittere;* nam etiam ex debito officii, si urgens causa praesertim publicae utilitatis, aut necessitatis subsit, tenetur dispensare in votis, irregularite, impedimentis matrimonii etc. et ratio a priori est, qui superior ex officio obligatur publicum bonum promovere, illudque non impedire.

Addidi *non tamen teneri ex obligatione justitiae stricte dictae;* quod sumitur ex *c. postulationem* 5. *h. tit.* ibi: *licet per postulatio-*

nem hujusmodi nullum jus sit alicui acquisitum, ideoque sine praejudicio alicujus eam *potuissemus repellere etc.* Ratio est, quia tota admissio postulationis, etiam concorditer factae, continet gratiam superioris, dispensantis in defectu, vel impedimento: igitur non est ex justitia debita, et consequenter, si rejiciatur postulatio, nemini sit injuria proprie dicta. Ex quo sequitur, quod postulatus, etiam unanimiter, absolute tamen postulationi consentire nequeat, cum tota pendeat ab admissione superioris.

15

Quaeritur 4. quae sint poenae postulantium aliquem, qui ob vitium, vel defectum indispensabilem postulari nequit? Resp. cum distinctione: vel enim scienter hoc faciunt, vel non scienter quidem, sed temere.

Si primum, pro ea vice ipso jure, et facto privati sunt potestate postulandi, et eligendi, ut colligitur *ex c. ad haec* 1. *h. tit.* et notat *ibid.* gloss. *V. privare.* Ratio est, quia ita statutum est de eligentibus scienter indignum *c. cum in cunctis* 7. §. *fin. de elect.* Neque obstat, quod haec constitutio sit poenalis; nam etiam in poenalibus, quando duo in jure aequiparantur, quod de uno illorum dispositum est, censeri etiam debet dispositum esse de altero illorum, juxta doctrinam receptam gloss. *in c. si postquam* 33. *V. provisione de elect. in* 6. ita autem aequiparantur electio, et postulatio, ut addit gloss. *cit.* ergo etc.

Si secundum, eandem poenam incurrunt casu, quo postulationem ejusmodi a superiore cassatam, et reprobatam renovant, aut repetunt: et devolvitur eo casu potestas eligendi, et postulandi ad alios, qui in postulationem indigni, aut ob vitium personae reprobatam, ejusque renovationem non consenserunt, sed expresse contradixerunt, licet ii numero pauciores sint, prout habetur *c. gratum* 2. *h. tit.* Ratio est, quia illi soli, qui ejusmodi postulationem renovarunt, deliquerunt, abutendo permissa sibi potestate, ceteri innocentes sunt; delicta autem suos premere debent authores. Neque refert, quod alias factum a majore parte capituli censeatur factum ab omnibus; hoc enim non procedit in delictis, ut notat Abb. *in c.* 2. *cit. n.* 9.

16

Quaeritur 5. quae sit poena postulantium ad cathedralem ecclesiam aliquem, qui 27. aetatis annum nondum attigit, vel qui postulant religiosum mendicantem ad ecclesiam saecularem cathedrali inferiorem, et ad quodcunque monasterium extra suum ordinem? Resp. His *extr. un. int. comm. h. tit.* sequentes poenae statutae sunt. 1. quod ita *postulatum* est, *et attentatum, irritum, ac nullius penitus* est *momenti.* 2. *qui scienter* ad ejusmodi postulationem *processerint, ea vice postulandi, ac eligendi potestati privati, ac beneficiis, quae in*

ipsa obtinebunt ecclesia, ad quam postulationem hujusmodi fecerint, per triennium suspenduntur. 3. *Postulati vero, qui postulationis de facto negotium fuerint in curia romana prosecuti, si se annum* 27. *non attigisse sciverint, usque ad annum* 35. *ceteri vero saeculares, et regulares, extra suorum ordinum administrationes ineligibiles, et impostulabiles, ac prorsus inhabiles ad quascunque dignitates ecclesiasticas, et beneficia quaelibet obtinenda decernuntur.*

§. IV.

Quae sit forma postulationis?

SUMMARIUM

17 *Quae forma sit observanda in postulatione?*
18 *An eadem persona postulari simul, et eligi possit?*
19 20 *Quot suffragia debeat habere postulandus?*
21 *An postulantes variare possint?*

17

Certum est de postulatione non solemni, eadem forma hanc fieri posse, et debere, qua ipsa electio: ac proinde si per scrutinium fiat, observandas in hac esse solemnitates praescriptas *c. quia propter* 42. *de elect.* et ratio est, quia vera electio est, etsi a jure annexam habeat tacitam conditionem obtinendi consensus a superiore. Dubium est, ac proinde

Quaeritur 1. an etiam in postulatione solemni observandae sint istae solemnitates? Negat Host. *in summ. hic n.* 10. Sylv. *V. postulatio q.* 2. Franc. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 3. Laym. *ibid. n.* 5. juxta quos, etsi tutius, consultiusque sit observari formam scrutinii, et alias solemnitates, etiam in postulatione, in solemni tamen absolute non est necessarium, sed sufficit, si postulatio fiat in concordia, consentientibus duabus partibus postulantium, et ut postulatio publicetur saltem coram populo. Moventur, quia si necesse esset in postulatione, sicut in electione, formare decretum, et observare alia, quae requiruntur ad canonicam electionem, tum postulantes non possent recedere a postulatione, antequam ea superiori est praesentata, sicut eligentes non possunt resilire ab electione: quod tamen falsum esse ostendemus infra *num.* 20.

Sed probabilius etiam in postulatione solemni, secluso speciali jure, observari debet forma *c. quia praeter cit.* electioni praescripta, quoad ea, quae istius naturae non adversantur. Ita Innoc. *in c.* 30. *n.* 1. *de elect.* Abb. *in c.* 42. *ibid. n.* 9. *q.* 2. et communior DD. Ratio est 1. quia electio, et postulatio, cum diversa non est utriusque ratio, aequiparantur, ut dictum est gloss. *n.* 15. atqui secundum ibidem dicta, quando duo sibi aequiparantur, in iis quae naturae illorum non adversantur, quod dispositum de uno est, etiam dispositum esse censetur de altero. 2. postulatio electioni subsidiaria est, et cum ista in eodem tractatu frequenter concurrit, dum aliqui ex capitularibus unum postulare, illi alium volunt eligere: atqui non apparet, quomodo hoc casu non debeat observari eadem solemnitas in postulatione, quae in electione: ergo etc. 3. Non est credibile, formam postulationis permissam esse arbitrio postulantium, praesertim cum majore accuratione sit celebranda, quam electio, cum illa sit extraordinaria, haec ordinaria via perveniendi ad dignitates ecclesiasticas: igitur cum speciales de postulatione solemnitates non sint jure proditae, solemnitates, quae electioni praescriptae sunt, etiam ipsi praescriptae censebuntur. 4. Si nullae solemnitates certae praescriptae postulationis essent, illa magis favorabilis esset, quam electio: quod verum non est, cum ista ad personam jure habilem, illa ad impedimento laborantem praeficiendam tendat. 5. Ipse pontifex, etsi postulationem, non servata forma, seu solemnitate scrutinii factam, de plenitudine potestatis possit admittere, id tamen non solet ordinarie.

Ad argumentum adversariorum respondebitur *n.* 20. ubi causa dabitur, quare postulantes, nondum praesentata postulatione, variare possint.

18

Quaeritur 2. an eadem persona simul eligi, et postulari possit? Videtur tenenda affirmativa sententia ex paritate cum aliis actibus, in quibus ea, quae sibi non opponuntur, cumulari possunt, adjecta clausula, ut valeant meliori modo, quo de jure possunt. Exempla passim inveniuntur in jure; sic enim 1. in testamento addi potest clausula, ut casu, quo illud non valet jure testamenti, valeat jure codicilli *l. fin. C. de codicill.* Sic 2. in eodem libello alternative peti potest, ut vel contractus declaretur irritus, vel laesus restituatur in integrum *c. constitutus* 8. *de in integr. restit.* Sic 3. in judicio appellationis cumulari potest nullitas, et injustitia sententiae, et peti, ut ea declaretur nulla, vel saltem injusta *l. si expressim* 19. *ff. de appellat.*

Sed respondendum est negative ob clarum textum *c. un. h. tit. in* 6. ubi a Bonifacio VII. omnes hae formae *eligo postulando, postulo eligendo; eligo postulandum, postulo eligendum; eligo in postulandum, postulo in eligendum*, irritatae sunt; tanquam imperfe-

ctae, et quae non veram electionem, nec veram postulationem, sed potius sibi adversantia complectantur; cum enim electio nullum, postulatio vero aliquod impedimentum supponat, ii, qui postulando eligunt, aut eligendo postulant, quodammodo impedimentum subesse affirmant simul, et negant.

Addit ibidem pontifex, neque hanc formulam esse validam, si elector, vel postulans dicat, *eligo et postulo*, *prout melius de jure valere potest*, quod *incertitudinem contineat.* Excipit casum, *quando probabiliter dubitatur, utrum quis sit eligendus, vel prius postulandus*; nam tunc electio, et postulatio fieri ea forma potest: idque verum est, sive sit dubium facti, quia v. g. nescitur an assumendus ad episcopatum impleverit annum 30. aetatis; sive contra sit dubium juris: et ratio est, quia textus distincte loquitur.

Debebit tamen eo casu electus, vel postulatus, ut ibidem dicitur, ne in incerto vagetur, se (intra mensem arg. *c. quam sit* 6. *de elect. in* 6.) determinare, an electionis, vel postulationis viam prosequi velit, et determinatione semel facta, mutare consilium, atque ad alteram viam transire non amplius poterit.

Ad rationem dubitandi nego paritatem; quia cumulatio in casibus ibi positis a jure non invenitur prohibita, vel irritata, sicut tamen jure *c. un. cit.* prohibitae, et irritatae sunt formulae implicantes simul electionem cum postulatione: quare dicendum per textum *cit.* restrictum esse jus antiquius, quo ejusmodi formulae habebantur pro validis, ut colligitur ex *c. post translationem* 11. *in princ.* ibi: *postulandum elegit. de renunt.* et notat gloss. *in c. un. cit. V. de cetero.*

19

Quaeritur 3. quot suffragia postulantium requirantur, ut a superiore postulatio sit admittenda? Resp. cum distinctione. Vel enim postulatio concurrit cum postulatione, vel cum electione.

Si primum, communis hodie sententia, nemine fere refragante, prout testis est P. Vviestner *hic n.* 26. habet, sufficere eo casu, si postulatio facta sit a majore parte capituli; quia ordinarie, quod majoris partis consensu fit, pro eo habetur, ac si omnium consensu fieret; *c. cum in cunctis* 1. *de his, quae a major. part.* et *l. quod major* 19. *ff. ad municipal.*

Si secundum contingat, et postulatio concurrat cum electione, quod una pars capitularium postulet Titium, aliquo impedimento laborantem, altera Cajum eligat, major est controversia. Videtur enim sufficere, si etiam hoc casu in postulandum concurrat major capitularium pars. 1. ex claro textu *c. in causis* 30. *de elect.* ubi postulatio episcopi ad metropolitanam ecclesiam tholosanam, pro quo stabant tria suffragia ex quinque electoribus compromissariis, praevaluit electioni archidiaconi qui habebat suffragia tantum duo. 2. quia in omni tra-

ctatu capitulari statur suffragiis partis majoris juxta *c.* 1. *et l.* 19. *cit.* quibus textibus accedit, quia *c. quia propter* 42. *de elect.* electio, minori suffragiorum numero celebrata, generaliter pronuntiatur irrita, non distinguendo, an electio cum electione, vel cum postulatione, concurrat. 3. quia si major pars suffragiorum hoc casu non sufficeret, id maxime haberetur ex *c. scriptum* 40. *de elect.* ubi in concursu electionis cum postulatione electio facta per suffragia plus quam tertiae partis suffragantium praefertur postulationi, pro qua consequenter non steterunt duae tertiae: atqui ex hoc textu nihil probatur; imprimis enim dispositio *c. quia propter cit.* posterior est, cons. istius contrariae provisioni derogat: deinde dispositio *c. scriptum cit.* est tantum provisio specialis, facta casu, quo eligentes et postulantes mutuo consensu electionem, et postulationem suam submiserunt pontifici, ut pro suae voluntatis arbitrio hanc, vel illam admitteret, ut liquet ex textu.

Sed dicendum hoc casu, ut postulatio unius alterius electioni praevaleat, requiri, ut in postulandum consentiant duae partes; alias si hic duas partes non habeat, eligendus autem pro se habeat plus, quam tertiam, praevalebit postulationi electio. Ita Abb. *in c. scriptum cit. n.* 13. *et* 14. Sylv. *V. postulatio q.* 7. Barb. *jur. eccl. l.* 1. *cap.* 19. *num.* 18. Pirh. *hic n.* 18. Vviest. *num.* 28. et apud hos plures alii. Colligitur ex *c. scriptum cit.* ubi hoc aperte deciditur. Ratio est, quia postulatio est via procedendi extraordinaria, et nititur gratiae, nec ullum jus tribuit postulato, qui defectu aliquo canonico laborat; electio vero est via procedendi ordinaria, et jure nititur: atqui oportet viam ordinariam magis expeditam esse, quam extraordinariam, et odiosam, vel saltem minus favorabilem viam: ut adeo non immerito Innocentius III. *c. scriptum cit.* ad postulationem, quando cum electione concurrit, requisiverit duas tertias suffragiorum capituli. *Confirmatur* ex praxi romanae curiae, non admittentis hujusmodi postulationes, sed his praeferentis electionem, quando ista in concursu cum postulatione pro se habet plusquam unam partem votorum.

Neque obstant argumenta opposita. *Ad* 1. ibi a toto capitulo in quinque electores compromissum fuit, ut is, quem isti concorditer, vel tres ex ipsis deligerent, pro episcopo sine aliqua contradictione haberetur. Unde cum ex ipsis tres convenirent in episcopum convennarum, juxta compromissi formam, perinde fuit, acsi ille a toto capitulo postulatus fuisset; nam compromissarii vice, et nomine capituli eligunt. *Ad* 2. regula ibi allegata vera est, nisi jus, aut voluntas electorum aliter statuat: quod factum est in nostro casu, per *c. scriptum cit. Ad* 3. Constitutio illa *c. quia propter cit.* generalis est; ea vero quae in *c. scriptum* statuitur, specialis pro casu postulationis concurrentis cum electione: igitur isti prior non derogat, cum omnibus notum sit, generi quidem derogari per speciem, non autem con-

tra. Quod additur, quasi *c. scriptum cit.* non constituatur jus commune, asserit quidem ibidem glossa; sed interpretes, aliiqui DD. passim negant: ac proinde etiam in similibus casibus ejus dispositio observanda erit, ut notat Gonz. *ibid. n.* 10. *in fin.*

20

Quaeritur 4. an casu, quo electio in concursu cum postulatione pro se habeat plusquam unam tertiam suffragiorum partem electo quaeratur jus ad praelaturam, ita ut a superiore, posito quod idoneus sit, necessario confirmari debeat? Negant Laym. *qq. canon. de elect. q.* 7. Pirh. *hic n.* 18. Engl. *n.* 6. putantes in arbitrio superioris tunc esse positum, an velit electionem confirmare, vel hac repulsa, postulationem admittere.

Sed affirmativa videtur esse juri conformior, praesertim cum, ut hic advertit P. Vviestner *num.* 36. adversarii nullo juris textu, neque etiam ratione firment opinionem suam. Colligitur 1. ex *c. scriptum cit.* ubi pontifex Maximo notario suo praecipit, ut electionem sic factam authoritate apostolica confirmet: atqui confirmatio jam supponit jus in confirmando, quippe quae non dat esse actui, quem confirmat, sed tantum majus robur, et authoritatem eidem conciliat: igitur si confirmanda erat jussu pontificis haec electio, jus in electo praecedens jam supposuit. 2. confirmatio ad electionem se habet, sicut sponsalia de praesenti ad sponsalia de futuro: igitur sicut sponsalia de praesenti supponunt jus jam quaesitum per sponsalia de futuro, a se ratificandum, ita etiam confirmatio succedens electioni: alias non universaliter verum esset axioma commune, quo dicunt passim DD. confirmationem esse necessitatis, et sapere justitiam. 3. electio in hoc casu ideo a DD. *Butrio, Imol. Vallens. etc.* praeferenda dicitur, quia postulatio nititur gratia, electio autem jure, quod difficilius expugnatur: atqui ratio ista inepte daretur; si per talem electionem ab electo acceptatam nullum acquireretur jus, propter quod ipsius conditio melior esset, quam postulari; ergo etc. 4. DD. passim aequiparant electionem ejusmodi, in concursu cum postulatione factam, cum ea, quae a majori, et saniori parte extra concursum facta est; haec autem, postquam acceptata est, jus tribuit electo; ergo etc.

21

Quaeritur 5. an postulantes variare possint, seu recedere a postulatione? Resp. distinguendo: vel enim postulatio jam praesentata est superiori, vel nondum eidem est praesentata. *Si primum*, postulantes sine consensu superioris, cui praesentata est, non possunt amplius ab illa recedere, et alium eligere, vel postulare, sed judicium istius expectare debent: non quidem, quasi per illam praesentationem postulato jus aliquod acquisitum sit, sed ne superiori illudatur, aut ejus judicium videatur dependere ab arbitrio postulantium, prout dicitur

c. bonae 4. *h. tit. Si secundum*, possunt postulantes variare, et resilire a postulatione; idque verum est, etsi scrutinium apertum sit, vel etiam nuntius ad superiorem destinatus, prout cum communi docet Abb. *in c.* 4. *cit.* ubi *n.* 11. pro ratione dat, quod per postulationem nullum jus sit acquisitum postulato: atqui secundum regulam generalem, quam ibidem statuit, variationi locus regulariter est, quando alteri jus non est quaesitum; ergo etc. Neque obstat *reg.* 21. *in* 6. juxta quam *quod semel placuit, amplius displicere non potest;* quia regula ista solum procedit in rebus, quae vel absolute mutationem recusant, ut matrimonium, vel eam non nisi cum praejudicio alterius reciperent, ut electio ab electo acceptata.

TITULUS VI.

De electione, et electi potestate.

Altera, eaque ordinaria ad praelaturas via est electio, frequentissima in Germania nostra, minus frequens in aliis provinciis, et regnis, cum in his plerumque ex indulto apostolico principes supremi ad episcopatus, et alias primas dignitates ecclesiasticas nominandi jus habeant.

§. I.

De electione, et electoribus.

SUMMARIUM

1 *Electionis definitio.*
2 *Differentia.*
3 *Penes quos sit jus eligendi, vel postulandi praelatos.*
4 5 6 *An illud competere etiam possit laicis?*
7 *An clericis extraneis?*
8 *An omnibus clericis vacantis ecclesiae?*
9 *An omnibus ejusdem canonicis?*
10 *An etiam illi, qui possessionem duntaxat canonicatus habet?*
11 *An sufficiat ad acquirendum jus eligendi esse initiatum s. ordine?*
12 *An providere superior ecclesiae vacanti possit, quando nullus ex canonicis, vel religiosis in s. ordine constitutus est?*
13 *Quid dicendum de excommunicatis?*
14 *Quid de irregularibus?*

I

Quaeritur 1. quid sit electio? Resp. *Electionis* nomen, prout ad personas, et beneficia ecclesiastica refertur, tripliciter sumi potest. 1.

latissime pro quacumque vocatione, approbatione, vel institutione personae alicujus ad beneficium: et sic includit etiam postulationem, nominationem, praesentationem., collationem. 2. late pro vocatione personae idoneae ad beneficium ecclesiasticum qualecunque, facta canonice per suffragia, et superioris legitimi confirmationem: et sic comprehendit etiam electiones ad dignitates, e. g proposituram, decanatum, officia alia. 3. stricte, ac proprie pro vocatione personae idoneae ad praelaturam vacantem, per suffragia canonice facta, et legitima confirmatione superioris approbanda: et de hac potissimum hoc titulo sermo erit.

Sic sumpta *electio* definiri solet, quod sit personae idoneae ad ecclesiae vacantis dignitatem pastoralem per vota capitularium, et aliorum, quibus jus eligendi competit, canonice facta vocatio. Colligitur ex *c. cum in cunctis 7. et c. quia propter 42. h. tit.* Ex quo sequitur ad electionem hoc tertio modo acceptam requiri 1. ut fiat circa personam idoneam, seu nullo laborantem impedimento canonico: 2. ut fiat ad dignitatem pastoralem vacantis ecclesiae: quo excluduntur electiones ad alias dignitates, quae non sunt primae in ecclesia aliqua: 3. ut fiat per vota capitularium, et eorum, quibus jus eligendi competit: 4. ut fiat canonice, i. e. solemniter, et ut in illa servetur forma eligendi praescripta a ss. canonibus.

2

Quaeritur 2. quomodo electio proprie dicta distinguatur ab aliis modis, quibus beneficia acquiruntur? Resp. 1. Differt a *libera collatione;* quia per hanc collatario acquiritur jus reale, et quasi dominium in beneficio, dignitate, vel praelatura sibi collata, qui proinde sine consensu superioris eam admittentis renuntiare non amplius potest; at per electionem etiam acceptatam electo solum acquiritur jus ad rem, ac proinde integrum adhuc eidem est, an electionem prosequi, vel eidem renuntiare velit.

2. A *praesentatione;* quia in primis jus eligendi non conceditur laicis, conceditur jus praesentandi: deinde per electionem publicatam acquiritur electo jus saltem remotum, et imperfectum, non autem per praesentationem, cum istam liceat revocare, et alium praesentare: item ab electo requirendus est consensus, ideoque huic intimari prius debet, quam superiori denuntietur; praesentari vero superiori aliquis potest, etiam non requisito ejus consensu: denique electio requirit subsequentem confirmationem, praesentatio vero institutionem.

3. A *nominatione;* quia per hanc, si proprie, et prout ab aliis beneficia acquirendi modis differt, accipiatur, non confertur jus aliquod nominato, sicut per electionem acceptatam ab electo. Addidi *si proprie accipiatur;* nam praeter hanc sunt duae aliae nominationis species: una, quae fit, quando unus nominat certam personam ad beneficium,

vel ecclesiam vacantem, alius vero eandem praesentat, ita, ut alium, quam nominatum a priore praesentare non possit; altera, qua praelatus, vel alius ad ecclesiam, vel beneficium, monasterio, vel dignitati suae unitum, ordinario dioecesano offert personam idoneam, ut tanquam vicarius perpetuus pro cura animarum approbetur: haec quoad effectum est collatio libera; illa praesentatio: ex quo patet, quomodo ab illis electio differat.

4. Denique a *postulatione*; quia ista innititur gratiae, electio juri, ut dictum *tit. praec. n.* 1. ubi V. ceteras differentias.

3

Quaeritur 3. penes quos jus sit eligendi, et postulandi episcopos, vel alios hujusmodi praelatos ecclesiasticos? Resp. Haec potestas non fuit penes eosdem quocunque tempore; nam in primitiva ecclesia Apostoli plerique, accepta a Christo potestate, successores sibi constituerunt. *can. fin. dist.* 68.

Ipsis sublatis, episcopatuum collatio libera aliquamdiu fuit penes summos pont. *can. omnes* 1. *dist.* 22. Successu temporis clero cujusvis dioecesis permissum fuit, ut sibi pastorem deligerent, plerumque a populo nominatum, vel praesentatum *can.* §. *sed nec dist.* 51. *et alibi.*

Aucto denique clericorum numero jus eligendi concessum fuit capitulo cujusque ecclesiae: *can. fin. caus.* 16. *q.* 7. *can. abbatem* 3. *et can. seq. caus.* 18. *q.* 2. et generaliter *c. nullus* 1. *h. tit.* et merito: nam illi, qui sunt de corpore ecclesiae, melius censentur informati esse de necessitatibus, et commodis ecclesiae, quam alii extranei, et eorum consilio geri debent negotia ecclesiae *c. novit.* 4. *de his, quae fiunt a praelat. sin. cons. capit.* igitur quando agitur de provisione capitis, per quod praecipue gubernari debet ecclesia, ad ipsa membra ecclesiae spectare decet electionem potius, quam ad alios non ita informatos.

Porro, etsi jus istud in plerisque provinciis, et regnis ob varias causas sublatum capitulo, et vel summo pontifici, vel regibus, et principibus supremis hujus speciali indulto reservata sit potestas nominandi episcopos, et alios similes praelatos, in Germania tamen nostra consuetudo ejusdem retenta est, et confirmata per concordata ejusdem, inter Nicolaum V. pont. et Fridericum III. imper. ac Germaniae ordinarios inita, et Romae 14. calend. april. 1448. publicata.

4

Quaeritur 4. utrum jus eligendi episcopos, vel praelatos competere etiam possit laicis? *Certum est:* 1. jus istud a laicis acquiri posse privilegio apostolico; cum enim pontifex habeat plenariam potestatem, et liberam dispositionem circa omnia beneficia, et sit supra omne jus ecclesiasticum, privilegio suo habilitare laicum poterit, eumque eligendi capacem efficere. *Certum est* 2. non posse eundem jus hoc acqui-

rere ullo pacto, donatione, compositione cum praelatis papa inferioribus inito, prout constat ex *c. sacrosancta* 16. *h. tit.* quia hi derogare nequeunt ecclesiasticae libertati, et ss. canonibus, per quos laici ad hujusmodi negotia spiritualia tractanda sunt facti inhabiles.

5

Difficultas est, an jus eligendi laicis competere valeat vi consuetudinis, vel potius praescriptionis immemorialis? Ratio dubitandi est 1. quia, ut modo dictum est, jus istud acquiri a laicis potest per privilegium a sede apostolica datum: atqui consuetudo, vel praescriptio immemorialis aequiparantur privilegio. 2. Jus praesentandi ad beneficia ecclesiastica a laicis per consuetudinem acquiri potest, quamvis etiam ipsum sit spirituale: ergo spiritualitas non oberit, quin etiam ab iisdem per consuetudinem acquiri possit jus eligendi. 3. Olim electio episcoporum fiebat a clerico, et populo, ut constat ex *can. episcopos* 13. ibi *post electionem cleri, et populi: can. lectis* 18. ibi *clerum, et plebem ejusdem ecclesiae elegisse: can. sacrorum* 34. ibi *per electionem cleri, et populi: dist.* 63. *can. fin.* ibi *sed nec ille deinceps sacerdos erit, quem nec clerus, nec populus propriae civitatis elegit: dist.* 51. *can. factus* 5. ibi *de plebis, quae tunc adfuit, suffragio: caus.* 7. *q.* 1. 4. Complures principes saeculares de facto habent jus nominandi episcopos, et alios praelatos ecclesiasticos: imo ipsum romanum pont. olim nominabat imperator, et reges Italiae, ut refertur in *can. Hadrianus* 22. *et can. seq. dist.* 63. 5. Accedit authoritas Cypriani, qui *epist.* 68. dicit, traditione divina, et apostolica observatione servandum esse, ut episcopus deligatur plebe praesente: ergo olim saltem competebat plebi jus eligendi pontificem: igitur per consuetudinem jus hoc amissum reduci denuo potest.

Verum his non obstantibus, dicendum, per nullam etiam immemorialis temporis consuetudinem posse laicos acquirere jus eligendi praelatum ecclesiasticum. Ita habetur *c. massana* 56. *h. tit.* ubi talis electio dicitur *nullam obtinere firmitatem*, et consuetudo contraria reprobatur, tanquam *corruptela*. Ratio est, quia jus eligendi, cum spirituale sit, in laicos non potest cadere, ut dictum est *num. praec.* ergo laicus non potest illud possidere sine titulo privilegii: praescriptio autem fieri non potest sine possessione: ergo etc.

Dixi autem *jus eligendi;* nam 1. non est damnanda consuetudo, vi cujus requiritur, ut defuncti praelati mors intimetur patrono, vel principi territorii, et petatur ejusdem consensus ad futuram electionem, prout in Bavaria consuevisse constat ex concordatis inter serenissimos principes, et ordinarios locorum initis 1583. 2. Non repugnat consuetudo, qua admittuntur laici propter utilitatem ecclesiae, ut v. g. defendant electores clericos adversum illos, qui injuste illos turbare volunt. Fagnan. *in c.* 43. *h. tit. n.* 29. 3. Laici interesse electioni pos-

sunt, tanquam testes, vel ut tanquam tabelliones, seu notarii processum electionis describant. Fagn. *l. cit. n.* 19. *et* 20. 4. Potest etiam induci consuetudo, vi cujus electio facta intimari patrono, vel principi, et hujus consensus requiri debeat, qui tamen consensum istum negare non poterit, nisi ostendat subesse canonicum impedimentum, vel aliam justam causam afferat, quare consentire electioni nolit. *c. cum terra* 14. *et c. sacrosanctae* 61. *h. tit.*

6

Neque obstant rationes dubitandi allatae. *Ad* 1. nego consuetudinem aequiparari privilegio, quando consuetudini resistit jus, et qui privilegio consuetudinis se vult defendere, est possessionis incapax. *Ad* 2. ratio diversitatis est, quia jus eligendi est magis spirituale, cum electio det jus electo, non praesentato: non igitur mirum est, quod jus praesentandi concedatur laicis, non eligendi. *Ad* 3. textus illi intelligendi sunt, non quasi populus suffragia dederit in electione episcopi, sed quod vel populus aliquem nominaverit, aut postulaverit, quem postea clerus secundum populi desiderium eligeret, etsi non necessario: ut innuitur *can. nulla* 1. *dist.* 62. ibi *nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti:* vel dicendum, quod populus postea consenserit in electionem factam per clerum, ut significari videtur *can. nosse* 12. *dist.* 63. ibi *sacerdotum quippe est electio* (sc. episcopi) *et fidelis populi consensus adhibendus est:* quod repetitur *can. cleri* 26. *dist. cit. Ad* 4. quod ex *c. Hadrianus cit.* affertur, Azor. *p.* 2. *l.* 4. *cap.* 2. *q.* 3. putat fabulosum esse, et a Gratiano ex Sigeberto incaute descriptum. Quod additur denominatione principum, illa in effectu est praesentatio, quam laicis competere posse ultro concessimus, sed negavimus paritatem cum jure eligendi. *Ad* 5. ibi nomine traditionis s. Cyprianus non intelligit jus, aut praeceptum divinum, sed usum et morem, sive exemplum, et factum, quod tam in lege veteri, quam nova initio nascentis ecclesiae observatum fuit, non ex obligatione legis divinae, sed ex libera concessione Apostolorum, aut summorum pont. ut Pirh. *hic n.* 7. *aliis cit.* explicat.

7

Quaeritur 5. an jus eligendi praelatum aliquando competere possit etiam aliis clericis extraneis, seu qui non sunt de capitulo, vel corpore ecclesiae? Resp. Etsi regulariter jus hoc ad capitulum spectet, tamen etiam clerici extranei illud obtinere possunt, idque ex quadruplici capite. 1. *privilegio summi pontificis;* nam etiam laici jus istud obtinere possunt per simile privilegium, ut dictum est *num.* 4.

2. *Fundatione*, si ab initio interveniente consensu episcopi in fundatione ecclesiae collegiatae, sic constituatur, ut electio, vel nominatio praelati pertineat ad alterius ecclesiae praelatum, aut capitu-

lum, vel patronum ecclesiasticum ; nam hoc fieri ss. canones concedunt ad excitandum fundationum ecclesiasticarum studium *c. praeterea* 23. *de jur. patronat.* cum ergo quilibet sit rerum suarum moderator, et arbiter, patronus ecclesiasticus (secus de seculari, ut dictum est *num.* 4.) fundationi ecclesiae adjicere poterit conditionem, ut sibi electioni praelati interesse liceat cum jure suffragii.

3. *Consuetudine* arg. *c. cum dilectus* 8. *de consuet. c. bonae* 4. *de postul. praelat.* Praescribitur autem jus eligendi ab eo, cui de jure communi non competit, spatio 40. annorum: neque opus est titulo ; quia pro titulo est scientia, et patientia capitularium, aut aliorum, contra quos praescribitur, ut bene advertit P. Vviest. *hic n.* 51. necesse tamen erit in eo casu, ut intra praedictum tempus aliqua saltem electio facta, et superioris authoritate confirmata, vel saltem nulla rejecta fuerit, ut ex Innoc. docet Azor. *l. cit. c.* 14. *q.* 6. nam electiones quae rejectae sunt, nihil juris conferre possunt.

4. *Pacto*, vel conventione extranei cum capitularibus : nam horum consensu unanimi, pro una saltem vice, jus eligendi clericis extraneis communicari, vel etiam totum per compromissum in eosdem transferri potest, prout sumitur ex *c. scriptum* 40. et *causam* 8. *h. tit.* modo illi, qui sic assumuntur, in sacris sint constituti, et aliis qualitatibus in electore requisitis praediti. Dixi *unanimi consensu ;* nam hunc non immerito requirit Abb. *in c.* 25. *h. t. n.* 3. ubi notat unum solum se reliquis omnibus posse opponere, et impedire, ne extraneus admittatur : et merito ; quia per talem admissionem derogatur juri singulorum eligentium, et cons. locum habet regula : *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*, quae est 29. *in* 6. addidi *saltem pro ea vice* ; nam in perpetuum concedi non potest personae extraneae, nisi cum consensu superioris, et aliis solemnitatibus ad alienationem rerum ecclesiasticarum requisitis, ut recte cum communi advertit Barbos. *de offic. et potest. episc. p.* 1. *tit.* 1. *c.* 3. *num.* 24.

8

Quaeritur 6. an omnes clerici vacantis ecclesiae jus eligendi episcopum, vel praelatum habeant ? Resp. negative : sed tantum illi, qui ut fratres, seu membra faciunt unum corpus ecclesiasticum, seu collegium, et canonici, vel capitulares vocantur. Hinc ceteri clerici, capellani, beneficiarii, etiam perpetui, qui de capitulo non sunt, ideoque etiam proprie canonici non dicuntur, de jure communi, eligendi, vel postulandi potestatem non habent. Hoc certum.

Controversum apud DD. est quantus debeat esse numerus personarum, ut faciant collegium ? Alii volunt duos sufficere, alii tres requirunt. Utrique sententiae aliquid tribuendum existimo, et dico, ad congregationem, seu collegium initio constituendum tres ut minimum personas requiri ; si tamen illud semel sit constitutum, conservari pos-

se collegium, ejusque jura etiam in duobus, imo in uno. Ita gloss. *in cap.* 1. *h. tit. V. duo* Abb. *in cap.* 2. *de postul. num.* 9. Layman. *in cap.* 1. *cit. numer.* 3. Pirhing. *hic numer.* 11. *et* 12.

Pars 1. *responsionis* de jure civili patet ex *l. Neratius* 85. *ff. de V. S.* et *l. detestatio* 40. *in fin. ff. eod.* ubi dicitur, quod duo non faciant familiam; sed saltem tres requirantur: igitur idem dicendum etiam est de jure canonico; nam ut *c. intelleximus* 1. *de nov. oper. nunt.* habetur, *ss. canones non dedignantur imitari leges*, ubi istae ab illis non sunt immutatae; non autem constat de immutatione; nam quod *c. nullus* 1. *h. tit.* pontifex dicat, *nullus in ecclesia, ubi duo, vel tres fuerint in congregatione, nisi eorum electione canonica, presbyter eligatur*, solum probat, quod jus eligendi conservetur in duobus, si hi soli superstites sint, non vero, quod duae tantum personae sufficiant ad collegium in principio suo constituendum.

Pars. 2. ex eo videtur ostendi, quod plus plerumque requiratur ad primam rei constitutionem, quam ad ejusdem conservationem: igitur etsi ad constitutionem collegii primam necessariae sint personae saltem tres, ad conservationem illius tamen sufficient duo, vel unus. Discrimen tamen faciendum est inter casum, quo duo manent in collegio tertio, vel ceteris mortuis, aut congregationem deserentibus, et inter casum, quo solummodo manet unus; nam si duo, manet collegium actu, sed velut imperfectum: ac si unus solummodo manet, non erit collegium actu, erit tamen quodammodo habitu; quia jura collegii in illo unico perseverant; Laym. *num.* 3. *cit.*

Dubitari potest de casu, quo omnes e collegio, vel universitate mortui sunt, vel alio discesserunt: quo casu est adhibenda distinctio; vel enim jura et privilegia, concessa collegio, sunt personalia, vel localia, seu realia. *Si primum*, omnibus illis mortuis, aut alio discedentibus, extinguuntur etiam ipsa jura, ac privilegia ejusdem. *Si secundum*, hujusmodi jura, et privilegia perseverant, et in parietibus, vel his etiam dirutis, in solo, et fundo inseparabiliter conservantur, ut aliis *citt.* notat Laym. *l. cit. n.* 5.

9

Quaeritur 7. utrum jus eligendi sit penes omnes canonicos? Resp. negative; nam 1. ex istis suffragii jus non habent in electione furiosi, et amentes, saltem quamdiu durat amentia, et nisi lucida intervalla habeant: gloss. *in c.* 32. *V. discretione h. tit. in* 6.

2. Impuberes: in quo distinguendum est inter jus antiquum, et novum; nam jure antiquo puberes statim admittebantur ad electionem. *arg c.* 32. *cit.* Jure autem novo *Clem.* 2. *de aetat. et qualit. et* Trid. *sess.* 22. *c.* 4. *de reform.* ut quis vocem activam in capitulo habeat; debet esse saltem subdiaconus, et cons. regulariter attigisse saltem debet annum 22. aetatis.

3. Suspensi *c. cum inter* 16. §. *fin. h. tit.* Requiritur autem ad hunc effectum, ut suspensi sint non a solo beneficio, nec a solo ordine, nec ab officio tantum aliquo particulari, sed ut suspensi sint vel expresse ab officio, aut voce activa, vel neutro expresso, simpliciter. Passerin. *de elect. q.* 10. *a n.* 88.

4. Excommunicati excommunicatione majori; *c. constitutis* 23. junct. gloss. *V. excommunicationis de appellat.* et *c. un. et ibi* gloss. *V. majoris ne sed. vacant. in* 6. Ratio est, quia excommunicatio major post se trahit suspensionem ab omni officio, et cons. etiam ab officio eligendi.

5. Qui in interdicto sunt personali, et qui interdictum locale, in loco interdicto sine speciali privilegio celebrando, temere violarunt *c. cum inter* 16. *h. tit. et c. is qui* 18. §. *is vero de sent. excomm. in* 6. Ratio est, quia hujusmodi interdictum suspensionem importat.

6. Absentes, et legitime non impediti, quo minus electioni intersint; *c. quia propter* 42. §. *illud autem* junct. gloss. *V. venire h. tit.* Addidi *legitime non impediti*; nam qui ex legitimo impedimento absens est, si tamen in tali loco sit, e quo ad electionem vocari de jure debet, procuratorem constituere permittitur, ut is suo nomine eligat, ut dicetur infra *num.* 27.

7. Qui ad episcopatum scienter postularunt, vel elegerunt indignum *c. gratum* 2. *de postul. Praelat. c. scriptum* 40. §. *fin. h. tit.* qui formam eligendi *c. quia propter* 42. *h. tit.* praescriptam non observarunt *c. cit. vers. qui vero*; qui intra tempus a jure indultum, cessante legitimo impedimento, praelatum non elegerunt *c. ne pro defectu* 41. *eod.* nam hi omnes pro ea saltem vice potestate eligendi privantur, ut habetur *cit.* textibus, et dicetur infra *num.* 20. 37. *et* 50.

8. Nullus episcopus, vel praelatus alius potest vivus eligere, vel constituere sibi successorem in episcopatu, vel praelatura ex speciali prohibitione juris canonici *can. episcopo* 3. *et seqq. caus.* 8. *q.* 1. ut sic tollatur omnis species successionis haereditariae in praelaturas, et beneficia ecclesiastica.

9. Nemo potest eligere seipsum, sicut nec seipsum instituere, vel sibi conferre beneficium; quia inter dantem, et accipientem debet esse distinctio personalis *c. fin. de institut.* et nemo plurium personarum vices simul, et semel obire potest *c. presbyteros* 38. *caus.* 16. *q.* 1. *l. fin. C. de assessorib.*

10

Quaeritur 8. an potestas eligendi competat non solum ei, qui habet jus, et proprietatem, ac quasi dominium beneficii e. g. canonicatus, sed etiam ei, qui solum est in possessione ejusdem? Resp. Cum distinctione: vel enim ille beneficium, et canonicatum ejusmodi, cui de jure vel consuetudine annexum est jus eligendi, possidet

mala, vel bona fide. *Si mala*, e. g. quia per vim se in illud intrusit, jus eligendi ratione talis possessionis eidem non competit; et si cum aliis eligat, ac de vitio possessionis constet, suffragium ejusdem in numero ad electionem perficiendam computari non debet. Ratio est, quia malae fidei possessor, nullum ex possessione sua commodum, seu fructum percipere debet *l. mala fide* 3. *C. de condict. ex lege. Si bona fide* possideat canonicatum, jus eligendi eidem competit, et votum, quod in tali electione dat, validum est, taleque manet, etsi postea constet proprietatem beneficii penes ipsum non fuisse, saltem si ante electionem factam lis super proprietate beneficii inter ipsum, et proprietarium contestata non sit, ut cum communi notat Barbos. *in c. quaerelam* 24. *hic n.* 7. et patet ex *c. tit.* Ratio est, quia suffragatio in electione est quasi fructus quidam juris eligendi, sicut praesentatio juris praesentandi; fructus autem rei bonae fidei possessori debentur *l. bonae fidei* 48. *ff. de acquir. rer. domin.*

Dubium est, an talis possessor post litem super jure illo motam, et contestatam, suffragium dare in electione valeat, et suffragium ab ipso datum valeat? Rationem dubitandi facit *c. cum venissent* 2. *de in integr. rest.* ubi Innocentius III. statuit electionem abbatis, a monachis, in possessione juris eligendi existentibus celebratam, nec confirmandam, nec infirmandam, quamdiu lis super hoc jure ipsis monachis mota pendet, ex ratione, quod ex ea etiam pendeat electionis valor, loculento indicio, non valituram electionem, si decisa lite de vitio possessionis constet. *Conf.* ex ratione; quia litis contestatione inducitur mala fides, ita ut fructus rei possessae restituendi sint, si res possessa per litem evicta fuerit; *l. sed et si* 25. §. *si ante* 7. *ff. de haeredit. petit.* et *l. certum* 22. *C. de R. V.*

Sed his non obstantibus tenenda adhuc est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 18. Pal. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 4. *n.* 26. Vviestner. *hic n.* 56. et plures ab hoc *citt.* Ratio est, quia lite pendente circa rem, vel jus litigiosum, ejusque possessionem in actoris, vel rei praejudicium nihil est innovandum, sed omnia relinquenda sunt in eo statu, in quo erant tempore coeptae litis, ut habetur *c. a memoria* 1. et *c. fin. ut lit. pendent.* atqui litis coeptae tempore possessor beneficii ratione possessionis suae gaudebat jure suffragii in electione: igitur isto commodo litis pendentis tempore non est privandus.

Ad rationem dubitandi dico, ibidem motam esse litem non super jure proprietatis sed super jure possessionis: una litigantium parte existente in possessione, altera contendente, se hac injuste spoliatam esse; nam hoc casu juxta *c. cum venissent cit.* si pars, de cujus possessione constat, exclusa altera parte, ut jure potest, ad electionem procedat, confirmatio electionis differtur ad finem litis, et si pars exclusa se posses-

sione spoliatam evicerit, ad instantiam ipsius electio facta rescinditur. *Ad conf.* mala fides, quae ex litis contestatione oritur, non vere, sed tantum ficte, et interpretative mala est quoad restitutionem fructuum litis tempore perceptorum, si isti pretio sint aestimabiles; nam si pretio non sint aestimabiles, qualis est suffragatio in electione, non sunt restituendi: cons. in nostro casu facta a tali electio confirmanda est favore ecclesiae, et animarum.

11

Quaeritur 9. an omnes, qui sacro ordine initiati, et alias ad eligendum non sunt facti inhabiles, ad electionem admitti debeant? Circa hanc quaestionem triplex formari dubium potest 1. An admitti debeat, qui ordinem sacrum primum suscepit, postquam praelatura vacare coepit? 2. An suffragium habeat, qui ante legitimam aetatem ex dispensatione apostolica sacro ordine initiatus est? 3. An idem suffragii jus competat ad sacrum ordinem ante aetatem legitimam illegitime promoto?

Ad 1. Ceteri capitulares quidem exspectare non tenentur, donec talis canonicus promoveri ad ordinem sacrum possit; si tamen iste ante electionem ad istum promotus fuerit, ad suffragium in hac ferendum admitti debet, ut recte advertit cum communi gloss. *in Clem.* 2. *de aetat. et qualit. V. constitutus;* nam idem ex communi DD. tenet casu, quo canonicus aliquis post vacationem jam inductam adeptus esset possessionem canonicatus.

Ad 2. ratio dubitandi oritur ex *Clem. cit.* ubi dum in canonico capitulari sacer ordo exposcitur, in consequentiam etiam exposcitur aetas ad hunc ordinem requisita: et hinc cum dispensatio sit strictae interpretationis, dispensatus in aetate ad ordinem sacrum suscipiendum, non censebitur eo ipso dispensatus ad dandum suffragium. Sed hoc non obstante, respondendum est affirmative. Ratio est, quia defectus aetatis jus suffragii non adimit ratione sui, sed solum ratione ordinis sacri, ad quem ea aetas requiritur, ut adeo canonico, via dispensationis ad ordinem sacrum admisso, nihil desit, quod ad suffragii jus obtinendum requiritur. *Ad rationem dubitandi* dico, dispensationis interpretationem non ita strictam esse, ut non etiam patiatur extensionem a principali ad accessorium. Ita autem defectui principali sacri ordinis accessorius est defectus aetatis: igitur illo per dispensationem remoto, etiam iste remotus et canonicus ad vocem activam, aliosque capitulares actus habilitatus censebitur.

Ad 3. Est adhibenda distinctio: vel enim ejusmodi canonicus ordinem sacrum ante legitimam aetatem suscepit bona, vel mala fide. *Si primum*, e. g. quia putavit se majorem natu esse, vox in electione eidem deneganda non est, cum sit constitutus in sacro ordine per *Clem. cit.* requisito ad vocem in capitulo obtinendam, neque jus ali-

quod extet, quod in hoc constitutum praecise ratione aetatis ab electione repellat. *Si secundum*, in temeritatis poenam jure suffragii privari meretur : imo ut quidam putant, ipso jure privatus est ratione suspensionis, quae ob temerariam hujusmodi ordinis sacri susceptionem incurritur per *constitutionem Pii II.* quae incipit *cum ex sacrorum, editam* 5. *calend. dec.* 1461. de quo tamen alii non immerito dubitant.

12

Quaeritur 10. an si nullus canonicus, vel religiosus in sacris constitutus reperiatur, non expectato, ut capaces ordinis istum suscipiant, superior ecclesiae vacanti de praelato, et capite providere possit? Videtur hoc dicendum; quia tali casu etiam cetera negotiá ecclesiae, vel monasterii ipse solus tractare potest; arg. *c. un. ne sed. vac. in* 6.

Sed neganda est paritas. Ratio disparitatis est, quia casu, quo nullus canonicus, vel religiosus in sacris constitutus est, tota potestas ecclesiae, vel monasterii penes praelatum residet, ut adeo mirum non sit, quod negotia ejusdem omnia solus tractare possit. At superior potestatem non habet providendi ecclesiae, vel monasterio vacanti de praelato, nisi jure devolutionis : expectare igitur debebit terminum, a jure ad electionem celebrandam indultum, et tum demum, si adhuc nemo ordinem sacrum ex canonicis, vel religiosis professis receperit, devoluto ad se jure uti, et providere ecclesiae vacanti de praelato poterit : gloss. *in Clem.* 2. *cit. V. constitutus.*

Idem dicendum, si omnes de capitulo excommunicati, suspensi, vel interdicti fuerint; sufficit enim, si intra tempus a jure ad electionem faciendam concessum absolutionem a censura petant, et impetrent.

13

Quaeritur 11. an omnes excommunicati priventur voce activa? Resp. negative; nam 1. ea non privantur excommunicati excommunicatione solum minori; nam hi, etsi eligi nequeant, eligere tamen possunt, uti sumitur ex *c. illa* 39. *h. tit.* et notat Pirh. *hic n.* 28. ratio est, quia minor excommunicatio non a communione fidelium, sed tantum a participatione sacramentorum excludit.

2. Ut excommunicati excommunicatione majori (idem dicendum de aliis censuratis) priventur voce activa, post concilium constantiense, et *extr. ad evitanda* in eo editam requiritur, ut sint nominatim, et publice denuntiati, vel notorii clericorum percussores; alias nisi repellantur per exceptionem, suffragium illorum valebit, ut recte observat Laym. *de elect. praelat. q.* 26. idque non tam in gratiam eligentium (nam censuratis *per cit. const.* a concilio nullus indultus est favor) quam ob utilitatem ecclesiae, et favorem praelati ad hanc electi, aliorumque fidelium.

Quare soli censurati notorie tales vocem in electione dandam amittent: idque ipso jure, adeo, ut electio ab ipsis celebrata sit irrita, cum ab omni exercitio jurisdictionis, et officii spiritualis actibus suspensi sint *arg. c. decernimus* 8. *de sent. excomm. in* 6. et devolvetur eo casu jus eligendi ad ceteros non censuratos *c. bonae.* 36. *hic*, et *c. gratum* 2. *de postul. praelat.*

Dubitatur, an valida sit electio celebrata ab aliis non censuratis, si ad eandem secum faciendam admiserint scienter aliquem, vel aliquos notorie excommunicatos? Resp. negative; nam hujusmodi electio verisimilius est ipso jure irrita, ut communis sententia habet, teste Suar. *de censur. D.* 14. *s.* 2. *n.* 17. et sumitur ex *c. fin. de procurat.* ubi repellitur procurator, quod ejus electio nulla fuerit ob voluntariam admissionem quorundam excommunicatorum: et quidem, ut Suar. *cit.* notat, non ex speciali ratione, quae militet solum in procuratore constituendo, sed ex generali in odium excommunicationis: cons. quod ibi statutum est extendendum etiam ad electionem praelati ita factam.

14

Quaeritur 12. an jure eligendi priventur etiam irregulares?

Ita quidem casu, quo irregularitas ex delicto descendit, existimant Sylv. *V. electio* 1. *q.* 4. Donat. *tom.* 2. *prax. regul. tr.* 4. *q.* 9. *num.* 2. *et plures ab hoc cit.* et videtur hoc sumi ex *c. is qui* 18. §. *is vero de sent. excomm. in* 6. ibi *irregularitatem incurrit etc. et adeo efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum cum aliis debebit admitti*: quibus verbis videtur significari, privationem vocis activae vi irregularitatis induci. Verum, ut communius DD. *in c. citatum* notant, hoc intelligendum est tantum de irregularitate, quae temeraria celebratione in loco interdicto contrahitur, et de qua ibidem sermo est; non autem generaliter, quasi cuilibet irregularitati ex delicto contractae annexa esset vocis activae privatio.

Quare cum Navar. *man. c.* 27. *num.* 244. Suar. *de censur. D.* 40. *s.* 2. *num.* 27. Barbos. *de can. et dignit. c.* 41. *num.* 9. Passerin. *de elect. c.* 10. *num.* 104. Konig. *hic num.* 13. Vviest. *ibidem num.* 27. dicendum irregulares etiam ex delicto, praecise ratione irregularitatis ab actu eligendi non removeri. Suadet hoc etiam ratio juris, quod ubi de poenis agitur, strictam interpretationem latae praefert, ita ut poena potius excludatur, quam inducatur *arg. reg.* 15. *et* 49. *in* 6.

§. II.

De electis, vel eligendis ad praelaturas, et dignitates ecclesiasticas.

SUMMARIUM

15 *In eligendo ad episcopatum requiritur aetatis maturitas, gravitas morum, et litterarum scientia.*
16 *Ineligibiles sunt aliqui ob impedimentum naturae.*
17 *Alii ob crimen, vel defectum morum.*
18 *Alii ratione censurae, et aliarum poenarum ecclesiasticarum.*
19 *Electio indigni invalida est.*
20 *Eum eligentes pro illa vice privantur jure eligendi.*
21 *Quod proin vel ad ceteros innocentes, vel ad superiorem devolvitur.*

15

Quaeritur 1. quaenam qualitates requirantur in eo, qui eligendus est in episcopum, vel praelatum ecclesiae? Resp. Hae summatim referuntur *c. cum in cunctis* 7. *in princ. h. tit.* ubi in personis ad has, et praesertim ad episcopatum eligendis dicitur requirenda *aetatis maturitas, gravitas morum, et litterarum scientia*, ut cum honore, aedificatione, et utilitate publica curam animarum, et ecclesiarum administrationem gerere possint.

Ex horum defectu ss. canones a praelaturis, et dignitatibus ecclesiasticis arcent complures, quorum impedimenta ad tria capita reduci possunt; nam aliqui arcentur ob impedimentum naturae, alii ob crimen, seu defectum morum, alii ob aliud impedimentum canonicum.

Ob impedimentum naturae ineligibiles sunt. 1. Furiosi, amentes, infantes, pueri, et qui requisitam aetatem nondum sunt assecuti *c. indecorum* 3. *de aetat. et qualit.* ubi ratio datur, quia videlicet *indecorum*, imo damnosum ecclesiis, et animabus periculosum *est, ut hi debeant ecclesias regere, qui non noverunt gubernare seipsos.*

2. Qui vitio corporis laborant, ob quod suo munere honeste, et decenter fungi non possunt, et irregulares fiunt *can. hinc etenim* 1. *dist.* 49. *et tot. tit. de corp. vitiat.* nam universim, qui a suscipiendis ordinibus, vel beneficiis repelluntur, multo magis arcentur ab ecclesiasticis praelaturis *c. cum in cunctis cit.*

3. Illegitime nati *c. innotuit* 20. *h. t.* etsi postulari possint, si morum probitas, et litterarum scientia eluerint maculam natalium, ut

ibidem notatur. Potest tamen eo casu, quo electus est tali defectu laborans, pontifex dispensare, et tum electio prius irrita convalescit; quia tantum fuit jure positivo nulla, jure natulari autem, et fundamentaliter subsistebat: unde sublato per dispensationem defectu juris positivi, etiam civiliter convalescet: Pirh. *hic num.* 75.

16

4. Qui noti sunt ex genere maculato circa fidem, seu qui descendendum ex haereticis, et horum receptatoribus, fautoribus, defensoribus; nam de his *c. quicumque* 2. §. *haeretici*, et *c. statutum de haeretic. in* 6. constitutum est, ne usque ad secundam generationem in linea paterna, et primam in materna ad ullum beneficium ecclesiasticum, seu officium publicum admittantur, nisi eorum parentes emendati, et ecclesiae ante mortem reconciliati sint: qua tamen dispositio in Germania nostra, aliisque partibus septentrionalibus non obtinet: et cons. ex his nati, si probi, et alias idonei sint, ibidem sine dispensatione, uti ad ss. ordines, ita etiam ad praelaturas promoveri poterunt, ut cum aliis advertit Konig *hic num.* 29.

17

Quaeritur 2. quinam ob crimen, vel defectum morum prohibeantur eligi? Resp. 1. Eligi prohibentur sacrilegi *arg. c. venerabilem* 34. *h. tit.* quia etiam ab aliis legitimis actibus repelluntur *can. nulli* 11. *caus.* 3. *q.* 4. 2. Falsarii litterarum apostolicarum *c. ad falsariorum* 7. *de crim. fals.* 3. Usurarii manifesti, et notorii; quia nec ordinandi sunt *can. de Petro* 4. *dist.* 47. *c. inter dilectos* 11. *de excess. praelat.* 4. Perjuri, quia *non merentur ecclesias regere;* ut dicitur *c. querelam* 10. *de jurejur.* 5. Publici aleatores *c. inter dilectos cit.* 6. Ambitiosus, sive qui in electionem sui, tanquam jam factam, ante formatum, et publicatum electionis decretum consensit; estque talis electio ipso jure irrita, *c. cum post* 46. *et ibi* gloss. *V. requisitum hoc titul.* 7. Reus criminis sodomiae frequentati; cum enim istius frequentatione clericus privetur dignitate, beneficio etc. jam acquisitis *per constit. s. Pii V.* incip. *horrendum* editam 3. *septemb.* 1568. multo magis impedietur ab eorum assecutione, ut recte arguit Layman. *de elect. praelat. quaest.* 53. 8. Qui plura beneficia curata, vel plures personatus, aut dignitates tempore electionis absque dispensatione sedis apostolicae simul retinent *c. dudum* 54. §. *nos igitur hoc tit.* 9. Qui electioni de se factae per saecularis potestatis abusum consentire praesumpserint contra canonicam libertatem *c. quisquis* 43. *hoc titul.* 10. Haeretici, etiam postquam ab haeresi sunt absoluti, eorumque credentes, fautores, defensores, receptatores: *c. quicunque* 2. §. *haeretici, et c. statutum* 15. *de haeretic. in* 6. 11. schismatici, seu qui in schisma aliquando inciderunt, etsi postea illud abjecerint, nisi papa cum illis dispensaverit *c. quia diligentia* 5. *hoc tit.* 12. Qui ob

defectum animi , seu crimen semel repulsi sunt a praelatura *c. super eo* 12. *eod.* quia secundum *reg.* 8. *in* 6. semel malus semper praesumitur malus , sive suspectus in eodem genere mali. 13. Simoniaci , h. e. a quibus vel pro quibus pecunia , vel quid simile datum , seu promissum fuit , ut eligeretur *can. cavendum* 3. *caus.* 1. *q.* 7. *c. super eo* 12. *et c. si alicujus* 59. *h. t. et c. Matthaeus* 23. *de simon.* ubi de hoc plura DD. 14. infames , sive deinde infames sint infamia juris , sive facti ; quia personis vilibus , et indignis portae dignitatum patere non debent *c. inter dilectos* 11. *de excess. praelat. l. un. c. infamib. l. neque* 2. *c. de dignit.* Quodsi tamen posteriores , seu qui infames sunt tantum infamia facti , sufficienter se emendatos ostenderint , nisi aliud obstet , postea admitti possunt : quo differt infamia facti ab infamia juris ; nam hac laborantes etiam emendati ineligibiles manent , donec per judicem relaxetur infamiae poena , et hac notatus pristino restituatur statui.

18

Quaeritur 3. quinam ratione censurae , vel aliarum poenarum ecclesiasticarum eligi ad praelaturam nequeant ? Resp. 1. Eligi nequeunt excommunicati. Proceditque hoc non tantum de excommunicatis excommunicatione majori *c. postulatis* 7. *in princ. de cleric. excomm.* sed etiam de minori *c. fin.* et ibi gloss. *eod.* ratio est , quia cum talis sit privatus sacramentis , sive eorum receptione , ad ea ministranda eligi non potest.

2. Suspensi. De suspensis ab officio constat ; quia non potest quis promoveri ad suscipiendum illud officium , cujus exercitium illi est interdictum : *c. fin. cit.* De eo , qui suspensus est a beneficii patet ex *c. cum bonae* 8. junct. gloss. *V. suspensus de aetat. et qualit.* et gloss. *in c. cupientes* 16. §. *ceterum. V. beneficiis h. tit. in* 6. et ratio est , quia per suspensionem ejusmodi a beneficio privatus est perceptione fructuum beneficii , quod jam possidet : igitur non potest durante suspensione eligi , aut promoveri ad novum beneficium , per quod denuo acquirat jus percipiendi fructus , et reditus ecclesiasticos , ne quod una via quis perdit , per aliam acquirat *c. fin. cit. et ibi* gloss. *V. privatus.*

3. Personaliter interdicti *arg. c. cum dilectus* 8. *de consuet. et c. fin. de cleric. excomm.* Quod extenditur etiam ad violatores interdicti sive localis , sive personalis ; nam hi jure electionis tam activae , quam passivae privati sunt *c. ad haec* 1. *de postul. praelat. c. is qui* 18. §. *is vero : de sent. excom. in* 6. Neque opus est , ut sic censurati sint denuntiati ; nam ineligibilitas ista extenditur etiam ad interdictos , suspensos , excommunicatos non denuntiatos , et toleratos ; quia *extrav. ad excitanda cit.* concilium constantiense statuendo , quod aliqui actus excommunicatorum non denuntiatorum valeant , favorem exhi-

bere voluit ecclesiae, et aliis non excommunicatis, non vero ipsis excommunicatis: exhibuisset autem favorem non exiguum, si excommunicati, suspensi etc. electio, non obstante ejusdem excommunicatione, foret valida: ergo etc.

4. Universim eligi ad praelaturam, vel aliud beneficium nequeunt omnes irregulares sive ex delicto, sive ex alio quocumque defectu, ut communis cum Sylvest. *V. irregularitas princ.* et Novar. *man. c. 27. num.* 191. docet. Textus varii afferuntur a variis, sed non satis convincunt; quia intelligi vel de suspensis, vel de excommunicatis, vel de irregularibus, sed tantum in speciali materia possunt. Ratio tamen clara est, quia beneficium datur propter officium *c. fin. de rescript. in* 6. Irregularis autem inhabilis est ad officium: igitur etiam ad beneficium.

19

Quaeritur 4. an valida sit electio indigni, seu prohibiti eligi? Resp. Negative. Ita omnes. Dubium est, quomodo invalida sit, an ipso jure, an per sententiam tantum irritanda? In quo dubio videnda qualitas causae, ob quam aliquis ab electione passiva repellitur; nam 1. si repellatur aliquis ob impedimentum naturae ex iis, quae recensita sunt *N.* 16. electio ejusdem est ipso jure irrita; quia impedimenta ibi relata vel absolute faciunt inhabilem ad praelaturam, vel saltem ut ad eam promoveri non possit per viam electionis: atqui electio ejus, qui postulari solummodo potest, ipso jure est irrita, ut omnes sentiunt: ergo etc.

2. Si repellatur ob crimen, distinguendum est, an ob illud incurrerit infamiam, et quam, juris, an facti? *Si primum*, electio ipso jure est nulla absolute. *Si secundum*, solum irrita censenda est, spectato foro externo; quia in foro interno conscientiae potest praelaturam, seu dignitatem, ad quam electus est, recipere, et retinere, si nemo ipsi defectum infamiae objiciat, et speret, se intra breve tempus per publicam vitae emendationem notam infamiae abolere posse; tunc enim revalidatione tituli, vel dispensatione non est opus, ut notat Laym. *in c. cum in cunctis* 7. §. *inferiora num.* 14. *h. tit.* Pirh. *hic num.* 101. quod multo magis dicendum, si crimen ejusmodi sit occultum.

Speciale quid constitutum est de electione simoniaca; nam ita facta, si pretio dato et accepto completa sit simonia, ipso jure est irrita; *Extr.* 2. *vers. per electiones, et vers. statuentes de simon.* ita ut sic electus, etiam ignorans, ad eandem praelaturam, donec vitium simoniae per interpositam personam aliam purgatum sit, eligi nequeat, neque episcopus cum eo dispensare possit, ut habetur *c. si alicujus* 59. *h. tit.* Laym. *ibid. num.* 3. Barb. *num.* 3. quos cum aliis citat, et sequitur P. Wiestner *hic num.* 64. Dixi 1. *pretio dato, et acce-*

pto ; nam si tantum promissum fuerit , electio quidem non est ipso jure irrita , sed irritanda a superiore *c. nobis* 27. *de simon.* Dixi 2. *etiam ignorans ;* sic enim statuitur *c. si alicujus cit.* et expressus *c. Matthaeus* 23. *et c. nobis cit. de simon.* Excipitur , si data sit pecunia in fraudem electi , aut iste contradixisset *c. nobis cit. et c. sicut* 33. *eod.* Dixi 3. *ad eandem praelaturam ;* nam ad aliam ecclesiam , vel dignitatem non prohibetur eligi , cum in ordine ad alia beneficia nihil in jure statutum sit : casu tamen , quo electus ipse simoniam commisit , necesse erit , ut per papam ab excommunicatione , in quam ipse cum mediatoribus incidit , absolvatur , et de crimine poenitentiam egerit , priusquam ad aliud beneficium , vel ecclesiam promoveatur. Konig *hic num.* 40. Dixi 4. *nisi purgatum sit vitium etc.* purgabitur autem , si irritata simoniaca electione , eligatur alius ; nam si hic deinde resignet , vel moriatur , nihil obstat , saltem illum , qui ob simoniam sine sua culpa repulsus est , denuo eligi. Konig *l. cit.* Dixi 5. *non posse episcopum dispensare.* Colligitur ex *c. si alicujus cit.* Quod etiam dicendum de eo , qui accepit beneficium simplex simoniace ignorans , si ratam habeat electionem , vel postquam rescivit de contractu simoniaco , illud libere non resignat.

3. Denique quando aliquis repellitur ob censuram , vel irregularitatem , conveniunt 1. DD. ipso jure irritam esse electionem innodati interdicto , suspensione , et excommunicatione majore ob claros textus *c. cum bonae* 8. *de aetat. et qualit. c. postulatis* 7. *et c. fin. de cleric. excommun.* Conveniunt 2. electionem factam de irretito excommunicatione minore mero jure non esse irritam , sed irritandam per textum *c. fin. cit.* ibi *est electio irritanda.* Circa irregulares controversia inter illos est : affirmant non pauci esse irritam horum electionem ipso jure : alii volunt ex capite irregularitatis tantum esse irritandam : idque meo judicio probabilius. Ratio est ; quia in jure solum invenitur expressum , quod talis electio sit prohibita : atqui aliud est esse prohibitum , aliud esse irritum , igitur cum prohibitioni huic non sit adjectum decretum , seu clausula irritans , ea de irregulari celebrata jure subsistet. Irritanda tamen erit *arg. c. ut abbates* 1. *de aetat. et qualit.* non solum , quia facta est contra prohibitionem juris , sed quia sic electum confirmare non potest superior , quamdiu inhabilitas ratione irregularitatis manet.

20

Quaeritur 5. quae sit poena eligentium indignum , seu prohibitum eligi , vel postulari ? Resp. si scienter hoc fecerint , et ex votis male eligentium subsecuta sit communis electio , electores pro ea vice privantur jure eligendi ipso jure et facto , et insuper suspensi sunt ab ecclesiasticis beneficiis per triennium. Ita habetur *c. cum in cunctis* 7. *princ. h. tit.* et merito , ut in eo , in quo peccarunt , etiam puniantur.

Dixi 1. *si scienter hoc fecerint;* nam si ignoranter, nisi ignorantia sit voluntaria, seu crassa, et affectata, poenae istae non incurruntur, ut in *c.* 25. *h. tit. V. scienter* advertit glossa.

Dixi 2. *si subsecuta sit communis electio;* nam ante hanc ad aliam electionem procedi potest, et debet, ut constat *ex c. perpetuo* 7. *h. tit. in* 6. Ratio est, quia poena debet intelligi cum affectu: atqui antequam formatum sit publicum, et capitulare decretum electionis, licet scrutinium promulgatum sit, nondum tamen censetur facta electio; ergo etc.

Dixi 3. *ipso jure et facto:* quod intelligendum est de utraque poena, videlicet privationis juris eligendi, et suspensionis a beneficiis, uti de prima constat ex *c. quanquam* 18. *hoc tit. in* 6. de posteriore *c. si compromissarius* 37. §. *porro h. tit. in* 6. Extenditur poena haec privationis etiam ad eos, qui dignitatem, vel praelaturam indigno conferunt, in ea constituunt, vel confirmant *arg. c. nihil* 44. et cum aliis notat Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 13. Ratio est, quia collatio vim electionis habet, et magis delinquit, vel indigno scienter confert praelaturam, vel confirmationem dat, quam qui simpliciter eligit.

Dixi 4. *a beneficiis;* intellige, quae obtinent in illa ecclesia, in qua facta est electio; nam hanc specialiter offenderunt: unde poena haec ad alia beneficia, quae in aliis ecclesiis obtinent, non extenditur, ut habetur *c. si compromissarius cit. vers. restringitur.* Haec satis certa.

Dubitari potest, an poena ista extendatur etiam ad eligentes indignum ad praelaturam, vel dignitatem episcopali inferiorem? Negat Joan. And. *in cap.* 23. *hoc tit. numer.* 11. ex ratione, quod *c. cum in cunctis cit.* solum fiat mentio de eligentibus indignum ad dignitatem episcopalem, ut adeo dispositio hujus *cap.* tanquam poenalis ad eligentes praelatum inferiorem extendenda non sit. Verum hoc non obstante, dicendum, etsi tales suspensionem a beneficiis non incurrant, prout statutum expresse de ipsis est *c. si compromissarius cit. vers. hujusmodi,* eos tamen incurrere poenam privationis juris eligendi pro illa vice, ut constat ex *c. dudum* 22. *hoc titul. c. perpetuo* 7. *et c. quanquam* 18. *eodem in* 6. quibus poena haec etiam ad hos extenditur.

21

Quaeritur 6. ad quos pertineat potestas eligendi, quando capitulares elegerunt indignum? Resp. cum distinctione: vel enim omnes capitulares deliquerunt scienter eligendo indignum, vel tantum aliqui.

Si primum, potestas eligendi pro ea vice devolvitur ad superiorem, et in cathedralibus quidem ecclesiis immediate ad papam, in aliis inferioribus ad proximum superiorem. *c. quanquam cit.*

Si secundum, electione priore, utpote perperam facta, et invalida, rescissa, potestas eligendi penes capitulares alios, qui in ele-

ctionem indigni non consenserunt, residet, qui proinde, exclusis delinquentibus, eorumque votis, suae electionis, qua in personam dignam convenerunt, decretum formare; idque nomine totius capituli promulgare poterunt; vel si velint, procedere ad novum scrutinium; *c. congregato* 53. *hoc titul.* et ibi Abbas *numer.* 6. Proceditque hoc, etsi isti sint numero pauciores, imo licet unicus duntaxat sit; nam in illo unico remanet jus collegii, et cons. si velit, poterit solus eligere; gloss. *in c. perpetuo 7. hoc titul. in* 6. *in notatione.*

Controversia est, an capitulares, ad quos hoc modo devoluta est potestas eligendi pro ea vice, possint, si velint, ceteros ea privatos ad electionem secum celebrandam admittere? Rationem dubitandi facit suspensio, in quam inciderunt sic eligendo.

Sed haec non obstat, quia est suspensio solum a beneficio, non autem ab officio; unde cum privatio haec solum spectet favorem ceterorum non consentientium, nihil impediet, quin, si velint, isti etiam delinquentes secum ad electionem possint admittere; nam favori pro se principaliter introducto, quilibet renuntiare potest. Ita gloss. *in c.* 25. *h. tit. V. admiserant*; Abb. *ibid. n.* 3. Laym. *n.* 2.

Debent autem ad istos admittendos consentire omnes, sicut ad admittendum extraneum *arg. reg. quod omnes tangit* 29. *et reg. in re communi* 56. *in* 6. Ratio est, quia per ejusmodi admissionem ad electionem jura singulorum diminuuntur.

§. III.

De convocatione electorum ad celebrandam electionem.

SUMMARIUM

22 *Quinam vocandi sint ad electionem?*
23 *An electio valeat, quando non sunt vocati omnes?*
24 *Quod jus contemptis competat?*
25 *Quinam absentes vocari debeant?*
26 *Quis sumptus itineris subministrare absenti debeat?*
27 *An elector absens possit constituere procuratorem?*
28 *Quid observandum procuratori, et constituenti procuratorem?*
29 *An capitulum consentire debeat etiam in procuratorem extraneum?*

22

Quaeritur 1. quinam vocandi sint ad electionem, quomodo, et a quo? Resp. Mortuo, ac sepulto, nisi accelerationem necessitas exigat, praelato, decanus, vel prior, aut his absentibus senior, electores, seu

capitulares in loco praesentes, vel non longe distantes convocare debet, et cum iis in capitulo decernere debet circa diem, locum, et horam futurae electionis, quem ubi constituerint, omnibus, qui ad electionem vocandi sunt, intimare debent per litteras, vel nuntium ad hoc specialiter deputatum, cum monito, si intra tempus statutum non compareant, negotium electionis, ipsis etiam absentibus inchoandum, ac perficiendum, prout cum aliis notat Tholosan; *tr. de elect. c.* 14. *num.* 1.

Vocandi autem ad electionem sunt omnes, non tantum in loco praesentes, sed etiam absentes, *qui interesse debent, volunt, et commode* possunt, ut dicitur *c. quia propter* 42. *in princ. h. tit.* Ratio est, quia nemo usu, sive exercitio juris sui sine causa privari debet. Adeoque 1. vocari debent, qui electioni interesse debent, h. e. ii, qui jus suffragii habent de jure communi, vel speciali, vel saltem sunt in ejus pacifica quasi possessione: gloss. *in c. quia propter cit. V. qui debent.* 2. Vocandi sunt, qui interesse volunt; qui enim ex electoribus legitimis interesse electioni nollent, non possunt compelli, ut compareant, cum juri suo renuntiare quivis possit *c. si terra* 6. *de privilegiis.* Excipe, nisi specialiter intersit ecclesiae, vel ex consuetudine, aut statuto interesse omnes legitime non impediti tenerentur. Aba. *in c. cit. n.* 4. tunc enim interesse tenebuntur omnes, etiam poena adjecta. 3. Vocandi sunt, qui commode electioni interesse possunt; nam qui vocari, aut comparere vel absolute, vel sine ipsorum, aut ecclesiae periculo propter metum factionum, schismatis, aut intrusionis laicae potestatis non possunt, vocandi non sunt *c. quia propter cit. et c. quod sicut* 28. ibi *si tamen sine periculo potuerunt convocari h. tit. et ibi* gloss. *V. sine periculo*, quia commune bonum ecclesiae praevalere debet particulari privatorum.

23

Quaeritur 2. an electio valeat, ad quam non omnes, qui electioni interesse debuissent, potuissent, et voluissent vocati sunt, vel post vocationem admissi? Resp. distinguendo: vel enim contempta est plus, quam tertia pars eorum, vel pauciores.

Si primum, e. g. si ex 12. contempti sint quinque, electio ipso jure est nulla, non quidem propter contemptum, sed ob defectum potestatis eligendi, quae residet in duabus partibus capitularium, qui debent, volunt, et commode possunt interesse; Abb. *in c.* 30. *h. tit. n.* 9. *et in c.* 42. *in princ. eod. n.* 12.

Si secundum, et tantum unus, vel pauciores contempti sint, reliqui autem convenerint ad electionem, tunc electio ab his facta de jure est valida, si tamen in electum convenerit major pars omnium suffragii jus habentium, prout colligitur ex *c. quod sicut* 28. §. *quod si eos, et c. auditis* 29. *h. tit.* ubi dicitur, quod contempti electionem

a ceteris factam per subsequentem consensum confirmare possint : quod fieri non posset , si electio ipso jure irrita esset ; quod enim ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere *reg.* 29. *ff. de R. J.* Ratio est , quia quod major pars capituli praesentis decernit , pro eo habetur , acsi omnes decrevissent , arg. *l. quod major* 19. *ff. ad municipal.* Et hinc colligitur , vocationem capitularium absentium , etiam eorum , qui vocari debent , non pertinere ad formam substantialem electionis , cum , aliquibus etiam non vocatis , subsistat electio. Proceditque hoc , etsi extaret alicubi statutum , electionem , aliquibus contemptis celebratam , irritans ; quia hoc ipsum statutum , si juri communi per interpretationem non conformetur , valore destituitur , et cons. effectu caret , ut bene notat Abb. *in c.* 42. *cit. n.* 12. *vers. nec valeret.*

Addidi *si tamen in electum convenerit major pars eorum omnium, qui jus suffragii habent ;* quia ut hujusmodi electio , tanquam a majore capituli parte facta , subsistat , necessarium est , ut in eam consenserit major pars , non tantum respectu praesentium , sed etiam respectu absentium , qui de jure vocandi erant. Et hinc si collegium aliquod constet 12. capitularibus , et ex his ad electionem conveniant 10. duo ceteri non vocati contemnantur , ut electio censeatur facta a majori parte capituli , non sufficit , ut ex decem vocatis conspirent sex , sed requiruntur septem ; quia licet sex respectu decem sint major pars, non tamen respectu duodecim vocandorum , et capitulum constituentium , ut recte aliis *citt.* notat Passerin. *de elect. c.* 11. *num.* 112. Ratio est , quia non vocati de jure pertinent ad capitulum , et non nisi per injuriam sibi illatam absunt ; iniquum autem , et perniciosum est, ex injuria eum , qui hanc passus est , praejudicium , illum vero , qui intulit , commodum reportare ; ergo etc.

24

Quaeritur 3. quod jus contemptis , seu non vocatis ad electionem competat ? Resp. Possunt , si velint , illatam sibi injuriam prosequi , et a superiore petere , ut electio rescindatur , ut habetur *c. quod sicut* 28. §. *quodsi cit.* et notat gloss. *ibid. V. consentire.*

Extenditur autem 1. etiam ad successorem in praelatura , vel dignitate , si ratione istius jus suffragii in electione antecessori competiit ; quia injuria censebitur eo casu illata non tam personae , quam dignitati ; quae nunquam moritur , sed ad successorem cum omnibus juribus dignitati annexis transit.

Extenditur 2. etiamsi electus sit confirmatus , vel etiam consecratus , ut colligitur ex *c. quod sicut cit.* et ibidem cum aliis interpp. advertit Abb. *n.* 3. Ratio est , quia confirmatio innititur electioni , tanquam legitime factae ; igitur hac ob contemptum , vel alium defectum cassata , etiam ipsa cadit.

Extenditur 3. ut procedat etiam in aliis actibus capituli, seu collegii; nam etiam illi, si collegialiter peracti sint, aliquo contempto, aut non vocato, cum vocari debuisset, ad petitionem illius rescindendi sunt, tanquam non legitime facti: *arg. c. bonae* 36. *h. tit.*

Addidi *si velint;* nam contempti juri suo renuntiare, et electionem absque se factam approbare possunt, modo electio ab initio fuerit valida; quia potestas agendi de contemptu est favor principaliter introductus pro ipsis contemptis. Est autem perinde, sive contempti consensus sit expressus, sive tacitus: qualis foret, si contempti, postquam ante confirmationem publico edicto moniti sunt, non oppugnent electionem; nam si postea illam oppugnare velint, repelluntur, quod juri suo renuntiasse praesumantur.

Dubium est, an casu, quo contemptus expresse, vel tacite renuntiavit juri, quod ob contemptum habebat ad petendam rescissionem, superior ex officio, vel petente electi adversario, rescindere electionem possit? Affirmat gloss. *in c.* 55. *h. tit. V. nec praemissi.* Sed melius cum Abb. *ibid. n.* 10. et aliis negatur, id ordinarie fieri posse. Ratio est, quia quando non de publico, sed de privato solum favore agitur, et is, cujus interest, jus suum non prosequitur, judex officium suum non potest ordinarie impertiri, ut colligitur *l. dies* 4. §. *hoc autem* 8. *ff. de damn. infect.* atqui in proposito casu non agitur de jure pure publico (alias enim contempti juri illi renuntiare non possunt) sed tantum de favore privato ipsius personae contemptae; ergo etc. Excipitur, nisi contemptus ex fraude fuisset vel factus, vel remissus; tunc enim judex ex officio rescindere electionem potest, cum fraus sua nemini patrocinari debeat.

25

Quaeritur 4. quam procul absentes esse debeant, ut non vocati agere de contemptu possint? Plurimum in hac re DD. variant; nam aliqui putant vocandos esse absentes, si sciatur, ubi sint, modo non sint in loco remotiore ultra duas diaetas *arg. c. nonnulli* 28. *de rescript.*

Alii volunt vocandos omnes, qui in provincia (i. e. archiepiscopatu) sunt; non autem illos, qui extra illam: quod colligunt ex *c. coram.* 35. *h. tit.* ibi *omnibus, qui fuerunt in provincia, convocatis;* et rationem dant, quia in provincia existentes quodammodo pro praesentibus habentur; qui autem extra provinciam sunt, censentur esse absentes *l. fin. C. de praescript. long. temp.* 10. *vel* 20. *ann.*

Optime gloss. *in c. cum inter* 18. *h. t. V. remoti,* Abb. *ibid. num.* 4. cum ceteris monent, in hoc cujusque ecclesiae consuetudinem sequendam esse; sicut enim per consuetudinem acquiri jus eligendi potest, ita etiam potest restringi, vel omnino amitti quoad vocationem absentium faciendam.

Spectato jure communi, et seclusa speciali consuetudine, vocandi sunt capitulares absentes omnes, sive in, sive extra provinciam existant, modo in tali loco sint, ut commode vocari, atque ad praefixum, et a jure permissum tempus adesse possint, ut colligitur ex *c. cum inter cit. c. quod sicut* 28. *et c. bonae* 36. *h. tit.* ubi canonicus, qui Rhegii degebat, ad electionem vocatus est Cremonam, quae est civitas diversae provinciae.

Neque obstat *c. coram cit.* vocati enim ibi sunt omnes, vel quia id exigebat specialis ecclesiae consuetudo, vel quia omnes in provincia, et non procul aberant, vel quia ob particulares circumstantias videbantur omnes, qui in provincia erant, vocari commode posse. Unde *c.* istius dispositio locum non habet casu, quo intra provinciam valde amplam existentes procul, aut extra illam non procul a loco electionis absunt; nam hi, non obstante, quod sint extra provinciam, vocandi sunt, non priores, licet sint intra provinciam; isti enim commode adesse non possunt, possunt illi. *Ad rationem adjectam* dico *l. fin. cit.* sermonem esse de praescriptione rerum immobilium, ubi specialiter constitutum est, ut qui in eadem provincia domicilium habent, pro praesentibus habeantur: quod ad praesentem casum extendi non potest.

26

Quaeritur 5. quis capitulari absenti debeat subministrare sumptus, seu expensas profectionis ad locum electionis: rationem dubitandi facit 1. textus *c. ut praeteritae* 45. *h. tit.* ubi Honorius III. statuit, *ut expensae necessariae, quas capitulum constantinopolitanum, vel ejus nuntii, sede vacante, pro electionis negotio fecerint, de bonis patriarchalibus fiant totaliter, vel reddantur.* 2. quia regulariter is ad expensas tenetur, cujus negotium principaliter geritur; *arg. l. fin. C. de statuis, et imag.* atqui in electione principaliter geritur negotium ecclesiae vacantis; nam in hujus bonum illa principaliter tendit; ergo etc. 3. officium suum nemini debet damnosum esse *c. cum non deceat* 30. *princ. h. tit. in* 6. damnosum autem utique foret electoribus, si pro electionis negotio factae expensae iisdem non praestarentur; ergo etc.

Difficultas haec complanari ope distinctionis potest, quam adhibet Hostien. *in summ. num.* 31. §. *quid juris hic:* vel enim talis canonicus a loco electionis abest propter ipsius ecclesiae, aut praelaturae utilitatem, vel solum pro suae voluntatis arbitrio, aut pro suis commodis tantum.

Si primum, expensae profectionis ad locum electionis eidem ex reditibus praelaturae vacantis praestari debent, et hoc probant argumenta pro ratione dubitandi allata. Excipitur, si talis canonicus bona, sive res mobiles praelati, qui decessit, occupasset, vel usurparet; nam

isti expensae refundi non debent, nisi quatenus excedunt quantitatem bonorum acceptorum, ut habetur *c. ut praeteritae cit.* et notat *ibid.* Laym. *n.* 10.

Si secundum, seclusa contraria consuetudine, tali canonico expensae in profectionem non sunt praestandae, vel refundendae, sed sufficiet, si de praelaturae reditibus praestentur sumptus, qui fiunt in nuntium, a capitulo expeditum ad significandum diem electionis. Ratio est, quia *c. ut praeteritae cit.* jubentur solum refundi *expensae necessariae,* non vero, quae factae sunt intuitu privati commodi.

Addidi *seclusa contraria consuetudine;* nam si alicubi vigeat consuetudo, ut electoribus indiscriminatim omnibus solvatur certa quantitas de reditibus vacantis praelaturae intuitu sumptuum in negotio electionis quomodocunque factorum, tolerari consuetudo haec poterit; neque enim hujusmodi consuetudini aut jus resistit, aut ratio. Nam quod canonicis capitularibus ex officio, et ratione canonicatus, seu praebendae suae incumbat praelati electio, non obstat; quia saepe quid debetur ex officio, quod tamen non praestatur propriis, sed alienis, ejusque sumptibus, in cujus gratiam fit. Exemplum est in procurationibus, quae debentur episcopo ratione visitationis, licet visitare dioecesin ex officio suo debeat.

27

Quaeritur 6. an elector absens possit procuratorem constituere, qui suo nomine, et loco eligat? Resp. ordinarie et regulariter non posse, sed id permissum solummodo est iis, qui justo impedimento prohibiti sunt ad electionem venire, nec omnibus, sed illis duntaxat, qui sunt absentes in loco, ex quo possint, et debeant vocari ad electionem, prout statuitur *c. quia propter* 42. §. *illud autem h. tit.* Neque obstat, quod in aliis negotiis possit quis ordinarie suo loco costituere procuratorem etiamsi non sit impeditus, quo minus per se agat, vel intersit *l. procurator* 1. §. *usus* 2. *ff. de procurat.* nam hoc in electionis negotio speciale est, cum ibi videatur electa industria personae ipsius eligentis, ut notat Pirh. *hic num.* 145.

Dixi autem 1. *ordinarie, et regulariter*; excipitur enim, si in constitutionem procuratoris capitulum consentiat; nam *cit.* constitutio *c. quia propter* in favorem eligentium facta est, cui proinde isti renuntiare possunt.

Dixi 2. *iis qui justo impedimento prohibiti sunt etc.* Tale censetur gravis infirmitas, detentio ab hoste, non tutus accessus ad electionem propter itinera insessa ab hostibus, vel paratas sibi ab inimico insidias, evocatio ad altius tribunal, et alia prudentis viri arbitrio aestimanda; gloss. *in §. illud autem cit. V. venire* et ibidem DD. Dixi 3. *qui possunt, et debent vocari ad electionem*; nam siquis impediatur venire, quia excommunicatus, suspensus, aut interdictus est, procu-

ratorem loco sui constituere nequit; quia absurdum est illos admitti; quorum repellerentur authores. Similiter constituere procuratorem non potest, qui abest in loco, unde ad electionem vocari non debet; quia hic non plus juris dare procuratori potest quam ipse habeat. Igitur cum ipse exspectari non debeat, neque procurator ejusdem ad electionem debebit admitti.

28

Quaeritur 7. quid observandum tum procuratori, tum constituenti procuratorem? Resp. 1. Procurator ab electore absente, et legitime impedito constitutus debet esse de collegio eorum, qui eligere debent, ut habetur §. *illud autem cit.* Possunt tamen capitulares, si velint, etiam extraneum procuratorem admittere, modo alias idoneus sit; jure enim in favorem suum concesso uti possunt, vel eidem renuntiare; Pirh. *hic num.* 148.

2. Constitui possunt ab ita impedito electore procuratores unus, vel plures, ita tamen, ut quando plures constituuntur, electionis potestas singulis committatur in solidum, sive ita, ut unus sine altero eligere possit; quo casu locus erit praeventioni, et ille admittetur, qui prius petierit admitti, ad electionem: si vero nullus praevenerit alterum, praeferetur is, in quem major pars capituli consenserit. Si major pars capituli in unum non consentiat, praeferendus ille est, qui in litteris procuratoriis prius est nominatus, prout statutum est *c. siquis* 46. *h. tit. in* 6.

3. Hujusmodi procurator jurare debet in animam sui principalis, quod is impeditus venire non possit, expressa causa impedimenti §. *illud autem cit.* et *ibi* Innoc. *n.* 11. ideoque opus est, ut principalis det speciale mandatum procuratori jurandi in animam suam. Excipe, si impedimentum sit notorium, vel juramentum unanimi omnium consensu remitteretur a capitulo, in cujus favorem est introductum; Abb. *in* §. *illud autem cit. n.* 4.

4. Si unus tantum procurator, isque e capitulo constitutus sit ad eligendum simpliciter, duo quidem dare suffragia potest, unum suo, alterum principalis sui nomine, non tamen potest alium suo, alium nomine principalis eligere, ut habetur *c. siquis* 46. §. *porro h. tit. in* 6. Ratio est, quia qua conscientia suo, eadem alieno nomine eligens, digniori utroque casu suffragium dare debet; nequit autem ex duobus altero melior judicari uterque: ergo etc. Addidi autem, *si sit simpliciter constitutus ad eligendum*, videlicet cum mandato generali; nam

5. Si procurator constitutus habeat mandatum speciale a domino de certa persona eligenda, illam, de qua expressum mandatum habet, eligere debet nomine procuratorio, suo autem nomine alium eligere licite poterit, prout dicitur §. *porro cit.* Ratio est quia tali casu po-

tius ipse principalis elegisse censetur, procurator autem videtur solum constitutus ad praesentandum illius votum.

6. Procurator constitutus cum mandato generali potest etiam compromittere; quia hujusmodi mandato jus eligendi totum in ipsum translatum censetur, ut adeo in electionis negotio possit omnia, quae mandans posset, si praesens foret: atqui iste posset compromittere: ergo etc. Secus, si habeat speciale mandatum de certa persona eligenda; nam iste consentiendo in aliam, a compromissariis forte eligendam, excederet fines sui mandati; gloss. *in §. porro cit. V. de certa.*

7. Procurator constitutus ad certam personam eligendam, vices suas subdelegare alteri potest; quia parum refert, an per se, vel per alium suffragium conferat in personam nominatam; gloss. *cit.* Non autem hoc potest, si habeat mandatum generale, nisi id mandato insertum sit; quia censetur electa esse industria, et discretio personae. Pirh. *hic n.* 150. *V. ceterum.*

29

Quaeritur 8. an casu, quo nemo e capitulo velit suscipere mandatum procuratorium eligendi pro absente, et impedito accedere ad electionem, capitulum teneatur consentire, ut constituatur procurator extraneus? Resp. negative. Ita statutum est *c. siquis* 46. *§. fin. h. tit.* Quare hoc casu suffragii amissionem elector absentiae suae, et istius causae imputare debet, non vero capitularibus ceteris; quia hi respuendo extraneum, et recusando mandatum procuratorium jure suo utuntur: in primo quidem, quia secreta sua extraneo communicare non tenentur *arg. l. mercatores* 4. *C. de commerc. et mercat.* in altero autem, quia ad suscipiendum procuratoris munus cogi nemo invitus potest; *l. invitus* 17. *C. de procurat.*

Dubium est, an tali casu elector absens saltem non possit suffragium suum mittere, et dare per litteras? Resp. non posse; quia secundum formam eligendi praescriptam a concil. later. *c. quia propter* 42. *cit. h. tit.* non ante scrutinum, sed in ipso scrutinio suffragia secrete, et sigillatim exprimenda, seu danda sunt, ut dicitur *§. fin. cit.* sed is, qui per litteras dat suffragium suum, dat illud ante scrutinium; nam si ipsum ante mori contingat, evidenter patet, eum suffragium non dare, sed dedisse.

Excipitur 1. si forma scrutinii in aliqua electione non sit accurate servanda, ut fit in electionibus regularium, quae fiunt per schedulas obsignatas in urnam conjectas; nam in his nihil obstat suffragium ita scriptum ab absente, vel infirmitate detento mitti ad capitulum, ut notat Laym *in c. siquis cit. n.* 2.

Excipitur 2. si per fraudem, vel conjurationem nemo e collegio velit loco absentis, et impediti partes procuratoris suscipere; tunc enim absens conqueri poterit de injuria, et contemptu, et petere, ut re-

scindatur electio, cum omnis fraus ab electione longe abesse debeat; Pirh. *hic n.* 151.

§. IV.

De electionis loco, tempore, et tractatu praevio.

SUMMARIUM

30 *In quo loco sit instituenda praelati electio?*
31 *An institui possit etiam in ecclesia interdicta?*
32 *Vel in loco occulto?*
33 *Quando celebrari electio debeat?*
34 *Intra quod tempus?*
35 *Quando tempus istud incipiat currere?*
36 *An abbreviari possit?*
37 *Quae sit poena statuto tempore non eligentium?*
38 *Quid sit tractatus, qui aliquando praemitti solet electioni?*
39 *An necessario praemitti debeat?*
40 *An fieri vivente adhuc praelato?*
41 *Quid dicendum de capitulationibus?*
42 *Utrum istae juramento firmentur?*

30

Quaeritur 1. in quo loco sit instituenda praelati electio? Resp. 1. electio fieri debet ab electoribus in uno loco simul congregatis, ut constat ex *c. cum terra* 14. *h. tit.* Ratio desumitur ex generali regula, sumpta ex *l. sicut* 7. §. *siquid* 1. *ff. quod cujusque univers. nom.* quia videlicet actus universitatis, qui gerendus est ab aliquibus, non ut singulares personae sunt, sed ut collegium, seu universitatem constituunt, non potest expediri ab iisdem, nisi ut collegialiter congregatis: talis actus collegialis est electio: ergo etc.

2. Electio episcopi juxta constitutiones canonicas, si fieri potest, peragi debet in ecclesia viduata, prout habetur *c. quod sicut* 28. *in princ. h. tit.* In hac autem celebrari censetur non solum, si in ipso ejus choro, vel navi, sed etiam si in sacristia, vel in consueto capituli loco, aut alio conclavi, et loco honesto intra ecclesiae ambitum sito, juxta consuetudinem cujusque ecclesiae celebretur, ut aliis *cit.* notat Passerin. *de elect. c.* 12. *num.* 1.

3. Si extra propriam ecclesiam fiat in loco alieno multum interest, an fiat ex causa rationabili, an vero justa causa non intercedente. Si primum, electio sic facta valida simul, et licita est, modo in locum, ubi sit, capitulares consentiant. Si secundum, juxta probabilem sententiam, valida quidem est, sed tamen per sententiam irritari poterit, quippe facta contra praescriptum ss. canonum *arg. c. quanquam* 18. ibi *vel per sententiam h. tit. in* 6.

4. Distinguendum etiam est inter causas, ex quibus extra consuetum locum celebratur electio; nam si urgens necessitas istud petat, v. g. quod pestis ibi grassetur, vel quod locus ille accedi, et electio ibi celebrari nequeat sine periculo probabili inferendae violentiae, sufficit, quod major pars capitularium conveniat, vel si periculum sit in mora, etiam minor, et constituto loco electionis, ad eum vocet electores ceteros absentes. At si extra locum consuetum celebretur electio solum ob majorem commoditatem, ad hoc statuendum convenire debent duae partes capitularium, et quem locum major pars praesentium elegerit, ad eum conferre se etiam absentes debent, nisi unus, vel plures contempti fuerint, seu non vocati, qui contemptum suum prosequendo acta rescindi petant; Pirh. *hic n.* 242.

31

Dub. 1. An celebrari electio etiam in ecclesia interdicta possit? Rationem dubitandi facit *c. ubi periculum* 3. §. *porro h. tit. in* 6. ubi statuitur, ut casu, quo *pontifex moritur extra civitatem, in qua erat cum curia sua residens, cardinales in civitate, in cujus territorio, seu districtu idem pontifex obiit, teneantur convenire* ad electionem novi pontificis, *nisi sit forsitan interdicta:* igitur si interdicta sit, ibidem electio celebrari non poterit; jubentur enim eo casu, *ut in alia viciniori conveniant, quae similiter interdicto non subjacet.*

Verum hoc non obstante, dicendum, etsi interdictum ecclesiae praebeat capitularibus rationabilem causam electionem instituendi alibi, id tamen non obstare, quin eligi episcopus, vel praelatus inferior possit etiam in ipsa ecclesia interdicta, ut cum communi advertit Abb. *in c. adhuec* 1. *n.* 33. *de postul. praelat.* et rationem dat, quia per interdictum solum suspenduntur divina, et ecclesiastica sacramenta, non vero contractus, et obligationes, quas inter est electio legitime facta, et acceptata.

Ad textum in ratione dubitandi allegatum respondet idem Abb. *l. cit.* illud esse speciale in electione papae, quod proinde ad electionem praelatorum inferiorum trahi non debet: deinde ibi non dicitur, quod electio pontificis in tali ecclesia celebrata reddatur nulla: imo mero jure tenet, ut cum eodem Abb. advertit gloss. *ibidem V. interdicta.*

32

Dub. 2. an valeat electio facta in loco occulto, seu clandestina? Resp. cum distinctione; nam quatuor modis clam celebrari electio potest. 1. Clam tantum coram extraneis, si celebretur in loco occulto, a capitularibus tamen legitime congregatis: et hoc casu facta electio, si in alio non deficiat, valet; imo clandestina proprie non est; cum clam factum dici non possit, quod etiam in loco abdito, omnibus capitularibus cum capite suo praesentibus, factum est.

2. Clam coram majore parte capitularium, si ad eam celebrandam conveniunt privato conventiculo vel aliqui tantum, vel minor pars capitularium, aut saltem ad constituendam capitularem potentia non sufficiens, ceteris nec monitis, nec vocatis: et ista electio ob defectum vel capitularis potentiae, vel justi suffragiorum numeri ipso jure est irrita *c. quia propter* 42. *in princ. h. tit.* et ibi Abb. *n.* 12.

3. Si omissa sit scrutinii publicatio, aut quae hanc sequi debet, communis electio: et haec iterum irrita est; quia tam publicatio, quam communis electio ad formam scrutinii substantialem pertinet, ut infra dicetur *n.* 50.

4. Si rite quidem sit facta, sed ita secreta habetur a capitularibus, ut clero, et populo solemniter non publicetur: haec valida est; quia solemnis publicatio ad formam substantialem electionis non spectat, sed ex causa omitti, vel etiam usque ad confirmationem differri potest, ut aliis *cit.* notat P. Vviestner *hic n.* 120.

33

Quaeritur 2. quando celebrari electio novi praelati debeat? Resp. Regulariter celebrari electio non debet ante defuncti praelati sepulturam, et tertium dispositionis diem, nisi urgeat necessitas, vel consuetudine aliud obtentum sit: *can. nullus* 7. *dist.* 79. et *c. bonae* 36. *vers. electionem h. tit.* juxta quos textus ante facta electio, nulla justa causa hoc exigente, non quidem irrita est ipso jure, irritari tamen per sententiam potest.

Post sepulturam praelati, et tertium depositionis diem deligere sibi capitulares tempus quodcunque possunt usque ad terminum a jure praefixum, et concessum ad electionem. Neque obstat, etsi dies electioni statutus sit feriatus, ut cum communi advertit Passerin. *de elect. c.* 13. *n.* 45. quia est actus extrajudicialis, et quidem spiritualis, spectans pietatem, favoremque ecclesiae.

De nocte tamen facta electio, etsi jure ipso non sit irrita, (cum nullo jure expressum sit) rescindi tamen, et irritari potest per sententiam judicis, ob suspicionem fraudis, cui actus publici, de nocte celebrati, obnoxii sunt, nisi suspicionem hanc necessitas, quae festinationem electionis urgeat, sufficienter purget: quo casu tamen diurnae lucis defectum supplere debebunt sufficientia luminaria, ut cum aliis monet Pirh. *hic. n.* 253.

34

Dub. 1. intra quod tempus electio novi praelati fieri debeat? Resp. In ecclesiis cathedralibus, et regularibus differri non debet ultra tres menses; in aliis praelaturis, dignitatibus, et beneficiis non ultra sex. Primum statuitur *c. ne pro defectu* 41. *h. tit.* alterum colligitur ex *c. nulla* 2. *de concess. praeb.* Ratio discriminis est, quia episcopi, et praelati regulares, etsi a jurisdictione ordinariorum suo-

rum exempti non sint, jurisdictionem ordinariam, et generalem ecclesiasticam etiam fori externi in clericos, et religiosos, aliosque sibi ita subjectos habent; ut proinde merito constitutum sit, ne damnum ex diuturniore vacatura patiantur ecclesiae, ut ultra trimestre novi praelati electio non differatur: quae ratio non pugnat in aliis praelaturis saecularibus, episcopatu inferioribus; quia istae jure communi, et ordinario, seclusis specialibus privilegiis, jurisdictionem in clericos ecclesiarum suarum non habent, sed ea ad episcopum spectat.

Dixi: *seclusis specialibus privilegiis;* nam etiam tales praelati ex privilegio, vel praescriptione jurisdictionem ordinariam, et generalem obtinere possunt, et eo casu, maxime si sint exempti, electiones illorum ultra tres menses differri non possunt, ut cum aliis interpp. et DD. advertit Abb. *in c. ne pro defectu cit. n.* 5. Ratio est, quia in his est adaequatae rationis identitas; ubi autem ratio constitutionis principalis locum habet, etiam locum habere debet ejusdem dispositio.

Neque obstat, quod constitutio *c. ne pro defectu cit.* sit restrictoria anteriorum canonum, et cons. odiosa, et poenalis, adeoque, etiam propter identitatem rationis non extendenda ultra casus, et personas expressas; nam potius est favorabilis, cum principalis ejus intentio sit occurrere periculis animarum, et ecclesiarum indemnitatibus providere, ut optime notat Pirh. *hic. n.* 244.

35

Dub. 2. quando incipiat currere hoc trium, vel sex mensium tempus a jure praescriptum? Resp. Incipit currere a die notitiae habitae de vacatione, si ibi impedimentum non sit; alias a die remoti impedimenti: prout colligitur ex *c. ne pro defectu cit.* ubi Innoc. III. statuit, electores eligendi potestate excidere, *si ab ipsis intra tres menses, cessante justo impedimento, non sit celebrata electio.*

Ex quo *sequitur* 1. hoc tempus non currere ante, dum adhuc ignoratur vacatio. Ratio est, quia trimestre, vel semestre hoc a lege statutum est ad puniendam culpabilem moram, seu negligentiam. Sed dici non potest esse in mora, vel negligens, qui ignorat praelaturam vacare: ergo etc.

Sequitur 2. idem tempus non currere legitime impedito; gloss. *in c. quia diversitatem* 5. *V. suspensionis de concess. praeb.* ubi ait, quod tempus, in quo eligere quis non potest, non currit. Intelligendum autem hoc est de impedimento extraordinario, quod per accidens occurrit; nam si impedimentum sit ordinarium, temporis cursum non impedit, cum necesse plerumque sit tempus aliquod intercedere, dum absentes vocentur, et veniant ad electionem.

Sequitur 3. idem dicendum, etsi capitulares ob propriam culpam in ejusmodi impedimentum, e. g. censuram suspensionis inciderint, et ideo eligere non potuerint; adhuc enim ipsis tempus illud, quo

durat ejusmodi impedimentum, numerari non debet, modo non fuerint negligentes in petenda absolutione; nam hoc si fieret, curreret et computaretur a tempore morae commissae in petenda absolutione; gloss. *V. cit.*

Sequitur 4. id extendendum etiam ad casum, quo electio, alias canonice facta, effectum non est sortita, quod electus electioni consentire noluerit, vel postquam consensit, renuntiavit juri suo, aut mortuus est etc. nam his casibus conceditur electoribus integrum tempus ad aliam novam electionem celebrandam; tempus autem hoc computandum erit ab electi dissensu, renuntiatione, morte etc. ut habetur *c. si electio* 26. *h. tit. in* 6.

Sequitur 5. idipsum concedi electoribus etiam in secunda, tertia, quarta, et ulterioribus electionibus, ut notat Pirh. *hic num.* 246. quia omnium par est ratio, modo nulla fraus eligentium interveniat.

36

Dub. 3. an tempus hoc trium, vel sex mensium restringi, et abbreviari possit? Resp. Cum distinctione: vel enim tempus istud abbreviare volunt electores ipsimet, et electioni faciendae arctiorem constituere terminum, vel id facere intendit eorum superior, e. g. legatus sedis apostolicae in ecclesiis cathedralibus, vel episcopus in ecclesiis inferioribus vacantibus sibi subjectis?

Si primum, id facere est in arbitrio capitularium, modo in hoc conveniant duae illorum partes, vel saltem major, et terminus non constituatur ita brevis, ut absentes, siqui sunt, electioni interesse commode nequeant; Passerin. *de elect. c.* 13. *num.* 35. ubi rationem dat, quia jus commune non prohibet electiones fieri intra tres menses, sed tantum praecipit non differri ultra illos: unde cum tempus hoc constitutum sit favore collegii, renuntiare illi ex causa possunt collegae electores.

Si secundum, potest id quidem superior papa inferior in casu necessitatis accelerationem poscentis, non tamen extra illam, ut notat Abbas in *c.* 52. *num.* 1. et rationem dat, quia jus eligendi, et terminus adeo amplius datus est electoribus privilegio papae; non potest autem legatus, vel alius papa inferior laedere privilegium papae *juxta reg.* 17. *in* 6.

Quodsi capitulares sibi per consensum capitularem, aut superior illorum ex causa necessitatis terminum electioni breviorem statuat, eo lapso jus eligendi ad superiorem non devolvitur, nisi simul praeterierit etiam terminus praefixus a jure: quod ipsum P. Wiestner *hic num.* 133. extendit etiam ad casum, quo terminus brevior statutus est ab ipso pontifice, nisi addiderit clausulam, quae vel devolutionem importet, vel eligendi potestatem adimat.

37

Dub. 4. quae sit poena capitularium per moram culpabilem non eligentium praelatum intra tempus jure praefixum? Resp. Privantur pro illa vice jure eligendi, et hoc ad superiorem devolvitur, qui intra tempus trium mensium, a die devolutionis numerandum, cum consilio sui capituli, et aliorum virorum prudentum ecclesiae viduatae pastorem idoneum providere canonice debet. Ita habetur *c. ne pro defectu* 41. *h. tit.* et docent ibid. DD. atque interpp.

Dixi 1. *privantur jure eligendi*, sc. ipso facto, nec requiritur alia sententia; Abb. *in c. cit. num.* 3. Hinc si post elapsum hunc terminum capitulares eligant, electio ipso jure erit invalida, ob defectum potestatis ad superiorem ipso jure translatae.

Dixi 2. *ad superiorem*, sc. illum, qui debuisset electum confirmare: qualis est pontifex respectu episcopatuum, et praelaturarum, ipsi immediatae subjectarum; episcopus, vel alius ordinarius respectu inferiorum, non exemptarum ab ejus jurisdictione.

Dixi 3. *cum consilio sui capituli*: hoc tamen requiritur non de necessitate, sed tantum de honestate, et aequitate, ut docet gloss. *in c. cit. V. consilio in fin.* Ratio est, quia in his, quae spectant ad praelatum jure ad se devoluto, is non ita pendet a capitulo, sicut in iis, quae ipsi competunt jure, et potestate propria.

Dixi 4. *pastorem idoneum*, et quidem e gremio ecclesiae, cui illum praeficere debet; neque enim si idoneus adsit inter capitulares illius ecclesiae, ipsis invitis obtrudere extraneum potest. Pirh. *hic num.* 251. Quodsi electio ejusdem ex quocunque capite effectum non sortiatur, non datur illi novum tempus ad aliam electionem faciendam, sed jus eligendi redit ad electores ordinarios; quia hi pro una tantum vice jure privati sunt.

38

Quaeritur 3. de tractatu praevio, qui in aliquibus ecclesiis praemitti solet ab electoribus. Agitur in hoc vel de persona eligenda in genere, vel quaedam personae nominantur, et proponuntur capitulo, quae dignae videntur ad praelaturam. In eodem capitulariter deliberatur, quam eligendi formam, et modum eligentes observare velint. Imo in quibusdam electionibus fit capitulatio continens varios articulos, ecclesiae regimen, rerumque, et jurium ad eam pertinentium administrationem concernentes, cujus capitulationis observantiam capitulares singuli in casum, quod ipsi eligantur, jurari promittunt.

39

Dub. 1. an tractatus, quo deliberatur de persona eligenda, necessario praemitti electioni celebrandae debeat? Affirmat cum quibusdam aliis Donat. *tom.* 2. *prax. regul. tr.* 1. *q.* 11. *num.* 3. ita ut putet, eundem pertinere ad formam substantialem electionis, nec per

consuetudinem ejusdem necessitatem abrogari posse. Moventur isti AA. 1. *can. in nomine* 1. *dist.* 23. ubi praecipitur tractatus iste praemitti electioni pontificis : 2. *c. cum inter* 21. *c. quod sicut* 28. *et c. in causis* 30. *h. tit.* in quibus ejusdem tractatus fit mentio : 3. *c. cum in veteri* 52. *et c. in genesi* 55. ubi electiones sine praevio tractatu celebratae a papa sunt cassatae : 4. addunt rationem, quia electio est unius prae ceteris assumptio ; huic autem locus non est sine tractatu praevio, cum sine isto capitularibus nequeat innotescere, quis ceteris praeferendus sit.

Sed melius ejusmodi tractatus ad substantiam electionis non pertinet, spectato jure communi docet Laym. *in c.* 42. *h. tit. num.* 1. Passerin. *de elect. c.* 5. *num.* 65. Pirh. *hic num* 191. Wiest. *n.* 145. Ratio est, quia antiquo jure ejus necessitas non est expressa ; novo autem trid. *sess.* 25. *c.* 6. *de regul.* formae, quae regularium electionibus ibidem praescripta est, non congruit, quippe quae scrutinium omnino secretum exigit, ut vocalium suffragia non revelentur. Ex quo sequitur tractatum istum per consuetudinem contrariam abrogari posse, prout in multis ecclesiis abrogatus est.

Neque contrarium probant argumenta allata. *Ad* 1. ab electione pontificis ad alias argumentum non licet ducere, cum illa multa alia habeat, quae sunt singularia. *Ad* 2. *cc. citt.* mentio quidem fit praevii tractatus, sed ex iisdem non probatur, quod is pertineat ad substantiam, et valorem electionis, sed tantum, quod electionibus praemitti possit. *Ad* 3. *c.* 52. *cit.* fuit quidem cassata electio propter omissionem praevii tractatus : causa autem fuit, non quod de jure sit necessarium, sed quia speciali mandato papa ibi praecepit, ne electio fieret sine consilio duorum abbatum, et unius fratris ordinis praedicatorum, et aliter factam electionem irritavit : *c.* 55. *cit.* autem tractatus nomine non intelligitur ille, qui praemittitur de persona eligenda, sed collatio, post scrutinium facienda, in qua discutiendum est, an numerus votorum respondeat numero vocalium : propter hujus igitur collationis defectum, et quod electio non sit facta collegialiter, ipsa cassata est, ut textum consideranti facile patebit. *Ad* 4. Ratio ibi allata vim magnam habet, si electio de extraneis, et omnino ignotis personis fiat ; exiguam tamen, si ea, ut fere solet, celebretur de notis, multoque usu probatis, et collegialibus.

40

Dub. 2. an vivente praelato, capitulares possint collegialiter tractare de electione successoris, citando videlicet, aut vocando electores absentes, statuendo aliquid circa personam eligendam, locum, aut tempus electionis, quo electores ad proximam electionem convenire debeant etc. Resp. negative : estque talis tractatus omnino irritus, ita ut citati etiam post praelati obitum comparere vitalis citationis non de-

beant, prout liquet ex *c. bonae* 36. *h. tit.* et probat ratio; nam ante mortem praelati canonicis potestas eligendi, vel aliquid ad electionem pertinens statuendi non competit, quippe quam habent primum vacante sede. Neque obstat regula desumpta ex *c. de uxore* 7. *de sepultur.* quod dispositio facta tempore inhabili subsistere possit, si confertur in tempus habile; nam regula ista locum non habet, quando ita disponens tempore inhabili omnino caret facultate disponendi, sicut in casu nostro capitulares carent vivente praelato. Hinc potius in eo locum habet *reg.* 29. *ff. de R. J.* quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.

Dixi *capitulares;* nam ipse praelatus, dum adhuc vivit, potest cum suis capitularibus decernere aliquid ad tempus, locum, aut formam electionis pertinens; quia ipse potestatem statuendi habet: imo potest ante mortem suam convocare electores, eos monere, ut concordes sint, proponere ipsis certam personam idoneam, et de ea eligenda cum illis consultare, ut notat Pirh. *hic n.* 120. Electores tamen hujusmodi consultatione non ligantur, sed possunt ab ea recedere, et alium, quam qui ipsis propositus est, eligere, cum episcopo non sit permissum successorem sibi statuere.

Addidi *capitulariter;* nam extra capitulum, imo etiam in capitulo incidenter, et veluti per accidens de successore post mortem praelati senis, vel infirmi eligendo mentionem facere non est illicitum, modo non interveniat conventio, vel promissio de certa aliqua persona eligenda, ut aliis *cit.* advertit Pirh. *hic l. cit.* Ratio est, quia hujusmodi mentio non fit per modum tractatus capitularis, cum non fiat definitive.

41

Dub. 3. an validus sit tractatus, quo a capitularibus congregatis super quibusdam articulis ab episcopo, vel alio praelato eligendo observandis ante electionem convenitur? Videtur esse validus 1. quia ita habet generalis, et immemorabilis Germaniae nostrae consuetudo, neque probari potest, quod ista consuetudo sit, aut legi divinae, aut naturali contraria: 2. quia capitulum sede vacante potest statuta condere, quae ad ecclesiae bonum, vel utilitatem spectant: 3. quia eadem sede vacante potest revocare res ecclesiae a praelato defuncto male alienatas, et alia ab eodem in praejudicium ejusdem, vel mensae episcopalis perperam gesta: igitur multo magis per praeviam capitulationem cavere, ne a praelato eligendo tale aliquid attentetur. 4. Si electus non ligaretur ejusmodi capitulationibus, ideo non ligaretur, quia hic statuta a capitulo, et antecessoribus facta revocare potest: atqui hoc non probat; quia ejusmodi capitulationes non sunt proprie statuta, sed conventiones, mutuo ipsius electi, et ceterorum capitularium consensu libere initae, quas revocare, altera parte invita, nec papa potest, cum obligatio illarum sit naturalis.

Difficultas solvi distinctione potest: vel enim ejusmodi capitulationes in praejudicium ecclesiae, aut electi tendunt, vel nullum ejusmodi praejudicium eidem afferunt. *Si secundum* contingat, et e. g. in capitulatione injungatur electo, ut invalescentem in dioecesi pravam consuetudinem tollat, clerum reformet, seminarium erigat, vel aliud quid faciat, ad quod ex pastorali suo officio obligatur, capitulatio ejusmodi tenet; quia his electo nullum infertur gravamen, sed tantum admonetur officii sui, et ad id digne gerendum excitatur. *Si primum* fiat, et per ejusmodi capitulationes immutetur ecclesiae status, restringatur electi jurisdictio, et diminuantur jura ad ejusdem mensam spectantia, eaque vel ipsis capitularibus, vel aliis tribuantur, illae invalidae sunt, prout clare patet *ex toto tit. ne sed. vac.* Ratio est, quia sede vacante ecclesia, ejusque praelatura caret legitimo defensore, qui ejus res, et jura tueatur: unde ut de his aliquid decerni possit, exspectandus est successor. *Conf.* quia episcopus est capituli superior: huic autem ab inferiore leges, et onera imponi nequeunt, et multo minus res, ac jura ejusdem restringi.

Ex quo patet. *Ad* 1. nam pro modo distinctionis datae valet, vel non valet consuetudo haec capitulationum. *Ad* 2. Capitulum sede vacante potest statuta condere, non tamen talia, quae praejudicium successori afferant. *Ad* 3. cavere capitulum potest, ne aliquid a praelato contra utilitatem ecclesiae attentetur; nequit autem ejus jura diminuere, et multo minus de ejus mensa sibi aliquid applicare, ne in facto proprio authoritatem sibi praestet. *Ad* 4. Conventiones, et pacta etiam episcopum ligant, non tamen illa, quae per ss. canones sunt irritata, quales sunt capitulationes praejudiciosae ecclesiae vel electo.

42

Dub. 4. an capitulationes, de quibus in primo responsionis *num. praec.* datae membro dictum est, firmentur juramento? Videtur juramentum istud saltem inducere obligationem religionis a paritate cum juramento, quod facit mutuatarius foeneratori de usuris solvendis, aut deprehensus a praedone de solvendo lytro.

Sed tenendum tanquam indubitatum, quod ejusmodi juramenta non solum capitulationes istas non firment, sed nec obligationem religionis inducant. Patet ex *c. sicut* 27. *de jurejur. c. contingit* 1. *eod. in* 6. et novissime ex *const. s. Pii V.* incipit *durum* edita *prid. calend. jun.* 1570. *Greg. XIII.* incipit *inter apostolicos* edita *nonis sept.* 1584. *et Innoc. XII.* incipit *ecclesiae* 22. *sept.* 1696. publicata, ubi ejusmodi capitulationes, et juramenta iis adjecta declarantur irrita, ii vero, qui ista scienter praestiterint, usu et commodo rei, cujus causa jurarunt, eo ipso privantur, adjectis aliis excommunicationis, suspensionis, et interdicti poenis. Ratio est, quia tale juramentum, ut ex

num. praec. colligitur, est de re illicita; tale autem juramentum non obligat. Ex quo sequitur, quod electus postmodum ejusmodi capitulationi licite contravenire, etiam non petita juramenti relaxatione, possit; quia relaxatio supponit obligationem, quae relaxetur.

Ad argumentum contrarium negatur paritas; quia solutio lytri, vel usurarum non est illicita.

§. V.

De forma electionis, et praecipue de forma scrutinii.

SUMMARIUM

43 *Electionis forma est triplex, per inspirationem, per scrutinium, et per compromissum.*
44 *Quos actus contineat scrutinium?*
45 *Quot, et qui scrutatores esse debeant?*
46 *Quomodo instituendum scrutinium?*
47 *Quomodo publicatio illius?*
48 *Quomodo votorum collatio?*
49 *Quomodo communis electio?*
50 *An haec omnia sint substantialia electionis.*

43

Ad evitanda maxima pericula, quae ex inventis variis eligendi modis ecclesiis, et monasteriis illata sunt, ab Innoc. III. in concil. later. quod refertur *c. quia propter* 42. *h. tit.* triplex electionis forma est constituta, per inspirationem divinam, per scrutinium, et per compromissum. De primo electionis modo nihil hic disputandum occurrit, praeterquam quod duplex esse inspiratio possit, una, quae vere a Deo est, altera, quae quasi a Deo esse censetur. *Vera inspiratio* tunc datur, quando persona ecclesiae praeficienda per veram DEI revelationem designatur. Sic proditori Judae suffectus est S. Matthias *act.* 1. *v.* 26. sic, ut *can. statuimus* 8. *dist.* 61. *vers. his omnibus* refertur, *B. Nicolaus ex laico electus est in episcopum; B. Severus ex lanificio assumptus est in archiepiscopum; B. Ambrosius, cum nondum esset baptizatus, in archiepiscopum est electus.*

Quasi inspiratio dari censetur, quando nullo praecedente tractatu de certa persona eligenda, electores in loco solito congregati unanimiter omnes simul in unum absque contradictione, vel haesitatione statim consentiunt, et conclamant: gloss. *in c. perpetuo* 7. *h. t. in* 6. quia hujusmodi concors consensus proficisci praesumitur ex instinctu Spiritus S. qui unitatis, et concordiae author est. De quo plura Barb.

in c. 42. cit. n. 31. Mirand. *in man. praelat. tom.* 2. *q.* 23. *n.* 42. Passer. *de elect. c.* 1. *q.* 4.

44

Alter modus per scrutinium eligendi, ut maxime ordinarius, ita etiam plus dubitationis habet, ut rite censeatur peractus. Forma illius hos partiales actus continet. 1. Ipsum scrutinium, seu secretam suffragiorum per scrutatores a capitulo electos collectionem. 2. Scrutinii publicationem. 3. Suffragiorum collationem. 4. Decretum capitularis, seu communis electionis, ejusque promulgationem. Haec essentialia sunt, et propria electioni per scrutinium factae.

Praecedere solent aliae solemnitates accidentales tantum, et communes etiam ceteris electionum modis. 1. Preces publicae, et privatae per civitatem, et dioecesim indictae pro impetrando bono pastore, 2. Missa de Spiritu S. ipsa die electionis celebranda, sub qua electores, etiam presbyteri, s. Synaxi refici solent. 3. Hymnus *veni sancte spiritus* clara voce in electionis loco recitandus ab omnibus. 4. Protestatio, quae interponitur a capituli praeside nomine totius capituli de non excludenda persona, quae habilis, aut admittenda, quae ad suffragium in electione ferendum ex quacumque causa inhabilis sit. 5. Absolutio, qua electores omnes ab excommunicatione, aliisque censuris in ordine ad effectum electionis canonicae absolvuntur a legato apostolico, vel alio quodam praesente, et praedito tali potestate. 6. Denique, ut *n.* 38. dictum est, in aliquibus ecclesiis praemittitur tractatus de persona eligenda, et modo electionis. His praemissis, in electionis negotio hac methodo procedi solet.

45

I. Constituuntur scrutatores: quod ut legitime fiat, sequentia notanda sunt. 1. Debent esse tres, ut expresse habetur *c. quia propter* 42. *h. tit.* Excipitur, si ob paucitatem electorum tot haberi non possint. Sylv. *V. electio* 2. *q.* 10. *vers. secundum.*

2. Hi scrutatores debent eligi ab electoribus collegialiter convenientibus, et legitime congregatis *c. quia propter cit.* Possunt autem eligi vel per scrutinium, vel etiam per compromissum: imo ut notat Pirh. *hic num.* 162. sufficit consensus electorum tacitus, qui fit, cum tres ex illis scrutinium facere aggrediuntur, et reliqui praesentes non contradicunt, cum possent.

3. De jure communi, ut ex *c. cit.* patet, debent esse de collegio; quia praesumuntur melius procuraturi ecclesiae utilitatem, quam extranei. Possunt tamen ex consuetudine, vel etiam de voluntate capitularium assumi etiam extranei, modo sint clerici: et sic in nonnullis Germaniae nostrae, praesertim regularibus ecclesiis, obtinere notat Laym. *in c. cit. num.* 3.

4. Debent esse viri fide digni, qui scilicet singulorum suffragia fideliter, et absque fraude exquirant, et secretum servent. Hinc consultum est, et in multis ecclesiis usitatum, ut scrutatores ante omnia in manibus ejus, qui capitulo praeest, vel ad id ab eo mandatum habet, juramentum edant, quod fideliter agere, et quae secreta esse oportet, non relevare velint, ut cum aliis monet Rodr. *tom.* 2. *qq. regul. q.* 52. *art.* 1.

5. Non debent esse tales, qui ob potentiam, vel asperitatem vultus, aut morum sint formidabiles; alias enim ab his, adjecta causa, appellari posset, maxime si unus, vel plures ex illis, invitis electoribus, aliquem promovere vellent ad praelaturam, ut notat gloss. marg. *in c.* 42. *cit. V. de collegio.*

46

II. Scrutatores electi, postquam ab electoribus juramentum receperint, vel ipsimet eos adjuraverint de digniore eligendo, prout non quidem jure praescriptum, usu tamen receptum est, procedere debent ad ipsum scrutinium, seu exquisitionem suffragiorum.

Haec rite facta censebitur, si fiat 1. ordinate. Ordo autem in praxi observatur iste: primo exquirunt votum ejus, qui toti collegio praeest; deinde a seipsis mutuo, siquidem ex electoribus sint, et jus suffragii habeant: postea ab aliis capitularibus praesentibus secundum gradum dignitatis, vel ordinem antiquitatis: et denique votis omnium praesentium exceptis, siqui sint in eadem civitate, vel claustro infirmi, ita ut ad capituli locum venire nequeant, et procuratorem loco sui non constituerint, debent scrutatores ad eos accedere, et suffragio illorum exquisito, statim ad locum electionis redire. Ratio, quare ante alios scrutatorum vota exquiri debeant, est, ne aliorum votorum conscii sua ex illis vota instruere, et interdum pro arbitratu electionem ratam reddere, vel infirmare possint, ut bene advertit Layman. *l. cit. num.* 6.

2. Requiritur, ut scrutinium fiat secreto: quod duobus modis potest contingere. Primus, et tridentino conformior est, ut unusquisque eligentium in schedula votum suum scribat secrete, vel scriptum deferat, et tradat clausum scrutatoribus, ita ut nec ipsis notum fiat. Alter, ut singuli electores, unus post alterum, nemine alio ex capitularibus audiente, viva voce coram scrutatoribus proferant votum suum, illudque scrutatorum aliquis excipiat scripto.

3. Requiritur, ut fiat diligenter. Porro diligentia haec maxime requiritur in altero praedicto suffragandi modo, qui viva voce contingit; tunc enim duo ad eam pertinent. Unum est, ut electores diligenter examinentur, ob quae merita, quove zelo hunc prae alio nominent, quaeque sint qualitates nominati. Alterum, ut ipsi scrutatores, vel unus ex ipsis deputatus, vel tabellio una cum ipsis adhibitus, aut

loco ejus duo testes jurati, vota, seu suffragia singulorum electorum in scriptum redigant *c. quia propter cit.* ibi *in scriptis redacta :* quod fit tum ad faciliorem gestorum probationem, tum ad perpetuam rei memoriam, tum ne variationi locus sit.

47

III. Peracto scrutinio, postquam omnia suffragia collecta, et in scriptum redacta fuerint, mox, i. e. in continenti, et nullo alio actu extraneo interposito, et scrutatoribus, vel uno ex ipsis reliquorum nomine, vel si hi impediti sint : ab illis, quos capitulum substituit, publicatio eorum fieri debet, ut sciatur, quisnam, vel quinam electi fuerint. *c. quia propter cit.* Effectus publicationis istius est, quod electores post illam censeantur functi officio suo, ideoque votum suum variare, et alteri dare regulariter nequeant, sed ad collationem votorum sit procedendum ; *c. publicatio* 58. *h. tit.*

Dixi *regulariter.* Excipiuntur enim 1. electiones monialium ; nam in his, si in nullam duae, sed tantum major pars in unam consentiat, minor pars variare, et illi, quae a majori parte electa est accedere potest, modo hoc fiat in continenti, et nullo actu extraneo interposito ; *c. indemnitatibus* 43. §. *sane h. tit. in* 6.

Excipitur 2. Casus, quo etiam in aliis electionibus, publicato scrutinio, apparet, quod in duos aequalia, vel in nullum majora vota conspirent ; tunc enim electores communi consensu vel novum scrutinium inchoare, vel in aliquos compromittere, vel mutata sententia accedere possunt ad numerum ejus, qui plura, licet non sufficientia suffragia tulit, ut *in c.* 58. *cit.* docet Abb. *n.* 7. Fagn. *ibid. n.* 37. Pirh. *n.* 175. Vviestner *n.* 176. 175. Ratio est, quia *c. cit.* variatio prohibita solum est, ne fiat praejudicium electo : atqui hoc casu nemini fit praejudicium, cum nulli sit jus quaesitum ; ergo etc.

Excipitur 3. si publicato scrutinio is, in quem major pars consentit, juri suo renuntiet, vel ob defectum certo appareat esse intelligibilis ; tunc enim electores variare, et minori parti dignum eligenti possunt accedere ; Abb. *l. cit.* Fagn. *n.* 40. Pirhin. Vviest. *l. citt.*

48

IV. Post publicationem scrutinii electores statim tenentur procedere ad collationem votorum, ut appareat, quis a majore, et saniore parte capitularium electus sit. Haec autem juxta *c. in generi* 55. *h. tit.* triplex est·

1. *Numeri ad numerum,* ut appareat, quot quisque suffragia habeat. Debent autem in numerum computari tantum illa, quae pura, seu absoluta, et certa sunt ; nam conditionata, alternativa, et incerta sunt ipso jure irrita *c. in electionibus* 2. *h. tit. in* 6. Et hinc si ex 12. canonicis octo tantum pure, et absolute tulerunt suffragium, et horum quinque consenserunt in Titium, hujus electio, tanquam a

majore parte facta, sine novo scrutinio est promulganda, non habita ratione suffragiorum, quae quatuor ceteri incerta, dubia, vel conditionata dederunt, cum ista habeantur pro non datis, ut notat gloss. *in c. cit. V. residente.*

2. *Zeli ad zelum*, considerando ipsorum electorum prudentiam, probitatem, intentiones, et motiva, si constet, quis a saniore capituli parte electus sit; nam ut electio vim habeat, exigitur copulative, ut et major, et sanior pars praesentis, et legitime congregati collegii in eundem consenserit, ut habetur *cap. quia propter* 42. *c. genesi* 55. *et c. ecclesia* 57. *h. tit.*

3. *Meriti ad meritum*, considerando scientiam, prudentiam, virtutes, aliasque qualitates electorum, et comparando illa inter se invicem, ut sciatur, uter ex duobus electis sit dignior, et magis idoneus *c. ecclesia cit.*

Porro comparationes istae faciendae sunt regulariter; nam in quibusdam casibus sola collatio numeri ad numerum sufficit. Et quidem 1. in electione summi pont. nam ibi sufficit, si appareat, quod in unum duae partes consentiant *c. licet* 6. *h. tit.*

2. In electionibus abbatissarum; quia ob sexus istius ad quaerimonias proclivitatem difficile foret zeli ad zelum, et meriti ad meritum collationem facere; *c. indemnitatibus* 43. *in fin. h. tit.*

3. In electionibus regularium, etiam virorum, ubi in multis ecclesiis sufficit collatio numeri ad numerum, tum quia ob perspectam probitatem eligentium, eorumque juramentum dubitare non licet, eum qui a majore parte electus est, vere idoneum esse; tum etiam quia in ejusmodi electionibus plerumque ex privilegio sedis apostolicae non observantur omnes conditiones requisitae ad formam scrutinii *juxta Clem.* 1. §. *demum de V. S.*

4. Quoties duae partes capitularium in unum consentiunt *c. si quando* 9. *h. tit. in* 6. ubi dicitur, quod contra electores, qui partem reliquam sic excedunt, vel contra eum, qui ab his electus est, a reliqua parte nihil opponi possit, quod votum extenuet, licet opponi possit, quod illud annullet.

49

V. Facta collatione, si vota ita reperiantur dispersa, ut vel duo aequalem numerum suffragiorum habeant, vel nullus a majore, et saniore capituli parte electus sit, scrutinio illo cassato, ad novum est procedendum. Si vero appareat, quod vel omnes, vel major, et sanior pars in unum, eumque dignum consenserit, mox decretum electionis formari debet, et omnium nomine ab eo, qui capitulo praeest, vel ab alio, per capitulum deputato, publice promulgari *c. quia propter* 42. *c. cum post petitam* 46. *h. tit.* A majori autem parte electus tunc censebitur, quando in ipsum convenerint non tantum suf-

fragia respective plura, sed quando pars absolute, et respectu omnium ceterarum major, ut constat *ex c. ecclesia* 48. *h. tit.* Et hinc casu, quo e. g. 30. sunt electores, qui praesentes sunt electioni, vel voluissent, potuissent, et debuissent interesse (nam in numerandis suffragiis etiam contemptorum habenda est ratio) ut electio subsistat, electus ad minimum debet habere pro se vota 16.

Porro ratio, ob quam electio communis requiritur, est, quia sicut electio, et quodvis decretum communitatis non valet, nisi sit collegialiter, seu in conventu factum, et promulgatum, ita ad majorem solemnitatem electionis canonicae necessarium est, ut ea non per singulos consensus, seu suffragia, sed per unum commune decretum totius collegii nomine peragatur.

Modus formandi, et promulgandi hujusmodi decretum communis electionis est, ut is, cui id ex officio incumbit, vel commissum est, quaerat, an placeat electum publicari, et si responderint capitulares *placet*, eundem palam eliget, et pronuntiabit ejusmodi forma: *ego N. nomine meo, et omnium eligentium, mihique consentientium, invocata gratia Spiritus Sancti, in episcopum, vel abbatem hujus ecclesiae N. eligo, et electum pronuntio, et coram vobis publico in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti amen.* Tametsi vero sufficiat, quod haec publicatio in capitulo coram capitularibus fiat, tutum tamen est, ut monet Abb. *in c.* 42. *h. tit. num.* 16. et in pluribus ecclesiis usitatum, ut etiam populo per unum de capitulo, vel per extraneum solemniter denuntietur.

50

Haec omnia, ut *n.* 44. dixi, substantialia sunt formae electionis per scrutinium: quod ita verum est, ut si vel unum omittatur, vel ordo immutetur, aut unum non in continenti sequatur alterum, electio sit cassanda, seu irrita declaranda, prout sumitur ex *citt.* hactenus juribus. Debet autem servari haec forma, regulariter, et secluso privilegio, vel consuetudine immemoriali contra, in electionibus non solum episcoporum, sed etiam aliorum praelatorum quorumcumque, ordinariam et generalem jurisdictionem spiritualem exercentium in suos subditos: quia etiam hi, licet in sensu latiori, non incongrue dici possunt ecclesiarum suarum quasi sponsi, ut colligitur ex *c. ne pro defectu* 41. *h. tit.* ubi praelati hujusmodi ecclesiarum, perinde, ut cathedralium, appellantur pastores, et quando ecclesiae illorum per obitum, renuntiationem etc. ipsorum vacant, pro viduatis habentur. Ita Laym. *in c.* 42. *h. tit. n.* 11. Fagn. *ibid. n.* 9. et apud hunc plures alii.

Poena non eligentium secundum praescriptam formam scrutinii duplex est: 1. quod electio sic attentata sit ipso jure irrita, cum actus sine forma non subsistat: intellige, in foro externo, si sequatur sen-

tentia declaratoria ; nam si a nemine impugnetur , et subsistit , et electus , si confirmetur , est verus praelatus , nec tenetur in foro conscientiae resignare ante sententiam judicis , cum naturalis obligatio , atque jus ortum ex eligentium consensu subsistat : Laym. *l. cit. n.* 13. 2. quod electores ob formam scrutinii non observatam eligendi potestate pro ea vice priventur. Haec tamen poena non incurritur ipso jure , sed per sententiam ferendam a judice , ut cum gloss. *in c.* 42. *V. priventur* DD. advertunt. Hinc ut *n.* 41. *hic* notat Pirhing. si electores tali casu , antequam per sententiam privarentur , eligerent , eorum votum validum foret , et electio subsisteret.

§. VI.

De forma electionis per compromissum.

SUMMARIUM

51 *Quando fieri electio per compromissum dicatur ?*
52 *Qualis requiratur consensus compromittentium ?*
53 *Quales compromissarii , et quot numero ?*
54. 55 *Quomodo fieri compromissum possit ?*
56 *Quot vota requirantur in compromisso ?*
57 *An exquirendum , vel exspectandum consilium aliorum , si sub hac limitatione est compromissum ?*
58 *An compromissarii constituti ad eligendum etiam possint postulare ?*
59 *An eligere aliquem ex seipsis ?*
60 *An in compromisso etiam requiratur communis electio ?*
61 *An compromittentes teneantur recipere electum a compromissariis ?*
62 *Qualiter exspiret compromissum ?*
63 *Ad quos devolvatur jus eligendi , si compromissarii elegerunt indignum , aut non statuto tempore ?*
64 *Quae sit poena compromissariorum eligentium indignum ?*

51

Haec tertia electionis forma est. Tunc fieri dicitur , quando ii , quibus jus eligendi competit , communi consensu facultatem eligendi praelatum committunt aliis viris idoneis , ut nomine , et vice omnium ecclesiae viduatae de pastore provideant. Ita habetur *c. quia propter* 42. *vers. vel saltem h. tit.* Sic delecti *compromissarii* appellantur.

52

Quaeritur 1. qualis requiratur consensus capitularium compromittentium ? Resp. Debet esse consensus expressus , et quidem unanimis : unanimis quidem ; quia nemo invitus jure , et voce sua privandus est ;

et *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*, ut habetur *reg.* 29. *in* 6. Hinc quilibet potest contradicere, ne electio fiat per compromissum, ita, ut constitutum omnium ceterorum consensu invalidum omnino sit, si vel unus dissentiat, ut notat gloss. *in c.* 42. *h. tit. V. vice omnium.* Abb. *in c.* 30. *eod. n.* 3. cum aliis, et colligitur *ex c.* 30. *cit.* ibi *a singulis de capitulo statutum est.* Expressum autem esse debet; neque enim sufficit consensus interpretativus, si sc. capitularis taceat, et expresse non contradicat, ut docent Abb. *l. cit.* Sylv. *V. electio* 2. *q.* 12. Pirh. *hic n.* 204. Ratio est, quia in rebus tam gravibus, qualis in proposito est electio, taciturnitas non habetur pro consensu. *Excipitur*, si major, et sanior pars capituli judicet utile fore, ut electio fiat per compromissum; tunc enim etsi unus, vel pauci non consentiant, modo expresse non contradicant, cum possent contradicere, probabiliter valeret compromissum, ut notat Laym. *in c.* 30. *cit. n.* 3. quia non est magni praejudicii, ideoque taciturnitas pro consensu reputabitur.

53

Quaeritur 2. quales compromissarii esse debeant, et quot numero? Resp. 1. Debent esse viri idonei, et quidem clerici, non laici; Abb. *in c.* 8. *h. tit. n.* 5. Ratio est, quia laici negotia ecclesiastica tractare non debent. 2. Non debent necessario esse de capitulo, vel collegio, sed possunt esse etiam extranei, modo tales sint, de quibus praesumptio, ac spes sit, quod ecclesiae de idoneo pastore provisuri sint; *c. causam* 8. junct. gloss. *V. contulerint h. tit.* Ratio est, quia etiam extraneis potestas eligendi, saltem pro una vice, communicari potest: *c. scriptum* 40. *eod.* 3. Licet ferme usitatum, et consultum sit, ut compromissarii sint numero impares, quod ita facilius obtineatur majoritas suffragiorum; compromitti tamen potest etiam in pares numero, ut colligitur ex *c. cum in veteri* 52. *h. tit.* 4. non debent necessario esse plures, sed compromittere electores etiam in unum possunt, praesertim superiorem, ut factum ex *c. causam cit.* ubi a monialibus compromissum est in episcopum.

54

Quaeritur 3. quot, et quibus modis fieri compromissum possit? Resp. Praecipue duobus modis, videlicet aut absolute, aut limitate: *absolute* fit compromissum, quando potestas eligendi compromissariis ita committitur, ut quemcumque idoneum, etiam extraneum, et qui non sit de gremio vacantis ecclesiae, pro arbitrio suo eligere, vel postulare possint; gloss. *in c. cum dilectus* 32. *V. de gremio h. tit. Limitate* tunc fit, quando potestas eligendi compromissariis datur cum restrictione, e. g. ut eligant unum de capitulo, vel qui non sit ex compromissariis; vel ut electio ab ipsis fiat adhibito certorum consilio; aut ut illum eligant, quem, requisitis secreto singulorum capi-

tularium votis, invenerint a majore parte capituli nominatum : qui ultimus compromittendi modus aliquo modo mixtus est ; participat enim aliquid de scrutinio, et aliquid de compromisso ; approbatur autem expresse *c. cum dilectus cit.*

55

Quaeritur 4. an valeat compromissum ita factum, ut compromissarii teneantur exquirere vota singulorum capitularium et eum, quem a majore solum respective capitularium parte nominatum compererint, eligere ? Valere ejusmodi compromissum, et electionem inde secutam videtur colligi ex eo, quia capitulares unanimi consensu possunt compromittere in unum, ut in eis nominet praelatum idoneum, quem ipsi recipere teneantur : ergo possunt etiam compromittere communi consensu, ut is a compromissariis eligatur in praelatum, in quem major respective capitularium pars consenserit.

Sed contra militat *c. si cui* 23. *h. tit. in* 6. aperta decisio, ubi statuitur non valere hanc formam compromissi. Excipiunt quidam cum gloss. *in c. cit. V. concilium* electiones, quae fiunt ad dignitates, et praelaturas minores. Sed Laym. *ibid.* probabilius tenet oppositum ; quia universim secundum canones nulla electio capitularis, etiamsi secundum formam scrutinii non fiat, nec fieri debeat, immo nullum decretum, quod a collegio, vel capitulo emanat, valet, nisi pars major totius capituli, seu corporis congregati consenserit.

Ad rationem dubitandi allatam in contrarium negatur paritas : nam in casu *ant.* capitulares abdicant se potestate eligendi pro ea vice, illamque ex juris concessione in unum transferunt. At in casu *cons.* et nostro non abdicant se illa absolute, sed transferunt eam in unum, vel plures compromissarios cum restrictione, ut juxta formam *c. quia propter* 42. *h. tit.* excipiant singulorum vota : cum igitur hoc casu cum compromisso concurrat forma scrutinii, etiam requiretur, ut juxta hanc formam in eligendum concurrat major, et sanior pars capituli.

56

Quaeritur 5. quot ex compromissariis in electum consentire debeant, ut electio illorum valeat ? Resp. non esse necessarium, ut consentiant omnes in unum, sed sufficiet, si consenserit in illum saltem major eorum pars, nisi aliud in compromisso expressum sit ; Abb. *in c. cum dilecti* 32. *h. tit. n.* 2. ubi pro regula statuit valere acta nomine communitatis, si in ea major ejusdem pars consenserit, aliis praesentibus, quamvis contradicentibus.

Dubium est, quid sentiendum de electione secuta ex compromisso ; quo ita compromissum in aliquos est, ut illi eum eligant, in quem major respective pars compromissariorum consenserit, e. g. si septem sint compromissarii, ut is pro legitime electo habeatur, in

quem consenserint tres illorum, ceterorum votis dispersis in alios? Affirmat cum quibusdam Fagn. *in c. licet* 6. *h. tit. n.* 57. Melius cum aliis negant Laym. *in c. sicut* 23. *h. tit.* Pirhing *hic num.* 212. Rationem dant, quia electio per compromissum etiam est capitularis; cum fiat nomine, seu vice capituli concedentis potestatem; atqui secundum canones, et ecclesiae praxim commune hoc est omni electioni capitulari, ut rata non sit, nisi in eam saltem major pars consenserit: ergo etc. Quare huc accommodari etiam potest *reg.* 79. *in* 6. juxta quam *nemo potest plus juris in alterum transferre, quam ipsi competere dignoscatur.*

57

Quaeritur 6. ad quid teneantur compromissarii, quibus data est eligendi potestas cum ea limitatione, ut in hoc negotio certarum personarum consilium requirant? Resp. Tenentur in tractatu electionis requirere consilium illarum personarum, et congruo tempore exspectare responsum; alias electio non valebit, prout sumitur *ex c. cum in veteri* 52. *h. tit.* Ratio est, quia si consilium eo casu non petant, transgrediuntur limites sui mandati, et non observant formam compromissi; actus autem, qui forma non observata geritur, ipso jure invalidus est *c. cum dilecta* 22. *junct.* gloss. *V. irritum de rescript.* quia illam non observans aliud, quam quod commissum est, agere videtur *l. diligenter* 5. *in princ. ff. mandat.*

Dixi 1. *requirere consilium debent;* nam sequi consilium possunt, vel non. Ratio est; quia universim consilium non obligat *juxta reg. nullus* 62. *in* 6. Dixi 2. *in tractatu electionis;* peti enim debet, dum res adhuc integra est, et tam mature, ut ii, a quibus petitur, habeant tempus sufficiens ad deliberate respondendum: *c. cum in veteri cit. et ibi* gloss. *V. requisitum.* Dixi 3. *congruo tempore exspectare responsum:* quod si ita exspectatum fuerit, et consiliarii nolint, vel differant respondere, absque eo procedere ad electionem poterunt compromissarii, si negotium moram non patiatur, et mandans absit. Abb. *in c. cit. num.* 13. Laym. *ibid. num.* 7. ubi addit idem dicendum, si jussi aliorum consilium exquirere, consulere illos non possint, negotium vero differri nequeat, aut mandans consuli.

58

Quaeritur 7. an compromissariis, quibus simpliciter potestas eligendi data est, etiam potestas postulandi data censeatur? Resp. affirmative. Colligitur 1. *ex c. in causis* 30. *h. tit.* ubi postulatio episcopi facta a tribus ex quinque compromissariis, ad eligendum constitutis, approbata fuit, licet expresse non fuerint etiam constituti ad postulandum. 2. Ex regula recepta apud DD. quod qui potest eligere, etiam possit postulare. 3. Ex ratione, quia sub electione etiam postulatio intelligitur, tanquam accessorium sub principali. *Excipitur*, nisi facultas

postulandi expresse a compromittentibus in compromisso negata sit compromissariis ; nam ex illorum voluntate dependet extensio compromissi.

59

Quaeritur 8. an compromissarii possint aliquem eligere ex seipsis ? Resp. distinguendo : vel enim unus tantum est compromissarius , vel plures. *Si unus tantum* , is , etsi capitulares in ipsum compromiserunt absolute , et illimitate , seipsum tamen non potest eligere ; quia hoc casu ab ipsomet ortum haberet electio , et cons. is tanquam ambitiosus repelli posset. *Si plures* , communis DD. affirmat contra gloss. *in c.* 33. *h. tit. V. ex se* , quod eo casu compromissarii , si a compromittentibus non prohibeantur , aliquem ex seipsis possint eligere , ne compromissarii munus ipsi damnosum fiat.

Dubium est , an si duo constituti sint compromissarii , Titius v. g. et Cajus , et Titius det votum collegae suo Cajo , iste consentire in seipsum , et sic complere electionem possit ? Ratio dubitandi est partim , quia dignitatem , et beneficium ecclesiasticum nemo accipere potest a seipso *arg. c. fin. de instit. et c. per nostras* 26. *de jur. patron.* cum inter dantem , et accipientem debeat esse distinctio personalis : partim vero , quia qui suffragium dat alteri , judicat eum esse indignum ; judex autem , et testis in propria causa nemo admittitur : *l. un. C. ne quis in sua caus. et l. omnibus* 10. *C. de testib.*

Sed his non obstantibus , dicendum , posse compromissarium , ceteris se eligentibus consentiendo accedere , et sic electionem sui complere. Ita clare statutum habetur *c. cum in jure* 33. *h. tit.* Ratio est quia tali casu compromissarius primo , et principaliter non eligitur a se , cum electio ab ipso ortum non habeat ; sed ab aliis , quibus consentiendo eandem complet. Neque refert , quod tali accessioni locus non sit in scrutinio ; quia in hoc suffragia debent esse secreta *c. quia propter* 42. *cit.* et propterea in eo votum sibi dans , cum se ab aliis electum non sciat , non tam sui electioni consentire , quam se principaliter , et directe eligere censeretur : quod sine vitio ambitionis fieri nequit. At in compromisso plerumque a compromissariis vota dantur non secreta , sed audientibus ceteris compromissariis , ut adeo votis aliorum in se collatis accedens ambitionis non possit argui : debet tamen eo casu ita accedens non dicere : *eligo , vel coeligo meipsum* , sed *consentio electioni de me factae* , sc. quae in fieri est , et per accessionem hujusmodi completur ad majorem partem.

Neque obstat ratio dubitandi. *Ad* 1. aliud est eligere , et praesentare seipsum ad dignitatem , vel beneficium ; et aliud electioni , vel praesentationi sui a coelectore , vel compatrono factae consentire : primum jura prohibent ; posterius permittunt. *Ad* 2. talis aliorum de se judicium , et testimonium datum solum acceptat , eique accedendo probat ; et propterea accipientis potius , quam dantis rationem habet.

60

Quaeritur 9. utrum etiam in compromisso requiratur communis electio, qua unus ex compromissariis electum a se, et ceteris promulget, sicut supra dictum est de scrutinio? Ratio dubitandi sumitur a paritate cum arbitrio, ubi secundum statuta legum civilium pronuntiatio fit ab omnibus arbitris compromissariis simul: igitur idem videtur dicendum de compromissariis in electione.

Sed in contrarium stat aperta juris decisio *c. sicut* 21. *h. tit. in* 6. Ratio eadem est, quae in scrutinio; nam in hoc electio communis fieri ab uno omnium vice, et nomine debet, quia est actus communis totius capituli: atqui non minus actus capitularis est electio per compromissum; nam vice, et nomine capituli compromissarii eligunt.

Ad rationem dubitandi negatur paritas; arbitris enim committitur causa, non ut collegio, sed ut singulis, et idcirco vel omnes, vel nullus arbitrium pronuntiare debet, vel saltem unus nomine omnium, sed per verba pluralis numeri *nos ita censemus etc.* Aliud est in electione; nam illa fieri debet a capitulo, seu collegio, et propterea statutum est jure canonico, ut in hujus rei signum idipsum exprimeretur per verba singularis numeri.

61

Quaeritur 10. an qui compromiserunt in alios, teneantur recipere ab his electum? Resp. Si compromissarii observarunt formam compromissi, et idoneum elegerunt, compromittentes necessario debent illum recipere. Colligitur *ex c. causam* 8. et *c. cum in veteri* 52. *h. tit.* et consentiunt DD. Ratio est, quia electus a compromissariis censetur electus ab ipsis compromittentibus, quorum nomine ipsi eligunt: igitur sicut ipsi principales post electionem factam non possunt resilire, vel repellere electum, cum functi jam sint officio suo, et electo jus sit acquisitum, ita nec possunt recedere ab electione facta a compromissariis illorum. *Conf.* nam si penes compromittentes esset electum legitime a compromissariis recipere, vel repellere; compromissi exigua foret utilitas, nec per illud componerentur discordiae, circa electionem inter electos ortae, ad quas tollendas praecipue inventa est via compromissi.

Addidi autem *si observata sit forma compromissi, et electus idoneus*; nam si elegerunt indignum, vel formam compromissi non observarunt, compromittentes repellere electum possunt: cujus ratio est, quia non censentur potestatem eligendi in compromissarios aliter transtulisse, quam sub conditione, ut servent formam sibi praescriptam, et dignum eligant.

62

Quaeritur 11. qualiter exspiret, aut finiatur compromissum? Resp. Tribus maxime modis. 1. Si revocetur a compromittentibus; nam

si res adhuc sit integra, et ad substantialia electionis nondum processum sit, consensu majoris saltem partis capituli revocari potest per argumentum a sensu contrario *c. in causis* 30. §. *quia vero h. tit.* Ratio est, quia compromissum aequiparatur mandato procuratorio, quod ante contestationem litis revocare licet etiamsi citationes, et exceptiones fori declinatoriae praecesserint, modo ad substantialia ipsius judicii processum non sit: ergo similiter revocari potest compromissum. Proceditque hoc etiam non petito ipsorum compromissariorum consensu; nam hoc non est opus, nisi casu, quo in ipsorum compromissariorum gratiam factum sit compromissum.

2 Si lapsum sit tempus compromissariis ad electionem faciendam destinatum, vel conditio adjecta deficiat *c. cum in veteri* 52. *h. tit. et ibi* Innoc. *n.* 4. Ratio, est quia forma, seu conditio praescripta mandatario censetur pertinere ad substantiam actus, ita ut ea non servata, actus non subsistat, cum mandatarius censeatur egressus fines sui mandati.

3. Si electio, vel postulatio ab ipsis facta ob defectum personae electae, vel quamcumque aliam causam non sit effectum sortita; tunc enim non possunt sine alia commissione ad novam electionem procedere, cum pro una solum vice sit ipsis commissa electio.

63

Quaeritur 12. ad quos devolvatur potestas eligendi, si compromissarii vel indignum eligant, vel non eligant intra tempus a jure praefixum? Resp. in primo casu hanc potestatem reverti ad compromittentes, in secundo autem devolvi ad superiorem proximum. Ita deciditur *c. si compromissarius* 37. *h. tit. in* 6.

Ratio primae partis est; quia compromissarii, sive bene, sive male fecerint electionem, functi jam sunt officio, adeo ut errorem suum emendare non amplius possint; necesse igitur est potestatem eligendi devolvi ad alios: non autem ad ullos melius, quam ad compromittentes: ergo etc. Proceditque hoc, sive scienter, sive ignoranter indignum elegerint compromissarii; nam sine sua culpa jure eligendi privari non debent.

Ratio secundae partis, quia siquis quod ipse facere tenetur, alteri committat faciendum, et hic negligat, ejus negligentia, seu omissio non excusat mandantem *l. si procuratorem* 8. §. *si tutores* 4. *ff. mandat*, sibi ergo compromittentes debent imputare, quod tam negligenti compromisario, vel compromissariis eligendi potestatem commiserint, ut habetur in textu.

Unde disparitas est inter hunc secundum, et priorem casum, cujus ratio est, quia, ut regulae instar cum Host. *in summ. hic n.* 33. observat Laym. *in c. cum in jure* 33. *h. tit. n.* 2. procurator domino quidem nocet in omittendo, non etiam in committendo.

Addidi *tempus a jure praefixum;* nam si solummodo lapsum sit tempus praefixum a compromittentibus, per ejus lapsum isti jure eligendi non privantur, sed istud ad ipsos redit, computato tamen tempore, quo eligere poterant compromissarii.

64

Quaeritur 13. quae sit poena compromissariorum eligentium scienter indignum? Resp. A beneficiis ecclesiasticis per triennium ipso jure suspensi sunt *c. cum in cunctis* 7. §. *fin. h. tit. et c. si compromissarius c.* §. *porro.*

Excipiuntur 1. si compromissum sit in episcopum; nam hic, etsi scienter indignum elegerit, non incurrit poenam suspensionis praedictam: et ratio est, quia, ut habetur *c. quia periculosum* 4. *de sent. excomm. in* 6. episcopi nullam interdicti, vel suspensionis poenam incurrunt, nisi de ipsis expressa fiat mentio.

Excipiuntur 2. quia, quamvis scienter indignum eligunt ad praelaturas, et beneficia inferiora; nam hi non incurrunt suspensionem hanc: et ratio est, quia poena illa tantum imponitur scienter eligentibus indignum ad episcopatum: igitur cum constitutio *c. cit.* poenalis sit, non debet extendi ad eligentes alios praelatos, aut beneficiarios inferiores.

Excipitur 3. ut poena haec suspensionis solum intelligi debeat de beneficiis, quae elector sic delinquens habet in ea ecclesia, quam scienter eligendo indignum specialiter offendit, prout de electoribus dictum est *num.* 20.

§. VII.

De electionis libertate, ejus imitatione, et confirmatione.

SUMMARIUM

65 *Electiones debent esse liberae.*
66 *Non gravi metu extortae.*
67 *Poena injuste gravantium electores.*
68 *Poena celebrantium electionem per abusum potestatis saecularis.*
69 *Quando electio censeatur celebrari per abusum potestatis saecularis?*
70 *Quomodo electo sit intimanda electio, et ab ipso acceptanda?*
71 *Quale jus acquiratur electo per electionem?*
72 *An electus, non confirmatus, administrare res, et jura ecclesiae possit?*
73 *Quando, a quo, et quomodo petenda, et concedenda confirmatio?*
74 *Quis sit effectus confirmationis?*
75 *An confirmatio habeat vim sanandi defectum electionis invalidae?*

65

Quaeritur 1. utrum electiones debeant esse liberae? Resp. affirmative; et hoc ita requiritur, ut electio non libere facta non valeat, ut colligitur *ex c. cum terra* 14. *h. tit.* ubi libertas accensetur substantialibus electionis, et reprobatur consuetudo, qua alicubi introductum est, ut electio dependeat ab arbitrio, seu voluntate alterius tertii. Estque perinde, sive tertius ille sit laicus, sive ecclesiasticus: neque refert, etiamsi sit immemorialis; nulla enim consuetudine introduci potest, ut is necessario eligendus sit, quem alius quidam tertius, etiam princeps, voluerit. Ratio datur *in c. cit.* quia videlicet consuetudo haec *in gravamen, et perniciem ecclesiasticae libertatis redundat*, ut proinde merito reprobetur, ut corruptela. Imo repugnat substantiae ipsius electionis; nam eligere est ex duobus, vel pluribus propositis unum praeoptare, quod non fit, si electio ita pendeat ab arbitrio alterius, ut in hujus potestate sit situm, eum, qui a conventu electus est, admittere, vel rejicere; proprie enim hoc casu conventus non ipse sibi praelatum eligeret, sed tantum proponeret eligendum ab illo, a cujus voluntate penderet electio.

66

Dub. 1. an valida sit electio, quae metu gravi ab electoribus est extorta? Resp. cum distinctione; vel enim per hujusmodi metum coguntur ad eligendam certam personam, vel solum aliquam ex pluribus determinatis personis, aut ex certo personarum genere.

Si primum, invalida est electio; quia sublata est electoribus omnis libertas. *Si secundum*, electio quidem valet, sed plerumque per sententiam superioris rescindi, et cassari in odium, et detestationem metus injuste incussi debet; ita Abb. *in c.* 14. *h. tit. n.* 3. Laym. *ibid. num.* 3. Pirh. *hic n.* 237. et ab his *cit.*

Ratio, quod valeat, est, quia substantia electionis absolute loquendo tali casu consistit, nec capitularibus adempta est omnis libertas eligendi, cum adhuc libere possint eligere unum ex pluribus, licet sit restricta ad certas personas: praeterea talis electio jure canonico non reperitur annullata; cons. valida censeri debet. Quod vero rescindi plerumque debeat, ratio est, quia non est facta secundum canones, videlicet cum plena libertate.

67

Dub. 2. quae sit poena eorum, qui spoliando, aut aliter injuste persequendo gravant electores, recusantes eligere certam personam ad petitionem eorumdem? Resp. Ipso facto excommunicationem incurrunt. Ita *c. sciant cuncti* 2. *h. tit. in* 6.

Extenditur poena ista 1. non tantum ad facientes, seu spoliantes, sed etiam ad mandantes spoliari; quia etiam in maleficiis tenetur mandans, acsi per se faceret; gloss. *in c.* 12. *cit. V. alios.*

Extenditur probabilius 2. etiam ad executorem, saltem si iste non ignoravit causam, ob quam mandans hoc fieri jussit; quia vere, et realiter vexat, et persequitur, quamvis jussu, et mandato alterius, *arg. c. universitatis* 24. *de sent. excomm.*

Extenditur 3. ad eum, qui per hujusmodi violentiam extorquet postulationem, confirmationem, institutionem etc. ob omnimodam rationis identitatem, quae locum habet etiam in casu praesenti, cum dispositio *cit. cap.* sit favorabilis, utpote lata in defensionem libertatis ecclesiasticae.

Extenditur 4. ad eum, qui injuste spoliat, et vexat consanguineos personae ecclesiasticae, quod non eligat personam, pro qua rogatum fuit, ut constat *ex c. sciant. cit.* Idem dicendum de eo, qui ita vexat ejusdem familiares, et affines, si injuria istis illata specialiter cedat in injuriam ipsius personae ecclesiasticae, et propter hanc intendatur: id quod ex circumstantiis, et arbitrio prudentis determinandum est.

68

Dub. 3. quae sit poena celebrantium electionem per abusum saecularis potestatis? Resp. Haec taxatur *c. quisquis* 43. *h. tit.* et tangit eos dumtaxat, qui sponte, et voluntarie electionem sic celebraverint, vel ita celebrare consenserint; non vero, si per vim, vel metum coacti, prout colligitur ex *c. cit.* verbis ibi: *qui vero electionem hujusmodi praesumpserint celebrare*: nam verbum praesumptionis temeri-

tatem significat, a qua justus, et probabilis metus excusat, uti et quaevis alia prudens ratio, v. g. quod electores probabili credulitate ducti, existimarint, jus eligendi per privilegium competere laicis in electionem se ingerentibus.

Poena autem *c. cit.* taxata est quadruplex. 1. Sic eligentes pro ea vice ipso jure potestate eligendi excidunt, ut in quo peccaverunt, in eo et puniantur; Laym. *ibid. n.* 12.

2. Iidem ab officiis, et beneficiis ecclesiasticis per triennium suspenduntur, scilicet, ut notat gloss. *hic V. suspendantur*, per sententiam judicis 3. electio sic celebrata ipso jure est irrita, ut patet ex *c. cit.* ibi: *Quam ipso jure irritam esse censemus.* 4. Sic electus, si in sui electionem consentiat, ipso jure fit inhabilis, ut eligi ad praelaturam, vel dignitatem possit *c. cit.* Eligi tamen potest ad ecclesiam parocialem, et alia beneficia, etiam canonicatum cathedralis ecclesiae, non obstante ejusmodi inhabilitate; quia *c. cit.* tantum dicitur, quod non possit eligi ad dignitatem ecclesiasticam, quo nomine, si proprie illud accipiatur, non veniunt hujusmodi beneficia.

69

Dub. 4. quandonam electio episcopi, vel praelati censeatur fieri per abusum saecularis potestatis? Resp. tunc istud fieri quando laici unus, vel plures immiscent se electioni, impediendo quomodocumque libertatem clericorum, ad quos spectat electio.

In specie per abusum saecularis potestatis celebrata censetur 1. Si electores ante electionem requirant consensum principis laici super electione facienda; hoc enim est contra libertatem ecclesiasticam *c. cum terra* 14. *h. tit.* quamvis post electionem factam principis consensus requiri possit *c. cum terra cit. in fin.*

2. Si laicus, praesertim princeps, intersit electioni ad coeligendum *can. quia sancta* 28. §. *verum dist.* 63. nam intrudendo se in electionem jus clericorum diminuunt, et cons. ecclesiasticam libertatem violant, qua electionis potestas solis clericis attribuitur.

3. Quando princeps, vel alia potestas saecularis non quidem coeligit, suam tamen authoritatem interponit, vel jurisdictionem exercet, impediendo libertatem electionis *can. quia sancta cit.* Imo si simpliciter tantum eidem intersit protectionis causa, ut notat Fagn. *in c.* 43. *cit. n.* 30. *et seq.* cum enim talis praesentia sit formidabilis, jam non relinquit electionem ita liberam, uti deberet. Accedit, quia sic sub praetextu protectionis sibi facile jus interessendi electionibus vindicarent principes laici, quod tamen non possunt acquirere, nisi privilegio, prout in electionibus abbatum privilegio illud habet serenissima domus Bavarica per concordata inter ipsam et Bavariae ordinarios erecta, atque a pont. confirmata. Denique ad protegendum electores non requiritur corporalis praesentia principis in ipso actu, et loco

electionis, sed sufficit, si extra locum electionis violentias propulset, et eligentium libertatem defendat.

70

Quaeritur 2. quomodo electio sit intimanda electo, et ab hoc acceptanda? Resp. Circa hoc quaesitum sunt notanda sequentia. 1. postquam electio canonice facta, et celebrata est, electores quamprimum commode poterunt, electo ipsam electionem praesentare debent, ejusque consensum petere; *d. quam fit* 6. *h. tit. in* 6.

2. Si ultra octo dies ex eo tempore, quo commode potuerunt, numerandos, electionem electo intimare culpabiliter distulerunt, a prosecutione electionis quoad suas personas penitus ipso jure sunt exclusi, et ab omnibus beneficiis suis quae in illa ecclesia, de cujus electione agitur, obtinent, per triennium continuum, ex tunc numerandum, eo ipso suspensi *c. cupientes* 16. §. *ceterum h. tit. in* 6.

3. Electus praesentatam sibi electionem accipere, vel recusare potest, vel etiam postquam acceptavit, eidem renuntiare ante confirmationem factam, etiam sine superioris consensu; quia *beneficium invito non datur, reg.* 60. *ff. de R. J.* nisi hoc exigat necessitas, vel valde magna utilitas ecclesiae, quo casu electus cogi a superiore ad acceptandam electionem potest.

4. Si electus volet acceptare electionem, debet id facere intra mensem numerandum a die praesentatae sibi electionis, vel quo illa aliter in notitiam ejusdem pervenit: alias, si justo impedimento cessante, ultra illud tempus consensum distulerit, eo ipso omni jure, per electionem sibi quaesito, excidit; *c. quam sit cit.* ubi tamen excipitur, nisi conditio personae electae talis sit, ut electioni absque superioris licentia consentire nequeat, uti est religiosus: et hinc

5. Si religiosus, vel alia similis persona, quae sine licentia consentire nequit, electa sit, tunc electus, vel potius, ut ambitionis nota evitetur, electores intra tempus, quod spectatis circumstantiis, et boni viri arbitrio sufficit, petere, et impetrare licentiam debent; *c. quam sit cit. et extr.* 2. *int. comm. h. tit.* Hac autem impetrata, ex eo tempore adhuc mensem electus habet ad deliberandum, velitne electionem acceptare, vel non, nam usque ad illud tempus censebitur fuisse legitime impeditus; *c. quam sit cit.* junct. gloss. *V. conditio.*

6. Accepta electione, si electus praesens sit, processionaliter sub pulsu campanarum in ecclesiam deduci, et ibi potest hymnum ambrosianum decantatum, in episcopali cathedra inthronizari solet. In quibusdam etiam locis e suggestu populo adstanti electio publicatur; Tholos. *de elect. c.* 16. *n.* 18. quem citat, et sequitur Konig. *hic n.* 86.

71

Dub. 1. quale jus acquiratur electo per electionem sibi praesentatam, et acceptatam? Aliqui cum gloss. *in can. quanto* 10. *dist.* 63.

V. relatio, existimant per eam acquiri jus in re, quamvis ante confirmationem non acquiratur exercitium illius juris; idque ex duplici argumento. 1. deducunt *ex c. nihil* 44. *in fin. h. tit.* ubi in concordia electis ad ecclesias valde remotas ante confirmationem permittitur administratio. 2. *ex ratione* quia jus ad rem electo jam competit ante acceptationem: igitur per acceptationem ita corroborabitur, ut reale evadat.

Sed communis sententia cum Garc. *de benef. p.* 4. *c.* 3. *n.* 2. docet, solum per illam acquiri jus ad rem. Colligitur 1. *ex c. super his* 16. *de accusat.* ubi dicitur, si per viam exceptionis an confirmationem objiciatur electo crimen, illud *impedire promovendum*, ne confirmetur, *sed non dejicere jam promotum:* ubi clare supponitur, per electionem etiam acceptatam praelaturam ab electo nondum obtentam censeri. 2. conjugium spirituale, intercedens inter ecclesiam, et praelatum, imitatur naturam conjugii carnalis: atqui conjugium carnale inchoatum dumtaxat per sponsalia de futuro tribuit tantum jus ad rem; ratum vero pro verba de praesenti jus in re; ergo et conjugium spirituale: hoc autem per electionem etiam acceptatam solum est inchoatum; nam ratum primum efficitur per confirmationem; *c. fin. de translat. episc.* 3. electus juri sibi acquisito per electionem acceptatam, nondum confirmatam libere renuntiare potest; non autem potest sine consensu superioris jus habens in re. 4. si electus ante confirmationem decedat, praelatura non per ipsius, sed per antecessoris obitum, renunciationem etc. vacare dicitur, minus autem apte hoc diceretur, si jam ante confirmationem electionis jus in re haberet electus; ergo etc.

Neque obstant argumenta opposita. *Ad* 1. electis ad ecclesias valde remotas solum *dispensative*, ut *c. cit.* dicitur, conceditur administratio: unde ex concessa his administratione non bene infertur, quod iis competat jus in re, quippe cum illa competere alicui sine hoc possit. *Ad* 2. jus ad rem, quod electus ante electionem acceptatam acquirit, solum est imperfectum, cum proxime solum spectet electionem communem, et hujus intimationem electo faciendam: hoc ergo jus per acceptationem perficitur, et completur, ut deinceps dicatur conjugium spirituale inter electum, et ecclesiam inchoatum.

72

Dub. 2. Utrum episcopus, vel praelatus electus, ante impetratam confirmationem, administrare res, et jura ecclesiae, ad quam electus est, possit? Resp. cum distinctione inter eos, qui electi sunt in locis valde remotis, ita ut confirmationem intra breve tempus petere, et obtinere nequeant, quales sunt respectu pontificis, Romae residentis, episcopi in Germania; et inter eos, qui tempore a jure statuto nec ob distantiam, neque ob aliud impedimentum prohibentur confirmationem petere, et obtinere.

Priores, si in concordia, i. e. per majora suffragia capitularium, ut Pirh. *hic n.* 297. notat electi sint, administrare episcopatum, vel praelaturam statim tam in spiritualibus, quam in temporalibus, sola alienatione excepta, possunt, prout statuitur *c. nihil* 44. §. *ceterum h. tit.* idque merito, ne ecclesia interim, dum confirmatio a sede apostolica advenerit, patiatur damnum. Manebuntque acta ejusdem valida, etiamsi electio ex occulto aliquo defectu fuisset irrita, qui deinde deprehenderetur; nam ecclesia tunc in hoc communi errore defectum potestatis censeretur supplere propter utilitatem publicam; *arg. l. barbarius* 3. *ff. de offic. praet.*

Posteriores, uti et illi, qui in discordia electi sunt, nullam ante impetratam confirmationem potestatem jurisdictionis, vel administrationis habent, ut decernitur in *c. nosti* 9. *h. tit.* et si defacto vel per se, vel per alium, sive in totum, sive in partem sub quocumque colore, vel praetextu in administratione sese ingesserint, eo ipso privantur jure per electionem sibi quaesito, *c. qualiter* 17. *h. tit.* et imposterum fiunt intelligibiles ad eandem, vel aliam praelaturam *arg. c. super eo* 12. *eod.* ea vero, quae ratione officii, vel jurisdictionis usurpatae, et non competentis gesta sunt, revocanda, et rescindenda sunt, ut constat ex *c. qualiter cit. in fin.* Estque hoc verum, ita, ut ne quidem administrare bona praelaturae, vel episcopatus electus ante impetratam confirmationem possit, ut oeconomus, vel procurator, vel alio simili titulo; *c. avaritiae* 5. *h. tit. in* 6. et ratio est, quia alioquin fieret fraus ipsi legi prohibenti, et electus reipsa consequeretur id, quod canon prohibuit.

73

Quaeritur 3. quando, a quo, et quomodo petenda, et concedenda sit confirmatio electionis? Resp. 1. *c. quam sit h. tit. in* 6. electo ad petendam confirmationem electionis datur trimestre, numerandum a die consensus praestiti, intra quod si, legitimo impedimento cessante, petere eandem negligat, jure per electionem sibi quaesito eo ipso privatur, ita ut si de negligentia constet, ad aliam electionem a capitulo libere procedi possit. Tempus hoc antiquo jure concedebatur cuivis electo; at recentiori *c. cupientes* 16. *in* 6. restrictum illud est electis ad cathedrales, et regulares ecclesias, quae sedi apostolicae immediate subjectae sunt; nam ad has electus intra mensem, numerandum ab habita electionis suae notitia, pro petenda confirmatione ad sedem apostolicam iter arripere, vel si id commode fieri non potest, personas idoneas mittere jubetur.

2. Peti confirmatio ordinarie debet a proximo, seu immediato superiore, cui ecclesia, seu dignitas electiva subest, et in specie abbates, et praelati episcopo inferiores non exempti ab episcopo, episcopi ab archiepiscopo, archiepiscopi a suo primate, vel patriarcha, hi de-

nique a papa, ut patet ex *can. qui episcopus* 2. *dist.* 23. *can. fin. dist.* 64. *c. cum dilectus* 32. *h. tit.* Excipitur, nisi hujusmodi confirmatio specialiter sedi apostolicae reservata sit, prout per concordata Germaniae in eadem reservata est sedi apostolicae confirmatio episcoporum.

3. Si electus coelectum, aut alium suae electionis adversarium habeat unum, vel plures, ii ante confirmationem nominatim vocandi sunt ad causam suam agendam: si vero electio fuit concors, eo quod unus tantum electus sit, neque aliquis se electioni opponat, affigendum tamen est edictum generale ad valvas ecclesiae, in qua electio celebrata est, et per illud contradictores, siqui sint, peremptorie vocandi, ut statuto tempore, et loco confirmationis faciendae veniant, causas impugnandae electionis, et impediendae confirmationis dicturi, ut praescribitur *c. fin. h. tit. in* 6. ubi confirmationes, hac citatione omissa, factae, declarantur esse irritae, et inanes.

4. Superior, antequam confirmet electum, etiamsi nullus contradictor adsit, ex officio instituere debet examen, sive inquisitionem duplicem: unam de electionis processu, an in illa observata sint omnia per ss. canones requisita; alteram de qualitatibus electi, an sit idoneus *c. cum nobis* 19. *et c. nihil* 44. ibi *diligenter examinet et electionis processum, et personam electi.* Primum rescire potest ex instrumento, seu, ut alii vocant, decreto electionis; nam huic, si a notario publico rite confectum sit, et ut moris est, a singulis capitularibus manu propria subscriptum, communique capituli sigillo munitum, plena fides habetur, ut notat Abb. *in c.* 20. *h. tit. num.* 14. Alterum docet examen, ad quod electus in episcopum se offerre solet vicino alicui episcopo; nam hoc cum ipso processu electionis Romam ad Pont. pro confirmatione impetranda mittendum est.

5. His positis, si superior, qui confirmare electionem debet, aut electionis formam non observatam, aut electum indignum esse deprehenderit, illa cassanda, iste autem repellendus est; *c. nihil* 44. *h. tit.* ubi indignum confirmans, in poenam privatur potestate proxime sequentem, seu primum sic confirmati successorem confirmandi, et simul jubetur suspendi a proprii beneficii perceptione, quamdiu visum fuerit superiori, qui suspensionem intulit. At si omnia rite acta, et electum dignum esse repererit, superior ad confirmationem procedet, neque hanc electo sine istius, et eligentium injuria negare potest, cum ut supra *num.* 71. dictum est, electo per electionem acceptatam acquiratur jus ad praelaturam. *Excipitur*, si confirmator sit ipse pontifex; cum enim iste plenam, et absolutam de beneficiis quibuscumque disponendi potestatem habeat, si plenitudine istius uti velit, ex causa gravi, praesertim utilitatis publicae, canonice electum, etiam dignum rejicere, deque alio aptiore, et digniore providere potest,

prout patet *ex concordatis Germaniae*, §. *item placet* ibi: *electiones si canonicae fuerint, confirmabimus, nisi ex rationabili, et evidenti causa de digniore, et utiliore persona duxerimus providendum.*

6. Tempus, intra quod superior, cui confirmandi jus competit, confirmationem electo impertiri teneatur, a jure quidem definitum non est, quia tamen ecclesiae interest, ut, quamprimum potest, fiat; ideo si confirmatio absque causa legitima diu differatur, potest a superiore confirmatori peti, ut is terminum constituat, intra quem confirmatio fieri debeat, quo elapso ipsemet confirmationem praestabit *arg. c. irrefragabili* 13. §. *excessus. de offic. jud. ord.*

74

Dub. 1. quis sit effectus confirmationis? Resp. 1. Dat plenum jus in praelatura, scilicet jus in re, ita, ut confirmatus sine licentia, et consensu superioris amplius renuntiare non possit, ut dicetur infra *tit.* 9. *n.* 19.

2. Conjugium spirituale inter praelatum, et ecclesiam, quod per electionem fuit inchoatum, confirmatione fit ratum.

3. Per confirmationem electus acquirit jus petendi investituram, vel si in decreto confirmationis positi sunt termini, investituram hoc ipso factam denotantes, per eam datur electo jus petendi inductionem in possessionem, vel etiam immediate illam apprehendendi.

4 Per eandem electus acquirit plenam administrationem, et exercitium omnium praelaturae jurium tam spiritualium, quam temporalium, exceptis iis dumtaxat, *quae majoris inquisitionis discussionem exigunt, et ministerium consecrationis desiderant*; *c. transmissum* 15. *h. tit.*

5. Post confirmationem electus dici jam potest episcopus, quamvis cum addito *electus*, ac proinde statim gaudere incipit privilegio *c. quia periculorum* 4. *de sent. excomm. in* 6. quod nempe generali statuto, vel sententia interdicti, vel dispositionis non comprehendantur, nisi eorum fiat expressa mentio: item illo, quo datur episcopo libertas eligendi sibi confessarium, sacrificandi in altari portatili etc.

6. Si post confirmationem electus praelatura cedat, aut decedat, illa non jam amplius vacare intelligitur per renuntiationem, vel mortem antecessoris, sed ipsius confirmati.

75

Dub. 2. an confirmatio habeat vim sanandi defectum electionis invalidae? Resp. distinguendo: vel enim defectus ille est alicujus qualitatis, aut rei, quae jure divino, vel naturali ad substantiam electionis requiritur; vel est alicujus rei, aut qualitatis, quae solum requiritur jure humano.

Si primum, e. g. si electus non sit mas, si electores potestate eligendi caruerint, si in electum non consenserit major pars, sed tan-

tum minor, major vero contradicat etc. defectus isti per confirmationem sanari non possunt, ut bene cum aliis advertit Passerin. *de elect. c.* 33. *num.* 167. Ratio est, quia confirmatio tantum habet authoritatem humanam, quae adversus legem divinam, vel naturalem praevalere non potest. Neque obstat, quod aliquando pontifex electiones, ex defectu potestatis, vel numeri suffragiorum irritas confirmare soleat; quia non proprie illas confirmat, sed nulliter electo ex plenitudine potestatis de ecclesia, ad quam ille nulliter electus est, libere providet.

Si secundum, pontifex ex plenitudine potestatis quidem ejusmodi defectus supplere, atque sanare potest, non tamen solet, nisi illud sufficienter exprimat. Ratio est, quia confirmatio sequitur naturam actus confirmati, et tantum majus robur, et authoritatem eidem confert: igitur si prius electio fuit invalida, manebit invalida.

Addidi autem: *nisi illud sufficienter exprimat;* nam si in decreto confirmationis exprimatur particula, ex qua colligi possit, quod papa confirmans habuerit certam scientiam defectuum, et illos ex plenitudine potestatis supplere voluerit, confirmatio valebit, et sanabit defectus praedictos, quippe quae illo casu vim habet novum jus tribuendi electioni confirmatae, eamque ex invalida faciendi validam. Numquam tamen per clausulam generalem, ut cum aliis monet Laym. *in c.* 1. *de transact. num.* 3. censentur suppleti defectus, etiam juris humani, si illi specialem expressionem dispensationis exposcant.

§. VIII.

De consecratione episcopi electi, et confirmati.

SUMMARIUM

76 *Confirmationem sequitur consecratio.*

77 *Fieri haec debet tempore a jure statuto.*

78 *A quo?* 79 80 81. *Et quot consecratoribus?*

82 *Qua forma, loco, et tempore?*

83 *Effectus consecrationis episcopalis.*

76

Confirmationem episcopi electi sequitur consecratio, ut colligitur *ex c. cum olim* 7. *de dol. et contum. et c. provida* 44. *h. tit. in* 6. ubi gloss. *V. consecrationes*, ait: *consecrationem praecedere debet*

confirmatio ; alias non valet consecratio, quia scilicet ordo collatus exerceri non potest.

77

Quaeritur 1. intra quod tempus episcopus confirmatus accipere consecrationem teneatur ? Resp. Ultra tres menses, a die confirmationis acceptae numerandos, cessante legitimo impedimento, differri non debet ; gloss. *in c. 7. §. cum vero V. tempore h. tit.* Poena ultra hoc tempus culpabiliter differentis consecrationem suam antiquo jure taxata refertur *can. quoniam* 2. *vers. si vero dist.* 100. jure novo trid. *sess.* 23. *c.* 2. *de reform.* statuitur, ut *ecclesis cathedralibus, seu superioribus, quocumque nomine, aut titulo prefecti, etiamsi S. R. E. cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur ; si vero intra (alios) totidem menses postea id facere neglexerint, ecclesiis ipso jure sint privati.*

78

Quaeritur 2. a quonam episcopus, vel archiepiscopus consecrari debeat ? Resp. Antiquo jure archiepiscopus consecrari debuit, praesentibus, et assistentibus omnibus suffraganeis, seu comprovincialibus episcopis ; *can. final. vers. sed nec dist.* 51. *can. episcopi* 1. *dist.* 64. *can. archiepiscopus* 1. *dist.* 66. *et c. si archiepiscopus* 6. *de temp. ordin.* episcopus vero vel ab ipso archiepiscopo cum duobus aliis comprovincialibus episcopis, vel ejus mandato a tribus episcopis, ad hoc a metropolitano deputatis, debebantque in consecrationem illius consentire vel omnes, vel saltem potior pars comprovincialium episcoporum ; *can. archiepiscopus cit. et can. seq. dist.* 66. *c. si archiepiscopus cit. vers. reliqui vero, et c. seq. de temp. ordin.* Hodierno jure, quo episcoporum, et archiepiscoporum confirmatio in Germania, et provisio, vel institutio in aliis regnis, et provinciis sedi apostolicae reservata est, etiam reservata est potestas consecrandi, ita ut sine sedis istius speciali mandato per inferiores episcopos consecrari non possint, nisi aliud consuetudine receptum sit, ut notat gloss. fin. *in c. 45. h. tit.*

79

Quaeritur 3. quot, et quinam consecratores debeant esse in consecratione episcopi ? Resp. juri communi episcopus a tribus episcopis consecrandus est ; *can. fin. vers. sed nec dist.* 51. *can. comprovinciales* 4. *dist.* 64. *can. porro* 2. *dist.* 66. *c. si archiepiscopus cit. et c. nec episcopis* 7. *de temp. ordinat.*

Dubium est, an saltem ex dispensatione apostolica consecratio peragi possit ab unico solum episcopo ? Negant quidam non infirmae notae dd. 1. quia papa dispensare non potest in materia, et forma sacramentorum : atqui materia episcopatus est impositio manuum non

unius tantum, sed plurium episcoporum, ut desumitur ex illo Pauli 1. *Tim.* 4. *vers.* 14. ubi habetur episcopos ordinandos *cum impositione manuum presbyteri.* 2. Jacobus Apostolus Jerosolymorum episcopus ordinatus est a tribus apostolis, Petro, Jacobo, et Joanne, a quibus hanc episcopos ordinandi formam datam esse, testis est Anacletus *can. porro cit.* 3. *can. chorepiscopi* 5. *dist.* 68. ibi *quod autem episcopi non sint, qui minus, quam a tribus ordinati sunt episcopis, omnibus patet;* ex quo ibidem concluditur, quod chorepiscopi, ab uno, vel duobus tantum ordinati, non mereantur nomen episcopi. 4. *epist. Joan. III. ad episcopos German. et Gall. tom.* 2. *conciliorum relata* habentur haec verba: *omnia maxima concilia affirmant, eum non esse episcopum, qui minus quam a tribus episcopis, authoritate etiam metropolitani, fuerit factus.* Verum his non obstantibus.

80

Dicendum, ex dispensatione pontificia consecrationem episcopalem peragi posse etiam ab episcopo unico, assistentibus duobus abbatibus, vel aliis presbyteris in dignitate ecclesiastica constitutis. Ita communis, et confirmat praxis hodie recepta. Colligitur 1. *ex can.* 1. *Apost.* ubi episcopus a duobus, vel tribus episcopis ordinari jubetur: igitur ternarius jam non est de essentia consecrationis episcopalis. 2. *ex l.* 7. *const. Clem. c.* 27. ubi clare supponitur, in casu necessitatis consecrationem fieri ab uno posse; solum enim ibidem dicitur, hoc non esse faciendum sine plurium commissione. 3. A paritate cum ceteris sacramentis; in nullo enim alio sacramento requiruntur tres ministri. 4. ex ratione negativa; quia trium consecratorum necessitas nullo jure satis probatur.

81

Argumenta contraria non evincunt intentum. *Ad* 1. impositio manuum, a tribus episcopis facta, non est materia necessaria, sed ritus tantum accidentalis; quia etiam cum praesentes sunt tres episcopi, tantum unus est consecrator, ut colligitur ex *pontificali romano*, ubi semper fit mentio consecratoris in singulari, ceteri duo assistentes vocantur. *Ad* 2. S. Jacobus ibi non est ordinatus episcopus, quippe qui ita ordinatus jam antea fuit a Christo; sed tantum administrationem certi loci accepit: deinde esto, quod ibi data sit forma consecrandi episcopos, praescripta tamen est solum ab Apostolis, quorum decreta dumtaxat jus humanum efficiunt, cons. ecclesia ex justa causa potest ea mutare. *Ad* 3. Chorepiscopis textu *cit.* episcopi nomen tollitur, non quia ab uno tantum sunt ordinati, sed quia erant simplices sacerdotes tantum, ideo chorepiscopi nuncupati, quia facultatem habebant conferendi minores ordines. *Ad* 4. Esto, quod secundum concilia non sit episcopus, qui a duobus, vel uno tantum consecratus

est, talis tamen erit, si ita consecratus sit ex dispensatione papae, cui soli in canonibus apostolicis dispensandi potestas competit.

82

Quaeritur 4. qua forma, loco, et tempore episcopus consecrari debeat? Resp. 1. Forma praescribitur *can. episcopus* 7. *dist.* 23. *can. ordinationes* 1. *dist.* 75. *c. unic. de sacr. unct.* Ex actibus ibi descriptis ad substantiam consecrationis pertinet sola manuum impositio, ut cum communi notat gloss. *in can. episcopus cit. V. codicem.* Forma autem est: *accipe Spiritum Sanctum etc.*

2. Decens quidem esset, ut episcopus consecraretur in ecclesia cathedrali, ad quam est promotus; si tamen hoc commode fieri nequeat, consecrari potest etiam in alia ecclesia, praesertim si sit intra provinciam, vel dioecesin sita; *can. fin. dist.* 51. et trid. *sess.* 23. *c.* 2. *de reform.*

3. Ex antiquissima traditione episcopi, et archiepiscopi die dominica, consecrari debent, et quidem hora tertia, quae respondet nostrae nonae; *can. ordinationes* 1. *et can. quod die* 5. *dist.* 75.

4. Consecratio episcopi fit inter missarum solemnia, ubi episcopus consecrandus celebrat episcopo consecratori, et principaliter celebranti; *c. quod sicut* 28. §. *super eo h. tit.*

5. Episcopus consecrandus, dum celebratur missa, sub qua consecratur, ordines conferre non debet *c. quod sicut cit.* nam hoc, ut ibidem dicitur, est privilegium summi pont. et merito; nam consecratio ipsius perficitur *ante hymnum angelicum, et postmodum ipse missarum solemnia incipit, et perficit consecratus.*

83

Quaeritur 5. quis sit effectus consecrationis episcopalis? Resp. 1. Episcopus per consecrationem consequitur plenitudinem officii episcopalis, ita ut exercere possit omnia, non solum, quae jurisdictionis, sed etiam quae ordinis episcopalis sunt; *c. transmissam* 15. *h. tit.* excipitur archiepiscopus; nam iste ante susceptum pallium, plenitudinem potestatis suae non consequitur, ut dicetur *tit.* 8. *num.* 5.

2. Consecratione conjugium spirituale inter consecratum, et ecclesiam perficitur, et consummatur; *c. fin. de translat. episc.*

3. Post consecrationem episcopus vocatur absolute episcopus, cum ante illam, etsi confirmatus esset, tantum appellaretur cum addito *episcopus electus.*

4. Postquam electus in episcopum confirmatus, consecratus, et bonorum ecclesiasticorum administrationem adeptus est, tum demum ipso jure, absque alia sententia vacant omnia ejus beneficia, quae habebat, etiam simplicia, imo et pensiones, ita ut libere ab eo conferri possint, qui de iis disponendi facultatem habet; *c. cum in cunctis* 7.

§. *cum vero h. cit.* Aliud dicendum, si consecratus quidem, sed bonorum ecclesiae suae administrationem nondum adeptus sit, uti sunt episcopi titulares; nam isti beneficia antea possessa retinere, et nova, modo sint compatibilia, obtinere possunt, ut aliis *citt.* advertit Pirh. *hic n.* 163. quia ecclesiarum suarum, ad quas consecrati sunt, possessionem non habent.

§. IX.

Specialia de electionibus regularium.

SUMMARIUM

84 *Quinam eligere ad praelaturam regularem ordinis sui possint?*
85 *Quinam eligi?*
86 *An statim post professionem?*
87 *Quae forma observanda?*
88 *An valori electionis noceat votorum publicatio?*
89 *Specialia observanda in electionibus abbatissarum.*
90 *An, et quomodo religiosi possint eligi ad praelaturas extra ordinem suum?*

84

Quaeritur 1. quinam eligere ad praelaturam regularem ordinis sui possint? Resp. ut religiosus jus electionis activae habeat, requiritur 1. ut ille sit de ordine, et conventu, a quo praelatus eligendus est; nam jure communi, et ordinario electio praelati pertinet ad conventum; *c. nullus* 1. *h. tit. c. cum dilectus* 8. *de consuet. et can. abbas* 2. *et tribus seqq. caus.* 18. *q.* 2. Hinc, ut bene notat Konig *hic n.* 4. si regularis a monasterio, in quo professionem edidit, translatus est perpetuo in aliud ejusdem ordinis, cum capitularis prioris monasterii esse cesset, etiam vocem, et jus suffragii sibi in eodem reservare non potest.

2. Debent esse professi, saltem tacite; nam novitii jus eligendi non habent; *c. ex eo* 32. §. *in ecclesiis h. tit. in* 6. cujus ratio est, quia non sunt adhuc vera membra illius corporis, seu religionis, neque rerum, aut personarum monasterii sufficienti notitia instructi.

3. Debent esse clerici; nam laici conversi admitti ad electionem non possunt, nisi jus eligendi vel per consuetudinem, vel per specia-

lia ordinis sui statuta obtineant, vel ipse ordo talis sit, ut non ad ministeria spiritualia, sed ad opera temporalia solum, in bonum ecclesiae praestanda, sit institutus, quales sunt ordines militares, et hospitales; nam in his superiorem sibi eligere possunt omnes professi, etsi clerici non sint, ut cum aliis notat gloss. *in* §. *in ecclesiis cit. V. hi qui.*

4. Non admittuntur etiam omnes clerici, sed debent esse saltem constituti in subdiaconatus ordine: quod de canonicis regularibus clarum est *ex Clem.* 2. *de aetat. et qualit. et trid. sess.* 22. *c.* 4. *de reform.* De ceteris religiosis non pauci negant apud Pirh. *hic num.* 356. et horum sententia, spectando rationem fortasse est verior; si vero attendamus ad consuetudinem, quae teste Mirand. *man. praelat. tom.* 2. *q.* 23. *art.* 5. *concl.* 5. observatur in omnibus ecclesiis regularibus *clem. et trid. citt.* dispositiones ad hoc etiam extendi debent.

5. Voce, et loco in capitulo carent religiosi professi, etiam in majoribus constituti; qui ex mendicantium ordine transierunt ad non mendicantes, etiamsi apostolica authoritate hoc factum sit; *Clem.* 2. *de regular.*

6. Jure suffragii in electionibus biennio privantur religiosi proprietarii, sive illi, qui superiore suo invito peculium retinent; Trid. *sess.* 25. *c.* 2. *de regular.* His impedimentis nonnullae religiones adduut quaedam specialia: unde harum propriae constitutiones spectandae sunt. His praecisis, regulae loco haberi potest, quod ob easdem causas, ob quas capitulares ecclesiarum saecularium prohibentur eligere praelatum, etiam prohibeantur conventuales regulares.

85

Quaeritur 2. quinam eligi ad abbatiam, vel etiam praelaturam regularem possint? Posse omnes, qui impedimento non prohibentur. Praeter impedimenta jure communi introducta, de quibus *num.* 15. *et seqq.* est defectus professionis; neque etiam in praelatum regularem eligi potest, qui antea eundem ordinem professus non est, et quidem expresse, nisi papa dispenset, prout habetur *c. cum in magistrum* 49. *in princ. h. tit.* ubi ratio redditur, quod *in magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit praeficiendus, qui subesse non novit.*

Dixi 1. *qui antea professus non est;* neque enim potest quis simul profiteri, et in abbatem, seu praelatum regularem eligi *c. cum ad nostram* 37. *h. tit.* et ratio est, quia talis, potius censeretur professionem emittere amore dignitatis, quam religionis, aut suae salutis.

Dixi 2. *eundem ordinem;* nam eligendus debet profiteri regulam non quamcunque, sed ejus ordinis, in cujus praelatus esset assumendus; *Clem.* 1. *in princ. h. tit.* ubi aliter facta electio irritatur, et da-

tur ratio, quod *rationi non congruat, ut homines disparis professionis, vel habitus simul in iisdem monasteriis socientur.*

Dixi 3. *et quidem expresse;* nam licet tacite professus active eligere non probibeatur *juxta num. praec.* non tamen potest ad regimen ecclesiae regularis eligi, sed debet emisisse professionem expressam, et quidem expleto anno probationis integro; *c. nullus* 28. *in* 6. et trid. *sess.* 25. *c.* 15. *et* 21. *de regular.* ut ita praecludatur via ambitioni, et inconvenientiae, quae oriretur, si post exactum in novitiatu unum, vel alterum mensem ad professionem admissus, eligi in praelatum posset.

Dixi 4. *nisi papa dispenset;* non enim repugnat, quin pontifex de absoluta sua potestate interdum religiosos alterius ordinis monasteriis, et conventibus praeficere, novitios in abbates assumere, vel etiam, si urgens, et publica aliqua causa petat, praelaturas regulares, et monasteria clericis saecularibus in commendam perpetuam dare possit; Konig *hic num.* 35.

86

Dubium est, an religiosus, vel monialis statim post professionem editam assumi in abbatem, vel abbatissam possit? De monialibus clara est dispositio trid. *sess.* 25. *c.* 7. *de regular.* ubi statuitur, in abbatissas, praepositas, priorissas non posse eligi, nisi post editam professionem expressam octo, vel saltem quinque annis in religione laudabiliter vixerint.

De praelaturis regularibus virorum non satis est exploratum. Si necessitas, vel evidens utilitas monasterii ita postularet, posset talis neo professus saltem in extraordinario casu, percepta prius ab eo purgatione, quod nullus dolus, vel ambitio intercesserit, ad abbatiam admitti, modo in regula sit sufficienter instructus, ut cum aliis advertit Konig *num.* 33. ordinarie tamen id fieri non expedit, ut colligitur ex *c. officii* 38. *h. tit.* ubi habetur, quod in abbatem eligi nequeat, nisi instructus in regula monachali, qualis non censetur, qui paulo ante professionem edidit. Accedit, quia in hoc pugnat ratio, quae *priori num.* sumpta est *ex c. cum in magistrum cit.* assumeretur enim in magistrum, qui paulo ante desiit esse discipulus.

87

Quaeritur 3. quae forma observari debeat in electionibus abbatum, et praelatorum regularium? Resp. In electionibus abbatum, et praelatorum, qui ecclesias, et monasteria sua in titulum perpetuum obtinent, quales sunt ordinis ss. Benedicti, Bernardi etc. observanda est forma communis praescripta *c. quia propter* 42. *h. tit.* in electione superiorum, et abbatum temporalium, et aliorum officialium, ac generalium. Trid. *sess.* 25. *c.* 6. *de regular.* praeterea voluit, ut vota sint omnino secreta, ita ut eligentium nomina non publicentur; se-

cus factam electionem decrevit futuram irritam. In aliis etiam horum electiones juris communis dispositioni relinquuntur, nisi aliud ordinum, vel monasteriorum statuta, privilegia, et consuetudines exigant; neque enim in ceteris per decretum trid. *cit.* derogatum est dispositioni *c. quia propter cit.* ut contra Fagn. *in c. cit. n.* 20. Donat. *prax. regul. tr.* 1. *q.* 5. docent cum non paucis aliis Tambur. *tom.* 1. *de jur. abb. D.* 5. *q.* 6. *n.* 10. Passerin. *de elect. c.* 17. *n.* 5. id confirmans declarationibus cardd. a se allegatis; et patet etiam ex ratione, quia decretum hoc nihil vetat, quod Innocentius *in c. cit.* exposcit, aut vicissim, praeter publicationem nominis eligentium. Monet tamen hic rectissime P. Vviest. *num.* 222. in his electionibus apices juris non semper ita scrupulose observari, easque sine difficultate confirmari, modo constet, quod observata sint substantialia electionis.

88

Dubium est, quaenam votorum, sive nominis eligentium publicatio electiones praelatorum regularium temporalium faciat irritas? Resp. non obesse quamvis publicationem votorum, vel eligentium, sed requiri, ut vel major eligentium pars, vel unus majoris partis consensu votum suum propalet, aut saltem propalatio talis sit, ut ea unius personae electio vel promoveri, vel impediri posse judicetur. Ratio est, quia si qua manifestatio voti, vel nominis eligentium nullitatem electionis induceret, in potestate cujusvis electoris, vel scrutatoris esset, votum suum, aut alterius cujusque propalando irritam reddere electionem personae, quae ipsi displiceret.

Ex quo sequitur 1. non nocere valori electionis, si elector absens procuratori suo verbis, aut alio modo palam injungat, ut suo nomine certam personam eligat; Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 4. *num.* 202. Ratio est, quia modo in hanc procurator votum suum secreto conferat, satis secreta est suffragatio.

Sequitur 2. subsistere electionem, etsi contra secreti obligationem eligentium nomina post electionem jam legitime celebratam, et consummatam vel ab ipsis electoribus, vel a scrutatoribus temere propalentur; Joan. Monach. *in c.* 24. *h. tit. in* 6. Ratio est, quia electionis valor pendere nequit ab eventu futuro, sed statim, ac omnia substantialia posita sunt, valere incipit, nec valorem hunc suum amittit, etsi veniat ad casum, in quo ipsa incipere, aut perfici non potuisset.

Sequitur 3. non nocere electioni, etsi ante electionem, seu scrutinium aliquis ex capitularibus palam nominet personam, in quam suffragium suum decrevit conferre; Garc. *l. cit. n.* 196. cum enim adhuc libere illud dare possit huic, vel alteri, electio per hoc secreta esse non desinit.

Sequitur 4. non obesse, etsi elector per errorem, imprudentiam, aut malitiam ante electionem alicui ostendat nomen ejus, quem vult

eligere, descriptum in schedula, modo id non fiat culpa capituli, ob rationem initio assignatam.

Sequitur 5. etiam non vitiari electionem, quamvis electorum aliquis palam det votum suum, modo capitulum contradicat, et tali voto rejecto, ita suffragantem vel aliud votum dare jubeat, vel tanquam indignum pro ea vice potestate eligendi, authoritate ordinarii omnino privet.

89

Quaeritur 4. quae specialia observanda sint in abbatissarum, et aliarum superiorum regularium electionibus? Resp. 1. Fieri et ipsae debent per vota secreta, et nomina eligentium nunquam sunt publicanda; Trid. *sess.* 25. *c.* 6. *de reform.*

2. Praeses electionis est episcopus, vel alius superior; Trid. *l. cit. c.* 7. *et const. Greg. XV.* incip. *inscrutabili: edita non. febr.* 1622. qui tamen *c.* 7. *cit.* non debet *ingredi claustra monialium, sed ante cancellorum fenestrellas vota singularum accipere,* nisi aliud justa causa, praesertim tranquillitatis, in electione postulet, ut *motu proprio* declaravit Greg. XIII. incip. *ubi gratia; edito idib. jun.* 1575.

3. Suffragium, et vocem activam in ea habent solae moniales professae; *c. indemnitatibus* 43. *in princ. h. tit. in* 6. et quidem in ordine ss. Francisci, et Dominici non omnes, sed in primo solum istae, quae quatuor; in secundo, quae duodecim annos exegerunt a professione; Portell. *dub. regul. V. abbatissa* §. 3. *et* Castellin. *de elect. c.* 17. *num.* 15. apud Tamb. *de jur. abbatiss. D.* 28. *q.* 5. *num.* 3. Praeses electionis, scrutatores probabilius votum non habent, quippe quod a jure tantum conceditur iis, qui sunt de collegio, vel congregatione *can. abbas* 2. *caus.* 18. *q.* 2. et aliis passim: in illum tamen compromitti e monialibus potest *c. causam* 8. *h. tit. et c. indemnitatibus cit.* §. *ceterum.*

4. Ut eligi aliqua in abbatissam, vel priorissam possit, necesse est, ut sit ejusdem ordinis; *Clem.* 1. *h. tit.* junct. gloss. *V. homines:* aetatis 40. vel 30. annorum, professionis vero octo, vel saltem quinque: trid. *c.* 7. *cit.* legitime nata, et virgo *c. ut filii* 1. *de fil. presbyt. et can. juvenculas* 12. *caus.* 20. *q.* 1. bonae vitae, et famae trid. *c.* 7. *cit.* ibi *laudabiliter vixerit.*

5. Si electio facta sit in concordia, sufficit, quod in electam conspiret major pars suffragantium *arg. c. quia propter* 42. *h. tit.* Si vero electio fuerit discors, et aliquae ex eligentibus contradicant, ut contradictione non obstante, confirmari electa possit, opus est ut obtinuerit duas partes suffragiorum, saltem per accessum; *c. indemnitatibus cit.* §. *sane in princ.* ubi tamen permittitur monialibus, si voluerint, contra personam electam, ad eam etiam post confirmationem, et benedictionem removendam, per accusationis, vel denuntiationis viam opponere.

6. Si publicato scrutinio ad electam in discordia accedat major quidem pars, sed non tot, ut duas partes conficiant, antequam superior electionem confirmet, vel reprobet, super iis, quae electae objiciuntur ab opponentibus, et super electionis forma, atque idoneitate inquirere ex officio plene, de plano tamen, et sine figura judicii, debet interim tamen electae contra regulam *c. nostri* 9. *c. qualiter* 17. *h. tit. et c. avaritiae* 5. *h. tit. in* 6. permittenda est administratio tam in temporalibus, quam in spiritualibus, excepta tamen alienatione, et alicujus monialis receptione §. *sane cit. vers. si vero.*

7. Si autem vota, publicato scrutinio, ita sparsa reperiantur, ut minor solum capituli pars pro electa, vel pro duabus partes aequales stent, nullum jus acquiritur electae, vel electis, sed novum scrutinium est inchoandum, vel communi omnium consensu deveniendum est ad compromissum: *vers. si vero cit.* neque in hoc casu datur accessus, cum electio talis sit omnino irrita juxta regulam *c. quia propter cit.* Excipitur, nisi accessus ejusmodi religionis constitutionibus, vel consuetudine sit permissus; tunc enim omnino licebit accedere, et numerum augere, ut recte notat P. Wiestner *hic n.* 243.

8. Si electio facta sit per compromissum, et aliquae moniales se opponant, videndum, an opponat se major illarum pars, an vero minor. Si minor duntaxat, electa, praevio tamen diligenti examine de servata electionis forma, et ipsius electae idoneitate, non obstante contradictione, est confirmanda; *arg. c. in causis* 30. junct. gloss. *in c. indemnitatibas cit. §. ceterum V. exspectare h. tit. in* 6.

Si vero se opponat pars major, iterum videndum, an opponant se duae partes, an vero minor pars infra duas. *Si primum* electa nec confirmanda, nec admittenda est ad administrationem, sed litis per sententiam terminandae eventus exspectandus; quia tali casu praesumptio est pro justitia oppositionis. *Si secundum*, electae quidem, ne monasterium patiatur detrimentum, permittitur administratio, confirmatio tamen, et benedictio differtur, donec de justitia oppositionum cognoscatur §. *cit.* Quod de electione monialium hic dictum est, tenendum fere est etiam in electionibus abbatissarum, et praepositarum non regularium, eo duntaxat excepto, quod professio neque in eligentibus, neque in eligendis requiratur.

90

Quaeritur 5. an, et quomodo religiosi possint eligi ad praelaturas extra suum ordinem? Resp. Circa has electiones sequentia sunt advertenda. 1. Nullus regularis eligi potest ad praelaturam, vel ecclesiam regularem alterius ordinis, et professionis, nisi sit cathedralis, licet postulari possit; *Clem.* 1. *h. tit.*

2. Ad ecclesias cathedrales, sive regulares illae sint, sive saeculares, eligi quivis religiosus, imo etiam novitius potest; *Clem. cit. et c. nullus* 28. *h. tit. in* 6.

3. Ad praelaturas saeculares cathedrali inferiores eligi absolute mendicantes non possunt; quia nec postulari possunt; *extr. un. in cum. de postul.* Non mendicantes tamen probabilius ad istas possunt eligi, ut satis clare supponitur *c. quorumdam* 24. §. *circa h. tit. in* 6. ubi Bonifacius VIII. solum prohibet, ne regulares *electionibus . . . a minori parte factis . . . suum audeant praestare consensum:* igitur, si a majore parte electi fuerint, poterunt consentire.

4. Ut religiosus ad dignitatem, vel praelaturam extra ordinem electus factae de se electioni consentire possit, requiritur, ut major in eum pars consenserit §. *circa cit.* ubi tamen distingueudum est inter mendicantes, et non mendicantes; posteriores enim consentire electioni possunt cum licentia praelati sui, etiamsi aliquis, vel aliqui, qui aliis dederunt suffragium contradicant. Aliud dicendum de regulari mendicante; nam ut iste electioni ad episcopatum de se factae consentire possit, vel omnia omnium eligentium suffragia in ipsum conferri debent; vel saltem si alii aliis sua dedere, ante, vel in publicatione electionis nullus debet esse contradictor; hoc enim plerique DD. cum gloss. *in cap.* 3. *V. singulis hoc tit. in* 6. intelligunt per electionem in concordia factam, quae per *c. quorundam cit. vers. valentes* requiritur.

5. Si tamen sit regularis assumptus ad cardinalatum, et iste eligatur ad episcopatum, vel archiepiscopatum, consentire electioni huic de se factae potest, si majora, etiam in discordia, in ipsum concurrant; quamvis enim per assumptionem ad cardinalatum non desierit esse religiosus, tamen desiit esse subjectus jugo regulae, de quibus solis loquitur dispositio *c. quorundam cit.* ut bene advertit P. Wiestner *hic num.* 258.

§. X.

Aliqua quaesita de electione summi pontificis.

SUMMARIUM

91 *An summus pontifex sibi constituere successorem possit?*
92 *Qui sint electores pontificis?*
93 *Quae forma eligendi?*
94 *Quot in electio requirantur suffragia?*
95 *An compleri numerus per accessum possit?*
96 *An, et quomodo cardinales compromittere?*
97 *Qualitates requisitae in electo?*
98 *Quando electus fiat verus pontifex?*
99 *An ejus electio valeat impugnari?*
100 *Quando procedi possit ad novam electionem?*

91

Quaeritur 1. an summus pontifex sibi in sede apostolica constituere successorem possit? Pro affirmativa affertur *can. si Petrus* 1. eique subjectus *can. unde* 2. *caus.* 8. *q.* 1. ubi clare asseritur, s. Clementem a B. Petro, cum martirio immineret, ecclesiae universali praefectum esse. Verum istorum canonum veritas non immerito dubia videri poterit, cum legamus successorem proximum sancti Petri fuisse Linum, postea Cletum, deinde primum Clementem. Si dicas, s. Clementem quidem a Petro sibi substitutum, sed demissionis studio renuntiasse dignitati, et sic deinde electum Linum, non repugnavero, sed cum communi dicam, eam substitutionem factam a s. Petro inspiratione, nutuque divino, ac proinde ejus factum non trahendum in consequentiam.

Quare cum Suar. *D.* 20. *de fid. f.* 5. *num.* 16. et frequentiori DD. facile quidem concedo, quod in casu quodam extraordinario, quo aliter necessitati ecclesiae succurri non posse praevideret antecessor, successorem sibi possit sufficere, ut colligi videtur ex *can. transitus* 10. *dist.* 70. nego tamen, quod istud possit potestate ordinaria.

Ratio est 1. quia papa, et episcopus ratione spiritualis conjugii se habet ac ecclesiam suam, sicut maritus ad uxorem: atqui iste alium sibi successurum in conjugio, etiam post mortem suam, constituere nequit; ergo etc. 2. Dispositio, licet sit facta tempore habili, si conferatur in tempus inhabile, nullum de jure effectum habet: talis est substitutio novi pontificis, a praedecessore facta; confertur enim in tempus mortis, quo papa non amplius est. 3. Hujusmodi substitutio, si ordinarie fieri a papa posset, mutaret universalis ecclesiae statum,

et induceret transmissionem haereditariam pontificatus, quam tamen, tanquam maxime perniciosam regimini spirituali, semper exosam ecclesia habuit.

92

Quaeritur 2. penes quos sit potestas eligendi pontificem? Resp. Olim erat penes universum clerum, teste Cyprian. *l.* 4. *epist.* 2. Postea reperitis vicibus eandem sibi vindicarunt imperatores, jure, an injuria, non disputavero. Affertur quidem privilegium tanquam ab Hadriano concessum Carolo M. prout recenset Gratianus *can. Hadrianus* 22. *dist.* 63. sed hic canon, ut *num.* 6. ad 4. notavi, multis videtur fictitius, vel si vere datum est ejusmodi privilegium, id intelligendum, non quod ab arbitrio imperatoris dependeret constitutio summi pont. sed quod a clero celebrata eidem fuerit praesentata, et consensus requisitus, ut firmior foret electio.

Moderno tempore pontificem eligunt cardinales, quibus jus eligendi papam concessit Nicolaus II. prout habetur *can. in nomine* 1. *V. quapropter dist.* 23. non tamen solis; quia eorum electioni accedebat approbatio cleri, et populi: solis autem cardinalibus potestas ista primum tributa est in concilio lateranensi *c. licet* 6. *h. tit.* ubi statutum, ut si inter eos de summo pont. substituendo plena concordia esse non possit, pro legitimo D. Petri successore absque ulla exceptione haberetur, qui a duabus illorum partibus esset electus, et receptus.

93

Quaeritur 3. quae sit forma eligendi pontificem? Resp. Eligi potest vel per inspirationem, vel per compromissum, vel, quae via usitatissima est, per scrutinium. Si per compromissum fiat electio, inter electionem pontificis, et alias electiones hoc discrimen est, quod in his compromissariorum unus nominatus ab altero, istius voto accedere, et sic complere sui electionem possit, ut dictum est *num.* 59. non autem possit, quando per viam compromissi eligendus est pontifex ob *constit.* Gregor. XV. incip. *aeterni* §. 205. ubi votum seipsum eligentis sive in compromisso, sive in scrutinio irritatur: non tamen propterea irritatur electio, modo in electum, qui sibi ipsi votum dedit, praeter hoc suum votum consentiant duae ceterorum partes. Hinc casu, quo in unum collata suffragia duas tertias partes excedunt, electi schedula non aperitur, neque inspicitur, an sibi ipsi suffragium dederit, ut notat card. de Luca *relat. cur. roman. disc.* 3. *num.* 20.

94

Quaeritur 4. quot suffragia debeat habere electus in pontificem, ut electio ejusdem valeat? Resp. Debet habere duas tertias, ut patet ex *c. ubi periculum* 3. *h. tit. in* 6. *Clem.* 2. *ibid.* et aliis pluribus *const. a Clem. VII. Paulo IV. Pio IV. Greg. XV. et Urban. VIII. editis*, idque merito, quia in electione pontificis gravissimi momenti

negotium versatur, quippe per quam a se acceptatam electus hoc ipso sine ullius alterius hominis confirmatione sit verus successor Petri, et Christi vicarius, quin eidem exceptio opponi possit.

Dubium est, an cardinales in conclavi praesentes convenire unanimi consensu possint, ut valeat electio per scrutinium celebrata, in quam major solum suffragantium pars consenserit? Videtur respondendum affirmative: nam committere potestatem eligendi possunt majori parti collegii, sicut est indubitatum ex *c. cum dilectus* 32. *h. tit.* ergo etiam consentire, ut pro electo habeatur is, in quem major pars suffragia sua contulit, idem enim est, ac si electus fuisset ab omnibus.

Sed tenenda est negativa ob claram decisionem *const. Gregorian. cit.* ubi diserte annullatur electio pontificis per scrutinium aliter, quam suffragiis duarum partium celebrata, cui tanquam juri publico, in favorem totius ecclesiae introducto, privatis cardinalium pactionibus renuntiari non potest.

Ad rationem dubitandi in textu ibi allegato sermo est de compromisso, ex quo duci argumentum ad scrutinium nequit.

95

Quaeritur 5. an casu, quo in unum non consentiunt duae electorum cardinalium partes, isti per accessum numerum requisitum complere possint? Resp. posse, ita ut novum scrutinium inchoare non sit necesse, sicut necesse est in electionibus ceteris. Colligitur ex *c. licet* 6. *h. tit.* ibi *nisi major concordia intercesserit*, et notat *Abb. ib. num.* 8. cum aliis.

Permittitur autem accessus iste etiam infirmis, etiamsi morbo impediti, ad capellam, ubi celebratur electio, venire non possint; sicut enim propterea suffragii jure non excidunt, ita neque accedere prohibentur.

Quare, ut jure hoc suo etiam ipsi uti queant, ad eorum singulos per cardinales scrutatores defertur folium, in quo nomina cardinalium, et numerus votorum in quemlibet collatorum notatus est, una cum alia schedula pro accessu parata, et arcula, in quam infirmi, et a loco scrutinii absentes vota sua inferunt, et per ejusmodi votum declarant, an, et cui velint accedere.

Accessus autem iste non est permissus, nisi semel in quovis scrutinio, ut bene cum aliis notat P. Vviest. *hic n.* 358.

96

Quaeritur 6. Utrum cardinales in tres v. g. compromittere possint ea forma, ut isti teneantur eligere in summum pont. in quem cardinalium in conclavi praesentium major pars consenserit? Resp. cum distinctione: vel enim compromissum hoc fit ea forma, et conditione, ut compromissarii teneantur eligere, in quem major pars consen-

serit, collatis in eum votis per formam scrutinii, vel in quem consenserit libere, non observata scrutinii forma.

Si primum, compromissum, et inde secuta electio invalida est; quia est electio per compromissum admixtum habens scrutinium, quod ut validum sit in electione pontificis, juxta *constit. Gregor. cit.* §. 19. requiritur, ut electio fiat per vota secreta, et in electum duae partes cardinalium consenserint.

Si secundum, valet compromissum, et electio ita celebrata. Ratio est, quia valet in aliis electionibus; *c. in causis* 30. *et c. cum dilectus* 32. *h. tit.* in compromisso autem, quo eligitur pontifex, nihil novi praescribitur: ergo etiam valebit in electione pontificis.

97

Quaeritur 7. quisnam eligi in summum pont. possit? Videtur, non posse eligi alium, nisi cardinalem; nam ita 1. statutum videtur *can. in nomine* 1. *dist.* 23. ibi: *eligatur autem de ipsius* (romanae) *ecclesiae gremio, si reperitur idoneus.* 2. Similia habentur *can. oportebat* 3. *et can. seq. dist.* 79. ubi expresse statuitur, ut *nullus unquam laicorum, neque ex alio ordine praesumat, nisi per distinctos gradus ascendens diaconus, aut presbyter cardinalis factus fuerit, ad sacri pontificatus honorem promoveri.* 3. Confirmat hoc trium saeculorum continua observantia, quo tanto tempore pontifex tantum assumptus est ex gremio cardinalium.

Sed dicendum, in pontificem posse eligi quemcumque fidelem catholicum, etiam laicum, et uxoratum, modo habeat ea, quae jure divino, et naturali ad dignitatem requiruntur. Ita Barb. *l.* 1. *jur. eccl. c.* 1. *n.* 77. *et seqq.* cum communi DD. et decisum videtur *c. licet* 6. *h. tit.* ubi *statuitur, ut sine ulla exceptione ab universali ecclesia romanus pontifex habeatur, qui a duabus partibus concordantibus electus fuerit, et receptus:* igitur etiam non poterit sic electo opponi exceptio, quod non sit de collegio cardinalium, vel clericus. *Conf.* quia ait saepius ad summum pontificatum vocati sunt, qui ante non erant cardinales; sic enim, ut Barb. *l. cit.* notat, Eugenius III. ex abbate simplici, Gregorius X. ex archidiacono, Coelestinus V. ex eremo vocatus, cum nec esset in sacris, pontifex est creatus.

Dixi *etiam laicum*, quod colligitur ex caeremoniali romanae ecclesiae, ubi forma habetur ordinandi eum, qui ex laico in pontificem assumptus fuerit. Addidi *et uxoratum*, intellige, si uxor consentiat; alias poterit eundem revocare.

Neque obstant argumenta opposita. *Ad* 1. *et* 2. juri antiquiori ibi allegato derogatum est per jus recentius; *c. licet cit. Ad* 3. observantiae illi oppono observantiam pro *conf.* allatam.

98

Quaeritur 8. an pontifex verus statim fiat, qui electionem sui a cardinalibus factam acceptavit? Resp. Distinguendum, an legitime electus fuerit, an contra.

Si primum, statim administrationem plenam, a Deo sibi immediate collatam, habet, ut statuitur *can. in nomine* 1. *vers. electus tamen dist.* 23. etiamsi nondum sit consecratus; nam consecratio tantum facit, ut exercere possit ea, quae sunt ordinis. Ratio responsionis est, quia papa non indiget confirmatione; nam confirmatio electionis fieri per superiorem debet; papa autem nullum in terris superiorem habet. Opus tamen est acceptatione ejusdem, ut conjugium spirituale, quod inter ipsum, et ecclesiam intercedit, ratificetur. Porro hoc conjugium spirituale consummatur denique per consecrationem, et coronationem, ante quam in bullis se episcopum quidem appellat, non tamen absolute, sed cum addito *electum*; tempus vero, quod inter utramque, et electionem est medium, non simpliciter *apostolatus sui*, sed *suscepti apostolatus officii* vocat, prout cum gloss. advertit Laym. *in c. licet cit. n.* 7.

Si secundum, electio cardinalium, cum invalida fuerit, jus nullum electo potest tribuere. Hinc exspectanda erit ecclesiae universalis acceptatio, quae si superveniat, defectum electionis invalidae, per cardinales factae, si desit tantum conditio jure humano requisita, sanabit, ut adeo fiat verus pontifex. Dixi *conditio jure humano requisita*; nam defectum conditionis requisitae per jus divinum ecclesia sanare non potest. Quia vero ex communi TT. est fide divina credibile, quemlibet summum pont. postquam ab universali ecclesia ut talis est acceptatus, esse verum Christi vicarium, et B. Petri successorem, nullum erit periculum, ne ecclesia consensiat in eum pontificem, qui defectum conditionis jure divino requisitae habet. Sed de hoc latius TT.

99

Quaeritur 9. an summi pont. electio valeat impugnari? Certum est impugnari posse electionem etiam omnium consensu celebratam, si electus laboret defectu, quo jure naturali, aut divino inhabilis redditur, v. g. si sit infans, amens, foemina, haereticus, vel nondum baptizatus. Ratio est, quia, ut *num. prior.* dixi, impedimenta ista ecclesia suo consensu non potest tollere, vel defectum supplere.

Dubium est, an opponi eidem possit defectus conditionis jure solum humano reddentis electionem invalidam? Ratio dubitandi est, quia quaecumque poenae, nullitates, et inhabilitates ligare non possunt pontificem, cum ille superior sit omni jure ecclesiastico: ergo etc.

Sed respondendum est cum distinctione: vel enim electo solum opponitur defectus natalium, ordinis sacri, clericatus etc. quae substantiam, et libertatem electionis non impediunt, vel contra objiciun-

tur defectus, qui tollunt substantiam, et libertatem electionis, v. g. quod sit gravi metu extorta, quod simoniaca, quod celebrata paucio-rum, quam duarum partium suffragiis, vel ab iis, qui potestate eligendi notorie carent.

Si primum, opponentes, vel opponentes non audiuntur ex *c. licet cit.* ibi *absque ulla exceptione. Si secundum*, oppositio admittitur, ut clare habetur *can. si quis pecunia* 9. *dist.* 79. *et constit.* Julii II. incip. *cum tam divino : edita in concil. later. sess.* 5.

Ad rationem dubitandi negatur, quod cum tali defectu electus sit verus pontifex, cum electio sit jure ipso invalida : igitur nihil obest, quin sic electum leges obligent ; nam etsi ligent, non ligant pontificem.

100

Quaeritur 10. an si papa quacumque ex causa fuisset electus invalide, et hoc advertant cardinales, electo invito ad alterius novam electionem possint procedere ? Resp. Si electus ut papam se gereret, et electioni renuntiare nollet, exspectanda foret sententia concilii generalis de nullitate electionis pronuntiantis, antequam cardinales ad novam electionem possent procedere, prout communiter colligunt DD. ex *concil. constant. sess.* 39. ubi de casu, quo electio est metu extorta, expresse habetur.

Post latam tamen sententiam a concilio de nullitate electionis, electio novi pontificis fieri debebit a solis cardinalibus, ut notat cum aliis Laym. *in c. licet cit. num.* 5. et dat rationem, quia cum ea eligendi potestas cardinalibus data sit a summis pont. approbantibus conciliis generalibus, absque necessitatis causa auferri eidem illa non potest.

Necessitas autem, ut Laym. *l. cit.* addit, pro ea vice auferendi cardinalibus hanc potestatem foret, si v. g. ad schisma tollendum, cui plerique eorundem faverent, expediens esset electionem a concilio generali fieri : et ita a concilii constantiensis pp. electus est Martinus V. ut refert Azor. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 13.

TITULUS VII.

De translatione episcopi.

SUMMARIUM

1 *Translationis natura.*
2 *An episcopus consecratus transferri possit.*
3 *An electus non consecratus?*
4 *Cujus authoritate transferri possint praelati alii?*
5 *An etiam authoritate capituli sede vacante?*
6 *An transferri possit invitus?*
7 *An ad dignitatem minorem.*
8 *Effectus translationis.*

1

Tertia via perveniendi ad praelaturas est translatio. Dupliciter potest accipi. 1. *specifice*, cum episcopus transfertur ab uno episcopatu ad alium. 2. *generice*, quando praelatus, vel alius quicunque beneficiarius a praelatura, vel beneficio, quod habet, transfertur ad aliam praelaturam, vel beneficium.

In hoc secundo sensu accepta definitur, quod sit alicujus personae ab una ecclesia ad aliam saecularem, vel regularem, superioris authoritate, ob causam utilitatis, vel necessitatis, facta mutatio. Ita quoad sensum DD. communiter, et colligitur ex *can. mutationes* 34. *caus.* 7. *q.* 1.

Dixi 1. *alicujus personae*, videlicet generice, et indefinite; possunt enim ita transferri non tantum episcopi, et his superiores, sed etiam inferiores praelati, et beneficiati alii quicunque, prout constat ex *c. bonae* 3. *et* 4. *de postul. c. dilectus* 19. *de praeb. c. cum venerabilis* 7. *de consuet. c. dudum* 22. *de elect. c. quaesitum.* 5. *de rer. permut. et toto h. tit.*

Dixi 2. *ab una ecclesia ad aliam*, iterum indefinite; potest enim ejusmodi translatio fieri non tantum ad majores, sed etiam ad pares, imo etiam ad minores ecclesias, licet qui a majore ad minorem, v. g. ab archiepiscopali ad episcopalem ecclesiam transire velit, non facile reperiatur, aut si reperiatur, qui velit, permittatur, ut ita transeat: et ratio est, quia id facere praesumitur non majoris fructus, aut utilitatis spiritualis gratia, sed studio avaritiae, aut ex alio fine non bono.

Dixi 3. *Superioris authoritate;* nam propria authoritate transire ab una ecclesia ad aliam nequit: et quidem si episcopus ab una sede

ad aliam transferatur, requiritur licentia summi pontificis; *c. cum ex illo* 1. *h. tit.* quia actus translationis numeratur inter causas majores, quae summo pontifici reservantur.

Dixi 4. *ob causam necessitatis, vel utilitatis:* talis erit, si praelatus in ea ecclesia, quam possidet, non possit persistere propter aeris intemperiem, plebis odium, vel persecutionem, aut quod plus boni in alia ecclesia praestiturus speretur.

2

Quaeritur 2. an episcopus consecratus authoritate papali transferri ab una ecclesia ad aliam possit? Rationem dubitandi facit *c. inter corporalia* 2. §. *cum ergo h. tit.* ubi dicitur quod *Deus spirituale conjugium, quod est inter episcopum, et ecclesiam suo tantum judicio reservaverit dissolvendum.* Conf. a paritate cum conjugio carnali, et consummato, cujus vinculum cum solvi nequeat a papa, multo minus ab eodem videtur solvi posse vinculum matrimonii spiritualis per consecrationem consummati; nam §. *cum ergo cit.* dicitur, vinculum conjugii spiritualis fortius carnali est.

Sed communis sententia affirmat ejusmodi traslationem fieri authoritate papali posse; et stat pro eadem praxis indubitata ecclesiae. Ratio est quia quandoque ad bonum universalis ecclesiae necessarium est, tales sedium mutationes fieri; *can. mutationes cit. et can. scias* 35. *caus.* 7. *q.* 1.

Neque obstat ratio dubitandi allata; nam adhuc dissolvitur conjugium hoc spirituale authoritate divina, si dissolvitur a papa; hic enim dissolutionem hanc facit potestate immediate sibi, tanquam supremo Christivicario, concessa a Christo. Quodsi contendas translationem episcoporum esse lege divina prohibitam, concedi potest id verum esse non absolute, sed solum, ne fiat sine licentia summi pont. Simile est in matrimonio rato, quod jure divino inter christianos indissolubilitatem habet, non tamen absolutam, sed conditionatam, nisi pontifex ex gravi causa illud judicaverit dissolvendum.

Ad conf. disparitas est, quia matrimonium carnale consummatum idcirco non potest ulla humana potestate dissolvi, quia significat indissolubilem conjunctionem Christi cum ecclesia, quam non significat matrimonium spirituale. Dicitur autem hoc conjugium spirituale, esse fortius carnali, tum quia dignius, tum quia efficacius est, tum etiam quia secundum quid minus solubile est; dignius est, quia est ex natura sua spirituale, cum illud solum sit elevatum ad rationem entis spiritualis: efficacius est; quia consecratione episcopi, qua conjugium spirituale consummatur, imprimitur character indelebilis animae: secundum quid minus solubile est; quia in carnali matrimonio conjuges a communi thoro, et cohabitatione mutuo consensu possunt discedere;

at si ligatus matrimonio spirituali ab ecclesia sua velit discedere, opus habet licentia papae.

3

Quaeritur 3. utrum necessaria sit authoritas papae ad translationem episcopi etiam tantum electi, non consecrati? Satis certum est, si tantum sit electus, non confirmatus, licentia papae non indigere, etiamsi petierit confirmationem, ut colligitur *arg. c. inter corporalia* 2. *h. tit.* et ratio probat; talis enim episcopatui adhuc libere, et sine authoritate superioris renuntiare potest: ergo etiam transire ad aliam ecclesiam.

Dubium moveri potest de casu, quo episcopus jam confirmatus est, licet nondum consecratus. Et in tali casu transitum fieri sine pontificia authoritate posse, suadere videtur. 1. textus *can. quoniam* 1. *dist.* 100. ubi ecclesia, quam obtinet episcopus electus, et confirmatus, sed nondum consecratus, dicitur *viduata* 2. Eodem textu dicitur, episcopum electum, si ultra sex menses consecrationem sui per negligentiam petere differat, secundum metropolitani judicium compelli posse, ut cedat: ergo idem metropolitanus poterit eundem etiam transferre ad aliam sedem, neque opus erit papae consensu. 3. *c. quanto* 3. *h. tit.* statuitur, ut episcopus, a sua ecclesia ad aliam propria authoritate transiens, utramque amittat: igitur solvere saltem vinculum conjugii spiritualis, quod inter episcopum confirmatum ratum est, propria authoritate poterit: si autem solvere, non est ratio, cur non etiam transire ad aliam ecclesiam: ergo etc.

Sed clara est decisio *c. inter corporalia cit.* pro negativa sententia; ratio ibidem datur, quod inter episcopum, ejusque ecclesiam intercedat conjugium spirituale, quod per electionem inchoatum, per confirmationem ratum, per consecrationem vero consummatum, sive perfectum censetur, ut dicitur *c. licet* 4. *h. tit.* cum igitur ad dissolutionem matrimonii carnalis rati necessaria sit authoritas papae, multo magis necessaria erit ad dissolutionem matrimonii spiritualis rati, quippe quod, ut *numer. praeced.* in fine dixi, secundum quid est minus solubile.

Argumenta in contrarium non sunt efficacia. *Ad* 1. ecclesia ibidem viduata dicitur, non absolute, et simpliciter, quasi nullum tunc sponsum habeat, sed secundum quid, sive quoad aliqua; quia episcopus talis non potest exercere ea, quae sunt ordinis: et ratione etiam viduata ecclesia dicitur, quae episcopum quidem habet, sed inutilem ad obeunda munia episcopalia. *Ad* 2. neque cessio ista fit sine authoritate romani pontificis, quippe qui vi istius canonis talem potestatem metropolitanis concessit. *Ad* 3. Episcopus sine authoritate papae ad aliam ecclesiam transiens priorem ecclesiam non amittit ipso

jure, et facto, sed in poenam temeritatis ea per sententiam judicis condemnatoriam est privandus, ut *in c. quanto cit.* cum aliis notat Abb. *n.* 13.

4

Quaeritur 3. cujus authoritate transferri possint praelati alii inferiores episcopo? Videtur, nec hos transferri posse sine authoritate papae; quia etiam inter istos, et commissas ipsis ecclesias intercedit spirituale conjugium, quod satis indicat *c. ne pro defectu* 41. ibi *ecclesia viduata de elect.*

Sed utendum est distinctione: vel enim praelati isti sunt exempti, vel non exempti. *Si primum*, ut legitime transferantur ad aliam ecclesiam, necessaria est papae authoritas, cum iste sit illorum immediatus superior. *Si secundum*, transferri possunt authoritate proximi superioris, seu proprii episcopi, ut colligitur ex *can. abbas* 8. *caus.* 18. *q.* 2. *c.* Quodsi ecclesia, ad quam fit translatio, sita sit in aliena dioecesi, necessarius erit consensus utriusque episcopi *c. admonet* 4. *de renunt. c. fin. cleric. peregrin.*

Ad rationem dubitandi inter praelatum inferiorem episcopo, et ejus ecclesiam intercedit matrimonium spirituale non verum, sed tantum quasi; nam ut s. Thom. *in* 4. *dist.* 20. *a.* 4. *quaes.* 1. notat, soli episcopi de jure communi ecclesiis suis desponsantur per annulum.

Neque obest, quod etiam praelatorum inferiorum obitu ecclesiae illorum viduatae dicantur; talis enim est illorum viduitas, quale antea fuit matrimonium.

5

Quaeritur 4. an etiam capitulum sede vacante transferre abbatem, aut beneficiatum ab una ecclesia ad aliam possit? Negat gloss. *in c. cum olim* 14. *V. capitulo de major. et obed.* Rationem dat, quia haec translatio est quaedam alienatio, et donatio personae: atqui alienationes rerum facere non potest capitulum, sede vacante *can. siquae* 42. *caus.* 12. *q.* 2. ergo multo minus personarum; majoris namque personae, quam res aestimantur *can. praecipimus* 24. *caus. cit. q.* 1.

Sed respondendum est affirmative cum communi, teste Konig. *hic n.* 5. Ratio est, quia talis translatio, vel licentiae concessio est actus purus jurisdictionis; quae autem jurisdictionis sunt, a capitulo, sede vacante, fieri possunt, ut omnium doctrina est; ergo etc.

Ad rationem glossae talis translatio in primis non est vere alienatio, cum loco praelati, vel clerici, qui praelaturam, vel beneficium deserit, protinus substituatur alius aeque utilis: aut si est alienatio, non est alienatio jure prohibita; alias etiam episcopus ejusmodi translationem non posset facere sine solemnitate canonica ad alienationem requisita.

6

Quaeritur 5. an summus pontifex possit episcopum invitum ab una ecclesia transferre ad aliam? Resp. Translatio episcopi ab una ecclesia ad aliam duos actus continet; videlicet solutionem vinculi cum priore ecclesia, et alligationem ad aliam ecclesiam.

Quoad primum satis convenit inter DD. ob causam communis utilitatis, aut necessitatis invitum absolvi posse a vinculo, quo alligatus est priori ecclesiae, ita ut ista, siquidem sic velit pontifex, hoc ipso vacet. Ratio est, quia pontifex potest dissolvere matrimonium carnale ratum, non consummatum, ex justa causa, etiam invito altero conjuge: igitur sic dissolvere etiam poterit matrimonium spirituale; nam hujus solutio magis subjecta est ejus potestati.

Quoad alterum affirmativam videntur tenere Host. et Joan. Andr. *in c. fin. de postul. praelat.* Sed melius Fagn. *in c. quanto* 3. *hoc tit. num.* 117. cum communi negat. Ratio est, quia ad valorem tam spiritualis, quam carnalis conjugii requiritur, consensus contrahentium, ut patet ex *c. cum inter* 21. *de elect.* atqui ita translatus cum ecclesia, ad quam transfertur, contrahit verum conjugium spirituale *can. sicut alterius* 39. *caus.* 7. *q.* 1. ergo opus est translati consensu. Addo tamen, casu, quo bonum publicum ecclesiae ejusmodi translationem exigit, translatum teneri consentire, et si nolit, poenis a pont. cogi posse, ut consentiat, et ex nolente fiat volens, ut colligitur ex *can. scias* 35. *caus.* 7. *q.* 2.

7

Quaeritur 6. an is, qui dispensationem accepit, ut possit transire ad majorem dignitatem, vi illius transire etiam ad minorem possit? Videtur posse ex paritate cum dispensatione super inhabilitate personae; nam habilitatus per eam ad dignitatem majorem, e. g. archiepiscopalem, hoc ipso etiam censetur esse habilitatus ad minorem, seu episcopalem: ergo pariter si dispensetur cum aliquo propter vinculum spiritualis matrimonii, ut possit transire ad digniorem ecclesiam, hoc ipso dispensatus censebitur, ut transire possit ad ecclesiam minus dignam.

Sed clara est in contrarium decisio *c. fin. h. tit.* et merito, quia indultum tale, utpote juri communi pugnans, est strictae interpretationis, ac propterea servandum ad litteram.

Ad rationem dubitandi nego paritatem. Disparitas est, quia ob vitium personae facilius dispensatur ad minorem, quam ad majorem dignitatem; at cum agitur de translatione ab una ecclesia ad aliam, facilius dispensatur ad majorem, quam minorem ob rationem allatam *n.* 1.

Quaeritur 7. quis sit effectus translationis? Resp. 1. per illam matrimonium spirituale, inter episcopum transferendum, et priorem ecclesiam contractum dissolvitur, isque ab ea omnino liberatur. *c. inter corporalia 2. h. tit. et c. bonae 4. §. fin. de postul.* Ratio est, ne alioquin translatus existat sponsus duarum ecclesiarum 2. translatus alteri ecclesiae jungitur, eandemque potestatem consequitur, perinde, acsi per electionem, aut alium legitimae provisionis modum illam obtinuisset; *c. 2. cit.* 3. per translationem prior ecclesia vacat ipso jure, quamprimum translationem, eamque acceptavit.

Dubium est, an per translationem episcopi statim vacare incipiat prior ecclesia etiamsi translatus ecclesiae, ad quam translatus est, possessionem pacificam nondum acquisiverit? Videtur tenenda negativa sententia; nam casu, quo quis promotus est a dignitate inferiore ad episcopatum, non vacant beneficia prius obtenta, donec promotus adeat pacificam possessionem episcopatus, ad quem promotus est, per textum, et DD. *in c. cum in cunctis 7. §. cum vero de election. et elect. potest.*

Sed retinenda est affirmativa, eaque communis DD. Ratio est, quia ex tunc episcopus jam est spirituali matrimonio copulatus posteriori ecclesiae: igitur ne committat spirituale adulterium, antequam secundae jungatur, dissolvi debet vinculum cum priore, vel saltem a Papa dispensatum esse, ut utramque simul retinere possit, prout dispenbsare potest, et ex praxi constat eum saepe sic dispensare.

Ex quo cadit ratio dubitandi; neque enim in praelaturis inferioritus, et aliis beneficiis urget eadem ratio, cum in his non contraha ur spirituale conjugium proprie dictum cum ecclesia, a quo prius absolvi debeat praelatus, vel beneficiarius promovendus ad episcopatum.

TITULUS VIII.

De authoritate, et usu pallii.

SUMMARIUM

1 *Quid sit pallium?*
2 *Cur sumptus dicatur de corpore B. Petri?*
3 *A quo?* 4. *Et quibus hoc concedatur?*
5 *Intra quod tempus petendum!*
6 *Quid juris per ejus traditionem consequatur archiepiscopus?*
7 *Quando, et ubi sit licitum uti pallio?*
8 *An etiam extra provinciam?*
9 *An in loco exempto?*
10 *An transferri illud ad alios possit?*

Hic titulus quasi appendix est trium priorum; quidam enim ex postulatis, electis, translatis jus pallii habent, quo quia, ut statim *num. seq.* dicam, promotus primum consequitur plenitudinem potestatis officii sui, merito praecedentibus titulis subjungitur praesens de authoritate, et usu pallii.

1

Quaeritur 1. quid sit pallium? Resp. Pallium est vestis candida, ex lana alba contexta in coronae, seu circuli modum, pectus et humeros circumiens, ac quatuor nigris, vel rubris crucibus distincta, anteriore parte nonnihil dependens. Ita Abb. *ad rubr. h. tit.* Sylv. *in summ. V. pallium*, Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 34. *q.* 1. et communiter alii. Est praecipuum archiepiscoporum insigne, et ornamentum, cujus antiquissimus usus est in ecclesia, et originem habet ab ipsis S. Petri discipulis. Haec plenitudo pontificalis officii conceditur archiepiscopo: nam sicut episcopus non habet plenum jus in suo episcopatu antequam consecratus sit, ita neque archiepiscopus plenum jus habet in sua provincia, priusquam acceperit pallium, adeo ut, licet post acceptam confirmationem, et consecrationem dici metropolitanus possit, archiepiscopus tamen appellari ante pallii receptionem nequeat; *c. nisi* 3. *h. tit.*

2

Quaeritur 2. quare pallium dicatur sumptum de corpore B. Petri? Modus hic loquendi invenitur *c. significasti* 4. *de elect.* cujus interpretes varias dant rationes. 1. quia benedicitur, et consecratur a papa super altari S. Petri, et ille, cui competit jus pallii, recipit illud de altari, si praesens est, aut alius loco ipsius, si fuerit absens. Ita

gloss. *in c. significasti cit. V. corpore assumuntur.* Potest tamen etiam alio loco v. g. ex altari cappellae pontificiae pallium recipi, ut notat Host. *in summ. num.* 3. *h. tit.* 2. Quia a solo romano pont. pallium confertur jure ordinario; ab aliis non nisi ex privilegio ejusdem. Ita Abb. *in c. significasti cit. num.* 9. 3. Quia pallium significat quasi particulam potestatis ecclesiasticae, quae in S. Petro, ejusque successoribus residet, cum alii praelati solum vocati sint in partem sollicitudinis pastoralis. Ita Laym. *in c. cit. num.* 3.

3

Quaeritur 3. a quo conferri possit, ac peti debeat pallium archiepiscopale? Resp. Olim quatuor patriarchae principales, videlicet constantinopolitanus, antiochenus, et jerosolimitanus conferre illud ex privilegio a pontifice accepto poterant suffraganeis suis, sed non ante, quam idipsum recepissent ipsimet a pontifice, eidemque fidelitatis, et obedientiae juramentum praestitissent. Nunc cum sedes istae patriarchales obtineantur ab infidelibus, etiam in patriarchis, qui solum titulum ecclesiarum suarum de facto retinent, expiravit potestas ista. Unde nunc pallium solus pontifex romanus archiepiscopis confert.

Forma verborum, qua pallii traditio fieri solet, ut refert gloss. *in c. ad honorem* 4. *V. eod. h. tit.* est talis: *Ad honorem Dei omnipotentis, et B. MARIÆ virginis, et BB. Petri et Pauli Apostolorum, et domini papae N. ecclesiae romanae, et ecclesiae talis tibi commissae, tradimus tibi pallium de corpore B. Petri sumptum, in plenitudinem pontificalis dignitatis, ut utaris eo intra ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis, ecclesiae tuae concessis a romana ecclesia, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. amen.*

4

Quaeritur 4. quibus concedatur sive conferatur pallium? Resp. pallii archiepiscopalis jus 1. competit summo pontifici, velut archiepiscopo romano, ut constat ex *c. honorem* 4. *in princ. h. tit.* idque ex antiquissima consuetudine; nam ut testis est Polydorus Virgilius *l.* 4. *de invent. rer. c.* 32. romani pontifices primis statim nascentis christianitatis temporibus eodem sunt usi.

2. Competit etiam archiepiscopis omnibus, et qui superiores sunt istis, primatibus, et patriarchis; Host. *in summ. h. tit. num.* 3. quibus papa pallium mittit, si instanter petiverint *can. quoniam* 1. *et can. seq. dist.* 100. non tamen ante iisdem datur, quam fidei cath. professionem fecerint, et sedi apostolicae fidelitatis, et obedientiae juramentum praestiterint; *can. optatum* 4. *dist. cit. et c. significasti* 4. *de elect.*

3. Ex speciali sedis apostolicae privilegio, et longa consuetudine pallium a sede apostolica mittitur, et traditur etiam quibusdam episcopis, ut ostiensi prope Romam, qui papam consecrat, et sacri col-

legii cardinalium decanus est, papiensi in Longobardia, lucensi in Tuscia, bambergiensi in Germania, dolensi in Gallia, quinque ecclesiensi in Hungaria etc. Az. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 34. *qu.* 3.

5

Quaeritur 5. intra quod tempus petendum sit pallium? Resp. Is, cui pallii jus competit, debet intra tres menses, a die consecrationis, vel si jam ante consecratus sit, a die confirmationis acceptae numerandos, pallium a pont. petere; alias si intra hoc tempus, legitimo impedimento cessante, id facere omittat, *commissa sibi dignitate, et potestate privatur, et metropolitanis aliis licentia datur, post secundam, et tertiam commonitionem viduatis ecclesiis cum consilio romani pontificis ordinando, et consecrando episcopos subvenire*, ut dicitur *can. quoniam* 1. *dist.* 100. Porro traditio pallii, ut constitutum est *extr. un. int. comm. h. tit.* non impeditur, aut retardatur per objectionem cujusvis criminis, aut defectus, *nisi objicientes firment, praestito corporali juramento, se id militiose non agere ac de objectis offerant facere promptam fidem, atque insuper ad poenam talionis, seu extraordinariam se obligent arbitrio praesidentis.* Promptam autem fidem censebuntur facere, *si* ut ibidem dicitur, *intra bimestris temporis spatium, numerandum a die collationis, ni antea probaverint legitime, quod apponunt.* Ratio hujus constitutionis est, ut *malitiis hominum obvietur*, qui facile falsis objectionibus suis efficerent, ut diutius cum magno animarum damno vacarent ecclesiae. Interim tamen *per hujusmodi traditionem* pallii, ut *ibid. in fin.* additur, *nullum praejudicium* pontifex fieri voluit *viae accusationis, denuntiationis, vel inquisitionis:* et hoc ideo, ne pallium detur, nisi dignis, et bene meritis.

6

Quaeritur 6. quid juris, aut potestatis per pallii traditionem consequatur archiepiscopus? Resp. Pallii recepti duplex effectus est. 1. Per traditionem illius confertur nomen archiepiscopale, quo nomine, ut *num.* 1. dixi, antea debuit abstinere, *c. nisi specialis* 3. *h. tit.* et ibidem DD. atque interpp. 2. Ejus concessione consequitur plenitudinem pontificalis, sive archiepiscopalis officii, quae in eo consistit, quod archiepiscopus post pallium acceptum exercere possit omnes actus, qui sunt jurisdictionis, et ordinis, cum prius, etsi confirmatus, vel etiam consecratus fuerit, non potuerit illos omnes exercere.

Sed ex hoc dubium surgit, quosnam actus ante pallii receptionem archiepiscopus exercere nequeat? Pro cujus dissolutione distinguendum est inter actus proprios muneris archiepiscopalis, et inter actus communes episcopis omnibus.

Priores, quales sunt visitare provinciam, convocare concilium provinciale etc. ante pallii receptionem exercere nequit; quia ante illam

archiepiscopus confirmatus, et consecratus jurisditionem archiepiscopalem habet quidem in aptitudine, non tamen in actu.

In *posterioribus* sub-distinguendum est inter actus jurisdictionis episcopalis, et inter actus ordinis episcopalis. Actus *communes* jurisdictionis episcopalis, quales sunt causas cognoscere, eas delegare, constituere judices, potestatem ordinandi clericos, et consecrandi episcopos committere alii episcopo etc. exercere ante pallii receptionem potest, ut patet ex *c. suffraganeis* 11. *de elect.* et ratio est, quia illos exercere potest etiam episcopus confirmatus, licet nondum sit sacerdos.

Inter actus, qui sunt *ordinis episcopalis*, iterum distinguendum est; nam actus ordinis *minus principales*, et quos peragere solet stola tantum indutus, ut est benedictio calicis, paramentorum, coemeteri etc. exercere ante pallii receptionem potest, ut bene advertit Kon. *hic num.* 14. ratione, quia pallium tantum requiritur ad dignitatem archiepiscopalem; hoc autem non videtur exercere tanquam archiepiscopus, cum illos exercere etiam possint abbates simplices.

At actus ordinis episcopalis *majores*, et quos exercere debet indutus pontificalibus, uti est confectio chrismatis, dedicatio basilicarum, ordinatio clericorum, consecratio episcoporum, benedictio abbatum, et virginum etc. exercere ante pallii receptionem non potest licite, uti constat *ex c. quod sicut* 28. §. *praeterea de elect.* ubi ratio datur, quod istos actus *non tanquam simplex episcopus, sed tanquam archiepiscopus facere videatur.* Excipitur, si extra provinciam suam invitetur ad actus istos exercendos a proprio dioecesis episcopo; ibi enim etiam actus ordinis majores licite exercere potest, modo sit consecratus, ut notat Laym. *in c.* 1. *h. tit. num.* 4. et ratio est, quia cum extra provinciam, ut *num.* 7. dicam, pallio uti non possit, actus illos exercet, non ut archiepiscopus, sed ut simplex episcopus.

7

Quaeritur 7. quando, et quo in loco licitum sit uti pallio? Resp. Solus romanus pontifex in omnibus missarum solemniis semper, et ubique pallio utitur; quia *solus assumptus est ad plenitudinem ecclesiasticae potestatis, quae per pallium significatur*, ut dicitur *c. ad honorem* 4. *h. tit.* Ceteri, quibus usus ejusdem concessus est, nec semper, nec ubique, sed certis tantum in locis, et diebus uti pallio possunt; quia tantum vocati sunt in partem sollicitudinis pastoralis.

Dies a gloss. *c. ad honorem cit. V. eod.* Host. *in summ. hic num.* 5. et aliis enumerantur sequentes: videlicet in festo nativitatis Domini, s. Joannis evangelistae, s. Stephani, in circumcisione Domini, in epiphania, in ramis palmarum, in coena Domini, in sabbato sancto, tribus diebus resurrectionis, in festo ascensionis, et pentecostes, s. Joannis Baptistae, et omnium Apostolorum; tribus, vel ut

ponit Host. quatuor solemnitatibus B. V. S. Michaelis, omnium Sanctorum: in dedicatione ecclesiarum, in festivitatibus principalioribus ecclesiae archiepiscopalis: in ordinationibus clericorum, et consecrationibus episcoporum, et in die anniversario consecrationis archiepiscopi, vel aliis juxta tenorem privilegii, quod eisdem in concessione pallii datum est. His omnibus diebus archiepiscopus uti pallio potest, non autem debet; quia non tenetur iis diebus solemniter, seu in pontificalibus celebrare: nam si iis diebus privatim et sine pontificalibus celebret, potest id facere sine pallio, ut colligitur *ex c. ad honorem cit. et can. pallium* 6. *dist.* 100. ubi tantum fit mentio de *missarum solemniis.*

Ut tempus, ita etiam locus archiepiscopis, et aliis pallii usum habentibus restrictus est. Nam 1. secluso speciali privilegio, eo uti possunt in solis ecclesiis *c. cum super* 1. *h. tit. in fin.* Hinc si in domo privata, vel sub papilione seu tentorio celebret, pallium gestare non potest, ut notat gloss. margin. *in c.* 6. *h. tit.* Excipiunt aliqui cum Laym. *in c.* 6. *cit. num.* 2. si altare portatile, quod hominum multitudinem capere non possit ecclesia, prae foribus ejusdem extruatur. Rationem dat, quia talis celebratio veluti subrogatur in locum ejus, quae in templo fieri debebat, ut proinde iisdem privilegiis gaudeat.

2. Etsi pallio archiepiscopus uti possit intra omnes ecclesias suae provinciae, ut constat *ex c. cum super cit.* non tamen potest eodem uti extra missarum solemnia, ut constat *ex can. pallium cit. dist.* 100. *can. contra* 8. *dist. ead. c. ad honorum* 4. *hic.* Excipitur, nisi aliud obtinuerit per privilegium, vel per legitimam consuetudinem; nam ut gloss. *in can. pallium cit.* notat, etiam in synodo archiepiscopus uti pallio potest.

3. Non potest archiepiscopus in pallio celebrare in missis defunctorum, nisi hoc obtinuerit ex privilegio, prout colligitur ex *c. ult. in fin. h. tit.* et ratio est, quia jure communi non potest archiepiscopus uti pallio, nisi in diebus solemnibus, in quibus pro defunctis celebrari non solet.

8

Quaeritur 8. utrum archiepiscopus extra provinciam suam, episcopus jus pallii habens extra dioecesim uti eodem possit? Rationem dubitandi facit paritas cum proconsule misso in provinciam, qui utitur suis insigniis etiam extra provinciam sibi commissam, ut dicitur *l. proconsul.* 1. *ff. de offic. procons.* et cum legato a latere summi pont. qui insignia legationis suae deportat etiam extra provinciam sibi decretam, ut suo loco dicetur.

Sed negativa aperte colligitur *ex c. cum super* 1. *et c. ex tuarum* 5. *h. tit.* quibus textibus non est contraria dispositio *c. cum sis.* 6. *cit.* ubi dicitur, archiepiscopum, *ubicunque fuerit in missarum ce-*

lebrationibus constitutus , diebus solemnibus usum pallii posse libere exercere ; cum enim jura juribus concordanda sint , textus iste intelligendus est juxta mentem *c. cum super cit.* quod usum pallii restringit ad ecclesias intra provinciam , ut proinde sensus ejusdem sit , ubicunque , seu in omnibus ecclesiis suae prinvinciae pallio uti posse.

Ad rationem dubitandi disparitas est , quia in proconsule , et legato a latere non est facta limitata concessio insignium , sicut facta est in archiepiscopo circa usum pallii.

Dubitari potest , an saltem per consuetudinem obtineri possit , ut in aliena provincia liceat uti pallio ? Videtur respondendum affirmative ; nam ut *num.* 6. dictum est , per consuetudinem obtineri potest , ut liceat pallio uti extra templa , e. g. in processionibus : igitur obtineri poterit per eandem , uti liceat uti pallio extra provinciam.

Sed dicendum, nulla consuetudine, etiam immemoriali , induci posse , absque privilegio , seu fama accepti privilegii apostolici , ut archiepiscopus extra provinciam suam gestet pallium. Ita decisum est *c. ex tuarum cit.* Ratio est , quia consuetudo , quae est extra substantiam , seu formam substantialem rei , non valet ; *arg. c. non putamus 2. de consuet. in* 6. junct. gloss. marg. *ibid.* talis est consuetudo praesens ; pallium enim , ut *n.* 3. monui , traditur sub hac forma : *tradimus tibi pallium ut eo utaris intra ecclesiam tuam :* quibus verbis usus ejusdem expresse limitatur ad ecclesias provinciae suae.

Dixi *absque privilegio etc.* nam ex speciali gratia sedis apostolicae potest concedi archiepiscopo , ut extra provinciam suam , e. g. in ordinationibus clericorum etc. pallio uti possit , uti constat *ex c. tuarum cit.* quo privilegio tamen si velit uti archiepiscopus , necessarius est consensus ordinarii illius loci , et metropolitani illius provinciae ; quia privilegium concessum alicui ita explicandum est , ut non cedat in praejudicium aliorum : cederet autem in praejudicium utriusque episcopi : dioecesani quidem , si absque ejus consensu alienus episcopus in illius dioecesi posset ordinare clericos ; metropolitani vero , si alius archiepiscopus in sua provincia absque suo consensu posset uti pallio; ergo etc.

Ad rationem dubitandi nego paritatem ; nam consuetudo ibi pro argumento assumpta nuspiam reprobatur a ss. canonibus , sicut tamen ut corruptela *c. ex tuarum cit.* reprobatur consuetudo gestandi pallium extra provinciam propriam.

9

Quaeritur 9. an pallio uti archiepiscopus , et in pontificalibus celebrare (quod ipsum dubium cum proportione formari potest etiam de episcopis) possit in loco exempto , hujus proprio rectore invito ? Videtur non posse , quia , ut *praeced. num.* dictum est , non potest archiepiscopus extra suam provinciam pallium ferre , nec episcopus ce-

lebrare in pontificalibus extra dioecesim sine consensu proprii ordinarii ; Trid. *sess.* 6. *c.* 5. *de reform.* atqui loca exempta , sita intra provinciam , aequiparantur existentibus extra illam , dicuntur non esse *de dioecesi ;* ergo etc. *Conf.* archiepiscopus , vel episcopus non potest in loco exempto causas cognoscere , degradare , ordinare clericos, chrismare etc. ergo nec celebrare in pontificalibus , et pallium gerere.

Sed haec non obstant sententiae affirmanti , licitum esse utrumque , quod colligitur , ex *Clem.* 2. *de privileg.* ubi episcopo , et archiepiscopo expresse conceditur usus pontificalium in loco exempto, neque fit exceptio pallii. Ratio est , quia hujusmodi celebratio , etiam cum pallio , respicit dignitatem , et honorem sine administratione jurisdictionis ; atqui ea , quae dignitatem , et honorem respiciunt tantum , ubique permittuntur episcopis in sua dioecesi , archiepiscopis in sua provincia ; *Clem. cit.* ergo etc.

Ad argumentum contrarium negatur paritas ; quia locus exemptus, licet non sit de dioecesi , est tamen in dioecesi : neque aequiparatur locis existentibus extra dioecesim quoad omnia , sed tantum quoad usum jurisdictionis , et officii. *Ad conf.* iterum negatur paritas ; nam actus ibi recensiti sunt actus non tantum ordinis , sed etiam jurisdictionis , quos exercercendo in locis exemptis , invitis eorum rectoribus , violare censeretur privilegium exemptionis.

10

Quaeritur 10. an pallium ad alios transferri possit ? Resp. negative , ut constat *ex c. ad hoc* 2. *h. tit.* Ex quo *sequitur* 1. non posse archiepiscopum commodare pallium suum alteri archiepiscopo , ut dicitur *c. cit.* ubi ratio redditur , quia pallium personam non egreditur , sed cum eo sepeliri debet. *Neque obstat* , quod jus pallii petendi a sede apostolica adhaereat dignitati archiepiscopali , et cons. censeri debeat esse privilegium reale ; nam hoc non obstante , concessio pallii ipsa fit personae , et sic gestatio pallii est veluti privilegium personale.

Sequitur 2. si archiepiscopus authoritate pontificia transferatur ad alium archiepiscopatum , non posse illum uti eodem pallio , quo in priore ecclesia usus est , sed aliud petere , et exspectare debet *c. bonae* 4. *in fin. de postul. praelat.* Ratio est , quia licet concessum personae sit , et propterea archiepiscopus translatus illud secum transferre debeat , concessum tamen eidem est cum restrictione ad certum locum , sive in ordine ad ecclesias certae provinciae , ut patet in archiepiscopo , qui renuntiat loco , seu ecclesiae archiepiscopali ; is enim perdit usum pallii *c. ad supplicationem* 9. *de renunt.*

Sequitur 3. neque successorem translati episcopi uti posse priore pallio ; quia ut paulo antea dictum est , translatus illud secum transferre debet , et cum eodem sepeliri , ita ut vel induatur utroque, vel

potius pallio posterius accepto induatur, alterum vero corpori, seu capiti ejusdem subjiciatur, ut notat Abb. *in c.* 2. *cit. n.* 2.

TITULUS IX.

De renuntiatione.

Quarta demum via perveniendi ad praelaturas est renuntiatio; dum enim prior praelaturae possessor eam per renuntiationem dimittit, occasionem novae collationi praebet. Sit ergo

§. I.

De natura, et varietate renuntiationis.

SUMMARIUM

1 *Definitio renuntiationis.*
2 *Ejus divisio in tacitam.*
3 *Et expressam.*
4 *Renuntiatio metu extorta valet, quamvis sit rescindenda.*
5 *Idem dicendum de extorta fraude, vel dolo.*

1

Quaeritur 1. quid sit renuntiatio? Resp. renuntiationem dupliciter posse accipi. 1. *Late* pro spontanea, seu libera cujusque juris proprii remissione: et in hoc sensu dicitur, quod liberum cuique sit juri suo renuntiare, dummodo id fiat sine praejudicio alterius, sive hominis privati, sive ecclesiae, sive communitatis. 2. *Specifice* pro remissione juris, quod quis habet in beneficio ecclesiastico. Haec pluribus vocibus synonimis, idemque significantibus in jure appellari solet; nam aliquando vocatur resignatio, aliquando cessio, et aliquando etiam ejuratio. *Definiri solet*, quod sit spontanea, et libera dimissio beneficii proprii, ex justa causa facta coram legitimo superiore eam acceptante. Duplex esse potest, tacita, et expressa. Et hinc

2

Quaeritur 2. Quid sit renuntiatio *tacita*? Resp. Est, quae non verbis, sed facto, beneficii cessionem vel ex natura sua, vel ex interpretatione juris annexam habere, inducitur. Hujusmodi actus, et facta sunt. 1. si beneficiarius, etiam in minoribus tantum constitutus, matrimonium contrahat; *c. siquis* 1. *c. quod a te* 3. *etc. de cler.*

conjug. 2. Si solemniter professus sit religionem *c. beneficium* 4. *regular. in* 6. 3. Si factus sit miles ; gloss. *in c. fin. V. redierint de cler. non resident.* 4. Si consecutus sit pacificam , et fructiferam possessionem alterius beneficii incompatibilis cum priore ; *c. de multa* 28. et *extrav. execrabilis Joannis XXII. de prebend.* 5. Si post obtentum beneficium curatum intra annum ad sacerdotium non promoveatur ; *c. licet* 14. *de elect. in* 6. 6. Si lite super beneficio mota acceptat secundum , quod cum primo retinere non poterat ; gloss. *in Clem. gratiae* 4. *renuntiare de rescript.* 7. Si patiatur ab alio beneficium possideri per triennium *regul. cancell. de triennal. posses.* 8. Denique quotiescumque aliquid facit , cui a jure annexa est privatio beneficii etc. Habent hi actus vim tacitae renuntiationis ob praesumptionem juris , quod in his casibus ex actibus memoratis praesumit voluntatem renuntiandi beneficio , et ob eam praesumptionem hos exercentes beneficiis suis privat.

3

Quaeritur 3. quid sit renuntiatio *expressa ?* Resp. Est illa , qua beneficii dimittendi voluntas verbis , vel scripto juxta formam a jure praescriptam , legitime declaratur. Et est duplex , una pura , seu simplex et absoluta , altera conditionalis. *Pure et simpliciter* fieri dicitur , quando fit in manibus superioris , sine ulla pactione , conditione , vel modo , ita ut iste (nempe superior) beneficium illud , tanquam vacans , statim conferre valeat , cui voluerit.

Conditionalis est , quae fit sub certa conditione , pacto , et modo. Et haec rursum quatuor modis fieri potest 1. *in favorem certae personae , et non alias , nec alio modo ,* ut cum quis beneficio sese abdicat , hac clausula , seu conditione adjecta , ut illud beneficium conferatur v. g. Titio consanguineo resignantis.

2. *Cum reservatione fructuum , vel pensionis constitutae in beneficio resignato , vel persona , cui fit resignatio ,* ut cum parochus senex , et impotens ad administrandam parochiam illam renuntiat, reservando sibi cum superioris licentia portionem fructuum , ut habeat , unde sese sustentet.

3. *Reservato regressu , ingressu , vel accessu. Regressus* reservatur , cum reservat sibi resignans jus , ut possit ad beneficium redire casu , quo ille , cum resignatio facta est , praemoriatur. *Ingressus* reservatur , siquis collatum sibi beneficium , cujus possessionem nondum adiit , resignet alteri ea conditione , ut praemortuo resignatario , ipse propria authoritate possit ingredi , sive accipere possessionem beneficii resignati. *Accessus* reservatur , cum beneficium , destinatum puero ob aetatem incapaci , confertur interea alteri ea conditione , ut post legitimam aetatem puer iste propria authoritate possit accedere , et occupare tale beneficium.

4. Denique conditionalis renuntiatio fit *ex causa permutationis*, nempe cum quis beneficium suum dimittit ea conditione, ut alterius beneficium simile, vel dissimile sibi conferatur; tunc enim unus beneficium suum commutat cum alterius beneficio, et uterque suo se abdicat, ut alterius acquirat. An omnes isti modi renuntiationis conditionalis sint liciti, et jure approbati infra dicetur.

4

Quaeritur 4. utrum valeat renuntiatio beneficii extorta metu gravi injuste incusso? Invalidum esse ipso jure contendunt Host. *in c. ad aures* 3. *de his, quae vi etc.* Gonzal. *in c. ad audientiam* 4. *eod. n.* 2. Pont. *l.* 4. *de matr. c.* 8. *n.* 16. Fundantur 1. textu *c. ad aures cit.* ubi statuitur, eum, qui renuntiavit electioni *ob terrorem laicorum non impediri, quo minus ecclesiae, ad cujus regimen prius erat electus, praeficiatur eidem:* igitur nulla est illa renuntiatio, cum jus per electionem quaesitum non tollat; 2. *c. ad audientiam cit. eod. tit.* Innocentius III. mandat, eum, *qui gravissimo regis metu coactus fuit ad resignandam ecclesiam, quam canonice adeptus fuit si constiterit, talem fuisse metum, qui potuerit, et debuerit cadere in virum constantem, ad praefatam ecclesiam restitui;* et addit causam *quia, quae vi, metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis.* 3. Idem decernitur *Clem.* 2. *de poenis;* nam ibi Clemens V. statuit, *resignationes beneficiorum, modo supradicto extortas, licet a resignantium ipsorum praelatis receptae, aut ratae habitae fuerint, nullius omnino esse firmitatis.* 4. Idipsum videtur probare paritas cum electione, quae, si vi, metuve facta sit, nulla, et irrita est per *c. ubi periculum* 3. *de elect. in* 6.

Verum his non obstantibus, dicendum, etiam renuntiationes metu factas, licet rescindi valeant, ipso tamen jure subsistere. Ita Abb. *in c. ad aures cit. nu.* 5. Flamin. *de resign. l.* 13. *q.* 2. *n.* 8. Vall. *de benef. l.* 3. *tit.* 13. *num.* 16. et communior ceterorum. Ratio est, quia metu facta renuntiatio hoc ipso, quod voluntaria et libera sit, irrita non est jure naturali, et nullo etiam juris textu irritata: ergo sicut alii plerique actus metu gesti sunt validi, ita etiam renuntiationes.

Nequae aliud probant argumenta adversae sententiae. *Ad* 1. ibi solum dicitur, renuntiantem ita ex metu non impediri, quin praeficiatur ecclesiae, ad quam electus est, non tamen dicitur praefici eum posse sine nova collatione et etiamsi hoc adderetur, non tamen bene hinc inferretur, beneficium non fuisse amissum; ipsa enim restitutio in beneficium, contra renuntiationem metu extortam facta, est nova collatio tituli per ejusmodi renuntiationem amissi. *Ad* 2. firmitatem etiam non habet renuntiatio valida, si propter metum per sententiam rescindi possit, ut cum aliis recte observat P. Yviestner *hic n.* 4. *ad* 3.

Clem. cit. loquitur de speciali casu, quo renuntiatio extorta fuit injusta detentione, et incarceratione: quo modo extortos actus a jure specialiter irritato dicemus *tit.* 40. *n.* 19. *arg. l. qui in carcerem* 22. *ff. quod vi, met. caus. Ad* 4. negatur paritas; nam quod electio metu extorta sit ipso jure irrita, speciali jure cavetur, ut patet *c. ubi periculum cit.* et iis, quae dicta sunt *tit.* 6. *num.* 65. *et* 66. jus adeo clarum circa nullitatem renuntiationis metu extortae nullum extat.

Quaeritur 5. quid dicendum de renuntiatione extorta fraude, vel dolo? Rebuff. *tit. de resignat. dol. fact. num.* 4. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 2. §. 5. *num.* 8. cum quibusdam aliis putant, renuntiationem hujusmodi esse ipso jure nullam, ex ratione, quia deceptio tollit omni modo libertatem, quam metus diminuit. Sed hoc argumentum solvendum est in omni contractu doloso, circa quem communis sententia distinguit, irritum illum esse ipso jure, si dolus afficiat ejus substantiam, secus, si circumstantiam.

5

Quare etiam in renuntiatione dolo extorta dicendum, nisi dolus versetur circa substantiam ejusdem, illam validam esse ipso jure, quamvis ad instantiam renuntiantis, si hic dolum probaverit, sit rescindenda. Ita Flamin. *l.* 13. *de resignat. q.* 3. *a num.* 1. Vallens. *de benef. l.* 3. *tit.* 14. *num.* 1. *et seqq.* Wiestner *hic num.* 5. Quod non sit omnino irrita, patet, quia si dolus non afficiat substantiam illius, ipsa quoad substantiam adhuc libera est, et consequenter habet id, quod jure naturae ad valorem ejusdem requiritur, et sufficit. Quod vero sit rescindenda, sumitur a paritate cum ea, quae est extorta metu; dolus enim, et metus aequiparantur; *c. cum contingant* 28. *de jurejur.* Accedit, quia ss. canones abhorrent vitiosum ingressum in beneficia, ut patet ex *c. un. de eo, qui mittit. in possess. in* 6. non potest autem esse ingressus magis vitiosus, quam ille, ad quem dolosa inductio ad renuntiationem complanavit ingredienti viam: igitur cum malitia sua nemini prodesse debeat, merito ejusmodi renuntiatio rescissioni subjicitur.

§. II.

De beneficiis, quae resignari possunt, vel non possunt.

SUMMARIUM

6 *Quenam beneficia resignari possint?*
7 *An etiam patronata, electiva etc.*
8 *An illud, ad cujus titulum quis ordinatus est?*
9 *Vel quo quis privatus est ob crimen?*
10 *Quid si privandus tantum sit per sententiam?*
11 *Quomodo renuntiari valeant pensiones?*

6

Quaeritur 1. quaenam beneficia resignari possint? Resp. Resignari possunt beneficia omnia, cujuscunque sint generis, vel qualitatis, nisi specialiter aliquo jure scripto illud prohibeatur; Azor. *p.* 2. *lib.* 7. *c.* 25. *q.* 1. Flam. *de resignat. l.* 2. *q.* 1. *num.* 1. *et seqq.* Pirh. *hic num.* 12. Konig *num.* 12. Wiest. *num.* 12. et alii communiter. Ratio est, quia quilibet renuntiare juri sibi competenti potest, etiam in spiritualibus, si hoc jus pro ipso principaliter introductum est: tale jus habet clericus in beneficio: ergo etc.

Quamvis autem hoc verum sit, discrimen tamen faciendum est inter beneficia; nam resignationes beneficiorum simplicium facile admitti debent ab ordinariis, difficilius resignationes ecclesiarum parochialium, majori adhuc difficultate resignationes praelatorum, qui ordinariam, et generalem jurisdictionem, obtinent, uti sunt abbates, et praelati regulares; et denique multo adhuc difficilius admittuntur resignationes episcoporum, qui arctissimo, et indissolubili conjugii spiritualis vinculo suis ecclesiis sunt adstricti, adeoque non recipiuntur, nisi ex gravibus causis; *c. nisi cum pridem* 10. *h. tit.*

Addidi *nisi specialiter aliquo jure scripto illud prohibeatur.* Tale est 1. ad cujus titulum quis est promotus ad ss. ordines, saltem si resignans aliunde non habeat, unde commode sustentetur, ut constat ex trident. *sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.* ubi resignatio, quae facta est, tali qualitate non expressa, irritatur, ne cum sacri ordinis dedecore clericus resignans mendicare, vel sordidum aliquem quaestum exercere cogatur. 2. Beneficium unitum alicui collegio clericorum, monasterio religiosorum, aut seminario studiosorum; nam hujus renuntiatio, etiam coram pontif. facta, nullius momenti est, nisi in litteris sit facta mentio unionis, prout colligitur ex trid. Ratio est,

quia per unionem collegio, monasterio etc. est acquisitum jus ad beneficium sibi unitum, cui per hujusmodi resignationem praejudicaretur. 3. Beneficium litigiosum; nam etsi istud in favorem collitigantis renuntiari possit, non tamen in favorem alterius tertii, ut habetur *c. si ii* 2. *ut lit. pend. in* 6. ne, ut ibidem dicitur, *propter novos adversarios (qui malitiose interdum petitoribus subrogantur) litigia in ecclesiarum dispendium prorogari contingat.* 4. Beneficium in commendam temporalem datum; nam quamvis istud renuntiari possit simpliciter, non tamen in favorem, quippe cum is, qui illud in commendam sic habet, administrationem duntaxat, non jus, et titulum in eo habeat. 5. Beneficia per intrusionem sine titulo canonico obtenta, uti etiam, quae quis ex juris dispositione, vel per sententiam judicis, quae transiit in remjudicatam, amisit; quia renuntiatio est dimissio proprii beneficii. Beneficia autem canonice non obtenta propria non sunt; ea vero, quibus quis ipso jure vel per sententiam privatus est, propria esse desierunt: ergo etc.

7

Quaeritur 2. an resignari possint beneficia patronata, electiva, vel reservata summo pontifici? Resp. posse, modo horum, quorum interest, consensus requiratur. Adeoque si beneficium reservatum papae in favorem alicujus tertii resignetur, accedere debet consensus papae; si electivum, consensus eligentium; si patronatum, consensus patroni. Ita Vivian. *de jur. patron. l.* 13. *c.* 10. *n.* 24. *et* 28. Barb. *jur. eccl. l.* 3. *c.* 15. *n.* 142. *et* 145. Flamin. *de resign. l.* 2. *q.* 24. *n.* 4. et alii passim. Ratio est, quia, ut ex communi advertit P. Vviestner *hic num.* 13. quando resignatio fit in favorem tertii, vel ex causa permutationis, requiri debet consensus eorum, quorum interest: atqui vel maxime interest papae, ne beneficium ipsi reservatum, electorum, ne electivum, patronorum, ne patronatum sine ipsorum consensu resignetur in favorem tertii, vel ex causa permutationis, quippe quorum jus per ejusmodi resignationem, et permutationem laeditur; ergo etc. Estque hoc ita verum, ut, quemadmodum DD. *citt.* cum aliis communiter docent, resignatio aliter facta sit nulla, non quidem ipso jure, sed per sententiam ad instantiam patroni, electorum etc. praeteritorum rescindenda.

Porro id, quod dictum est de jure patronatus, et consensu patroni requirendo, extendendum est etiam ad casum, quo unus habet jus nominandi aliquem ad beneficium vacans, alter vero jus praesentandi, ita ut quem prior nominavit, iste debeat praesentare, prout in pluribus Germaniae locis consuetum est; nam utriusque consensus eo casu est requirendus, patroni quidem, ut patet ex modo dictis; nominatoris autem, quia ejus nominatio reipsa, et in effectu est praesentatio, praesentatio vero hanc subsecuta potius est nominationis prius factae

executio, ut optime notant Leurenius *for. benefic. p.* 2. *q.* 10. *n.* 2. Lott. *l.* 2. *q.* 15. Pirh. *de election. n.* 4. Vviestner *ibid. n.* 8.

Addidi *in favorem tertii, vel ex causa permutationis;* nam simpliciter, et pure haec beneficia, etiam sine consensu papae, electorum, et patronorum resignari, et resignationis illorum sic factae etiam ab ordinariis admitti possunt, modo sine praedictorum consensu, ab his non conferantur aliis, ut bene cum aliis notat Pal. *tr.* 13. *D.* 5. *p.* 4. §. 2. *n.* 5. et rationem dat, quia in resignatione pura non praejudicatur patrono, bene tamen in collatione sine ejus consensu facta.

8

Quaeritur 3. an valeat resignatio beneficii, ad cujus titulum aliquis ordinatus est, si resignans aliunde habeat sustentationem congruam, et qualitatis istius in supplicatione, superiori pro renuntiationis admissione oblata, mentionem non fecit? Pro valida illam saltem in foro conscientiae interno habent Flamin. *l.* 2. *q.* 6. *n.* 41. Navar. *cons.* 23. *de praebend. in fin.* et quidam alii. Rationem dant, quia talis jam videtur satisfecisse intentioni PP. trid. prohibentium ejus resignationem.

Sed retinenda est sententia negativa, quam praeter alios docent Garc. *de benef. p.* 2. *c.* 5. *per totum,* maxime *a n.* 214. Barb. *de offic. et potest. episc. alleg.* 19. *num.* 35. Pal. *tr.* 13. *D.* 5. *p.* 4. §. 2. *num.* 6. Ratio est, quia a memorato concilio ad formam, et valorem resignationis hujusmodi beneficii simul requiruntur duo, scilicet ut in ea mentio fiat dictae qualitatis, et ut clerico resignanti de congrua sustentatione provisum sit aliunde: unde alterutro deficiente, deficiet etiam renuntiationis valor.

Ad argumentum oppositum: Esto fini concilii tali casu sit satisfactum, non tamen satisfactum est ejus dispositioni: imo nec fini ejusdem, et intentioni satisfit; neque enim concilium, ut bene notat Pal. *l. cit.* mentionem illius qualitatis expostulavit in resignatione facienda eo solo fine, ut ordinatus haberet, unde commode posset vivere, sed etiam, ut ita firmiter haberet, ut non posset se ea commoditate privare.

9

Quaeritur 4. an omnino invalida sit resignatio beneficii, quo quis ob crimen (vel alio modo, e. g. professione religiosa, vel assecutione alterius beneficii incompatibilis) ipso jure privatus est? Non conveniunt DD. nam Less. *l.* 2. *de J. et J. c.* 35. *num.* 290. Sanch. *l.* 2. *moral. c.* 26. *num.* 9. Pal. *tr.* 13. *D.* 5. *p.* 4. §. 2. *num.* 13. cum aliis volunt ejusmodi renuntiationem, si facta illa sit ante sententiam declaratoriam criminis, et privationis ex illo incursae, esse validam, et resignatio jus parere in beneficio, quamvis, lata illa sententia, rescindi possit. Rationem dant, quia clericus non perpetratione criminis, sed lata primum sententia declaratoria, possessionem be-

neficii, et jus in illo perfecte amittit: igitur donec haec ei per sententiam auferatur, transferre jus istud adhuc per resignationem potest in alium.

Sed recedendum non est a communi sententia, quam praeter alios defendunt Felin. *in c.* 32. *de rescript. num.* 38. Flamin. *l.* 3. *q.* 1. *a num.* 20. Garc. *de benef. p.* 111. *c.* 3. *nu.* 124. et apud hos plurimi alii, juxta quos ejusmodi renuntiatio, etiam ante sententiam declăratoriam in favorem tertii facta, est omnino invalida. Patet ex definitione resignationis *num.* 1. data; nam resignatio beneficii est dimissio libera beneficii proprii: tale non est amplius beneficium, quo quis ob culpam ipso jure privatus existit; nam a momento criminis perpetrati amittitur ejus titulus, et proprietas; ergo etc.

Neque obstat allata in contrarium ratio; quia si haec aliquid probaret, probaret solum, quod resignans tali casu transferre possit id solum, quod ipsi ex beneficio superest, nempe possessionem ejusdem: atqui hanc transferre in alium nequit; quia beneficii possessio sine titulo licite non obtinetur per *reg. beneficium c. de R. J. in* 6. ergo etc.

10

Quaeritur 5. an criminosus beneficium suum resignare alteri possit, quando ob crimen non est privatus ipso jure, sed solum privandus per sententiam? Videtur respondendum negative, saltem casu, quo is jam est accusatus de tali crimine: idque ex duplici ratione, partim quia tale beneficium censetur esse litigiosum; partim vero quia tali resignatione praejudicatur ordinario, quippe qui sic impeditur a libera collatione ejusdem.

Sed his non obstantibus, communis doctrina est gloss. *in c.* 2. *V. finita ut lit. pend. in* 6. Flam. *l.* 3. *qu.* 16. *num.* 1. Garc. *p.* 11. *de benef. cap.* 3. *num.* 64. et aliorum, hujusmodi beneficium ante privationis sententiam non tantum simpliciter, sed etiam in favorem tertii, et ex causa permutationis renuntiari posse. Ratio est, quia quamdiu sententia ista lata non est, beneficiarius jus adhuc in beneficio habet. Proceditque hoc, quamvis alius beneficium illud jam impetraverit in eventum privationis, et renuntians sciverit ita impetratum esse; utitur enim jure suo, ideoque nullam fraudem censetur committere. Neque necessarium est eo casu, ut fiat mentio criminis, accusationis, vel sententiae privationis ex eo crimine imminentis; quia talem mentionem faciendam esse, neque ex stylo curiae constat, neque ullo jure cautum reperitur, ut notat Garc. *l. cit. num.* 121.

Ad argumenta contraria facilis est responsio. *Ad* 1. ejusmodi beneficium litigiosum non est, prout decisum a rota testatur Barb. *de offic. episc. alleg.* 69. *n.* 9. et probat ratio; nam litigiosum beneficium tum fit, quando lis movetur super ejusdem titulo, vel possessione, quod non contingit in casu praesente. *Ad* 2. ordinarius ante

sententiam privationis jus quaesitum ad collationem beneficii nullum habet : igitur dum criminosus illam antevertit resignando , praejudicium illi proprie dictum non creat.

11

Quaeritur 6. utrum renuntiari in favorem alterius possint pensiones , quae jure , ac titulo beneficii ecclesiastici sunt constitutae ? Quod simpliciter renuntiari possint , clarum est ; nam juri pro se principaliter introducto quilibet potest cedere.

Majus dubium est , an renuntiari possint in favorem tertii distincti a beneficiario , in cujus beneficio constituta est pensio ? Videtur posse. 1. quia in jure canonico etiam pensio quandoque venit nomine beneficii ; *c. ad audientiam* 31. *de rescript.* ibi *recipientes ab eis annuas pensiones , seu alia beneficia :* dictio autem *alia* est implicativa similium. 2. Pensio saltem succedit in locum beneficii ; subrogatum autem sapit naturam ejus , cui est subrogatum : ergo sicut beneficia in favorem tertii regulariter renuntiari possunt , ita et pensiones. 3. In impetratione beneficii mentio etiam facienda est pensionis , ita ut subreptitia sit impetratio , si pensionis , quam habet impetrans , mentionem non fecerit , non secus , ac quando mentio non est facta de beneficio ante obtento : igitur hoc ipso inter beneficia computari debet.

Sed contrarium omnino dicendum , scilicet pensiones ejusmodi non posse resignari in favorem tertii. Ita cum aliis Pirh. *hic num.* 17. Ratio est , quia pensio non est proprie dictum beneficium , sed onus temporale , quod propterea etiam laico conferri potest. Excipitur , si accedat licentia superioris ; hac enim interveniente , in alios pensiones transferri possunt.

Argumenta contraria non multum urgent. *Ad* 1. Dictio *aliae* quandoque est repetitiva dissimilium , ut patet ex *Luc.* 19. ibi *crucifixerunt eum , et duos alios latrones cum eo.* Hinc non sequitur ex textu dato , quod pensiones contineantur sub nomine beneficii proprie dicti. *Ad* 2. Vulgare illud pronuntiatum tantum procedit , quando in subrogato eaedem sunt qualitates , et conditiones , quae in principali , cui subrogatur : at pensio habet diversas qualitates a beneficio : et idcirco , quando mandatur alicui provideri de beneficio , non potest vigore talis mandati illi provideri de pensione , nisi de hac in litteris expressa fiat mentio ; *c. quamvis* 4. *de praebend. in* 6. *Ad* 3. In impetratione beneficii de multis aliis mentio fieri debet , quae tamen non sunt beneficia.

§. III.

De personis, quae beneficia resignare possunt, vel non possunt.

SUMMARIUM

12 *Quinam beneficia resignare possint?*
13 *An renuntiare possit pontifex papatui?*
14 *An clericus minor 25. annis?*
15 *An religionis novitius?*
16 *An infirmus?*
17 *Quomodo computandi sint 20. dies requisiti pro valore resignationis factae ab infirmo?*
18 *An dies vigesima inchoata haberi debeat pro completa?*

12

Quaeritur 1. quinam beneficia resignare possint? Resp. Regulariter hoc permissum est omnibus, qui specialiter a jure non prohibentur. Prohibentur autem 1. furiosi, et mente capti; quia carent judicio et consensu, propter cujus defectum etiam alios actus legitimos exercere nequeunt; estque resignatio ab ipsis in amentia, et furore facta ipso jure nulla, ita, ut cum ad sanitatem, et rationis usum pervenerint, beneficium sic resignatum repetere valeant; *arg. c. super hoc* 5. *h. tit.*

2. Clerici constituti in ordinibus sacris, si non habeant, unde postea sustententur, etiamsi ad beneficia illa ordinati non sint; S. Pius V. *in constit.* quae incipit *quinta, edit.* 1. *april.* 1568.

3. Clerici, qui jus ad rem solum ad beneficium habent, ut sunt electi, praesentati, et habentes gratiam exspectativam; hi enim licet hoc suo jure simpliciter possint cedere, ipsum tamen beneficium, vel praelaturam resignare in favorem tertii, vel causa permutationis nequeunt; Flamin. *l.* 2. *q.* 23. *an.* 1. et ratio est, quia ante confirmationem, vel institutionem canonice obtenta, et propria non sunt, cum nondum acquisitus sit titulus in iisdem.

4. Qui ob crimen privati sunt ipso jure beneficiis suis; quia hi, ut *num.* 9. dictum est, quamvis usque ad sententiam declaratoriam criminis retinere possessionem beneficii possint, jus tamen ejus, et titulum facto ipso amittunt.

5. Privati per sententiam judicis, intrusi, et alii similes, uti etiam qui ad beneficium cum prius obtento incompatibile promoti sunt, ob rationem allatam.

13

Quaeritur 2. an renuntiare papatui suo possit pontifex? Ratio dubitandi est, quia renuntiatio debet fieri in manibus superioris. Sed papa non habet superiorem in terris, qui solvat vinculum conjugii spiritualis, quod intercedit inter ipsum, et universalem ecclesiam, sicque renuntiationem ejusdem admittat: ergo etc.

Sed clara est decisio *c. quoniam* 1. *h. tit. in* 6. ubi Bonifacius VIII. approbat constitutionem Coelest. V. statuentis, etiam pontificem renuntiare papatui posse libere, et *ne statutum ejusmodi per temporis cursum oblivioni dari, aut dubitationem eandem in recidivam disceptationem ulterius deduci contingat, ipsum inter constitutiones alias ad perpetuam rei memoriam referendum constituit.* Decisionem istam confirmat exemplum ejusdem Coelestini, dum reipsa renuntiavit papatui, et praeterea etiam ratio; cum enim aliis episcopis, et praelatis ecclesiasticis ob salutem animae suae, et utilitatem ecclesiarum suarum permissum sit renuntiare, multo magis permissum id esse debet pontifici romano ob utilitatem totius ecclesiae.

Neque opus est eo casu, ut consensum renuntiaturo pontifici praestent cardinales, sed sufficit simplex declaratio voluntatis, qua exprimat se velle papatui cedere. Ut tamen licite renuntiationem faciat, requiritur justa causa: sine hac enim, licet valide fiat, peccat tamen; quia arctissimo vinculo ab ipso Deo imposito obligatus est ecclesiae universali, quod temere non debet solvere.

Neque obstat ratio dubitandi allata in contrarium; nam cum pontifex sit omni jure humano superior, illius renuntiatio alicujus superioris admissione non indiget. Ad id, quod additur de vinculo conjugii spiritualis, dicendum, idem vinculum solvi a pontifice, potestate a Christo accepta, eaque generali, qua datum est ipsi facere omne illud, quod ad rectam gubernationem ecclesiae necessarium est.

14

Quaeritur 3. de clerico minore 25. annis? Et quidem si impubes sit, h. e. 14. annis minor, et beneficium ecclesiasticum ex dispensatione obtineat, patet quod resignare illud sine authoritate tutoris, causae cognitione, et decreto superioris nequeat: et ratio est, quia pupillus sine tutore agere nihil potest; *c. ex ratione* 2. *de aetat. et qualit. c. fin. de judic. in* 6.

Idem videtur dicendum de pubere; nam etiam huic necessaria est auctoritas curatoris ad faciendam alienationem: est autem alienationis quaedam species resignatio: ergo etc.

Sed dicendum est, clericum, qui minor quidem est 25. annis, major tamen 14. sine curatoris consensu resignare beneficia posse, quae obtinet, quamvis, si per ejusmodi renuntiationem graviter laesus sit, sit locus restitutioni in integrum prout dicetur infra *tit.* 41. *n.* 15. Ita

canonistae communiter teste Pirh. *hic num.* 22. Ratio est, quia clericus minor 25. annis, major tamen 14. in beneficialibus, et aliis causis spiritualibus, et ab his dependentibus habetur pro majore *c. fin. de judic. n.* 6. hinc pro hujusmodi causis in judicio stare, et tum in hoc, tum extra illud exercere actus omnes sine curatore potest, sicut major 25. annis.

Ex quo labitur argumentum in oppositam partem.

15

Quaeritur 4. de religionis novitio? Huic perinde, ut ceteris clericis permissam esse resignationem beneficii, durante probationis tempore, eoque toto, contendunt Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 9. *n.* 11. *et seqq.* Barb. *de offic. et potest. episc. alleg.* 99. *n.* 19. Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 2. §. 3. *n.* 15. ex ratione, quia ab antiquo jure non est recedendum, nisi aliud jure novo sit expressum: atqui jure antiquo permissum erat novitio resignare beneficia intra tempus probationis, illudque totum indistincte, prout patet *ex c. ex transmissa* 3. *hic et c. beneficium* 4. ibi *nisi accedat ipsius novitii assensus*, *de regul. in* 6. neque huic juri derogatum est per trid. *sess.* 25. *c.* 16. *de regularib.* quia hoc tantum loquitur de renuntiatione bonorum temporalium, ut colligitur ex textu ibi *in favorem cujuscunque causae piae*, qualis esse non potest translatio beneficii: ergo etc.

Sed dicendum, probabilius renuntiationem beneficii, a novitio factam ante duos ultimos menses anni probationis, non esse validam; imo etiam intra hos factam effectum non sortiri, nisi secuta professione. Ita Flam. *l.* 3. *q.* 13. *a nu.* 4. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 20. *q.* 6. Tamb. *de jur. abbat. D.* 6. *q.* 10. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 25. Vviestner *n.* 36. et ab his *cit.* Deducitur clare ex textu trid. *cit.* nam ibi generaliter renuntiationes quascunque ante duos ultimos probationis menses factas annullat: cons. etiam renuntiationes beneficiorum. Ratio est, quia ceteras renuntiationes annullavit trid. ne novitius ob renuntiationem temere factam minus liber sit ad recedendum a religione, quem recessum toto probationis tempore liberrimum esse voluit: atqui non minus libertatis recessui obest renuntiatio beneficii a novitio facta, praesertim si aliunde congruam sustentationem non habeat: ergo etc.

Ad rationem oppositam, trid. *l. cit.* non tantum loquitur de renuntiationibus ad causas pias; alias valeret renuntiatio officii temporalis, a novitio ante ultimum bimestre facta, cum nec ipsa fieri possit in favorem causae piae, sed generaliter invalidat renuntiationes quascunque, etiam alterius causae intuitu factas, ut satis indicat particula *etiam* ibi adjecta, quae implicativa est, et ab expressis diversa includit.

16

Quaeritur 5. de infirmo? Hujus resignatio, quocunque tempore, etiam in mortis articulo facta, valida erit antiquo jure, *arg. c. lectae*

14. *h. tit.* ut ibi notat *Abb. n.* 2. at novo jure, ut valeat ejusdem (imo et sani, prout stylus, et praxis curiae habet) resignatio, secundum *regulam* 18. *cancellariae*, quae ex *can. plerique caus.* 8. *q.* 1. et *c. fin. h. tit. in* 6. desumpta est, et passim *regula de viginti*, sive *de infirmis resignantibus* vocatur, necesse est, ut postquam ei a superiore acceptante, ipse per se, vel per procuratorem consensum praestiterit, 2. dies supervivat; nam si infra dies illos 20. decesserit, ipso jure resignatio erit invalida. Ratio hoc statuendi fuit gravissima, partim ut ita evitarentur fraudes, quibus collationes ordinariorum, et ipsius etiam papae, uti et ab ipso concessae gratiae exspectativae impediebantur; partim ut tolleretur omnis species successionis haereditariae, quam habere poterant renuntiationes, a morti proximis factae, si per has non secus, ac per ultimas voluntates disponere possent pro libitu.

Habet autem regula haec, ut cum aliis Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 2. §. 3. *n.* 4. *et seqq.* advertit, locum 1. non tantum in infirmis, sed etiam in sanis resignantibus, ut patet ex verbis regulae, quae multis abhinc annis eidem sunt adjecta, ibi *etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatae.* 2. in resignante quocunque, quantunvis exempto; quia regula utitur signo universali *si quis in infirmitate constitutus.* 3. in qualibet resignatione, ibi *resignaverit, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, sive alias dimiserit.* 4. qualecunque sit beneficium, saeculare, sive regulare, simplex, vel curatum, aut etiam dignitas; quia regula dicit *siquis aliquod beneficium.* 5. etiamsi resignatio facta sit coram ordinario; quia regula non limitavit ad resignationes in curia. 6. denique quamvis ea facta sit per procuratorem; quia resignans per procuratorem, vere ipse resignat. Quorum omnium ratio est, quia regula ista est favorabilis ecclesiae, et cons. extensionis patiens, modo sistatur in verborum regulae proprietate, et ad mortem civilem, vel etiam violentam non detorqueatur.

17

Quaeritur 6. quomodo in regula ista accipiantur dies? Resp. Dies hic accipitur pro die naturali 24. horarum, ut cum Rebuffo notat Pirh. *hic num.* 24. Incipiunt autem dies isti 20. currere a die praestiti consensus a resignante, pro ut habetur in ipsa regula.

Dubium est, an dies consensus sit computandus in termino, ita, ut numerus 20. dierum includat etiam diem consensus? Affirmant Flamin. *l.* 12. *qu.* 8. *num.* 15. Pal. *tract.* 13. *D.* 6. *p.* 2. §. 3. *n.* 10. Pirh. *hic num.* 34. et plures alii ab his *citt.* Rationem dant; quia dies termini computatur in termino, quando ejus interest, cui statuitur terminus, ut sic computetur in termino: atqui in proposito terminus 20. dierum praefixus est resignanti, et hujus interest, ut dies praestiti consensus computetur in termino; sic enim facilius exspirat terminus, et cons. facilius, ac citius resignatio sortitur effectum: ergo etc.

Haec sententia admodum probabilis est: altera tamen, quia tenori, et fini regulae magis consentit, probabilior, juxta quam dies prima computari debet a media nocte, residuum autem diei, quo resignationi per superiorem acceptatae resignans consensum praestitit, excludendum a computo. Ita Vallens. *de benefic. l.* 3. *c.* 21. Chokier. *ad reg. cit. n.* 39. Wiestner *hic n.* 43. et alii ab his *citt.* Sumitur ex ipsa regula; quia in hac terminus 20. dierum assignatur per dictionem *A.* quae de sui natura separationem, et exclusionem diei denotat, a quo terminus datur.

Neque contrarium suadet ratio allata; quia 20. dierum terminus statutus est non tam privato commodo resignantis, quam publico favore ecclesiae cujus interest fraudes, et haereditarias successiones evitari in beneficiis.

18.

Quaeritur 7. an dies vigesima inchoata haberi debeat pro completa? Affirmant non pauci apud Flamin. *l.* 12. *q.* 8. *num.* 19. pro regula tradentes, quod dies inchoata in favorabilibus pro completa habenda sit *arg. l. a qua aetate* 5. *ff. qui testam. fac.* ubi validum pronuntiatur testamentum ejus, qui illud *ipso natali suo fecit quartodecimo anno* aetatis; imo *qui pridie post sextam horam noctis:* et ratio datur; quia *jam complesse videtur annum quartum decimum.*

Sed omnino dicendum, non esse computandum diem inceptum pro completo. Ita Flam. *l. cit. n.* 22. Azor. *p.* 2. *c.* 28. *q.* 7. Pal. §. 3. *cit. n.* 11. Vallens. *n.* 21. *cit.* Pirh. *hic n.* 34. Wiestner *num.* 45. Colligitur ex textu regulae, quae beneficium per obitum vacare dicit, si resignans intra 20. dies decesserit: atqui, qui 20. die nondum completo decedit, decedit adhuc intra 20. dies: ergo etc. Accedit, quia si prima, et ultima dies inchoata sufficeret, regula illa ad 18. dies, et aliquot horas restringi posset, si videlicet renunciatio fieret ultima hora primae diei, et mors prima hora diei ultimae: quod esset contra verba regulae, et verisimilem intentionem papae, ut recte notat Flam. *n.* 25.

Ad rationem oppositam imprimis nego, quod computatio illa faveat illi, cui regula faveri vult; vult enim faveri ecclesiae, cui ad excludendas fraudes, et successiones haereditarias magis favorabile est diem ultimum inchoatum pro completo non haberi. Deinde dico regulae illi locum esse duntaxat, quando tempus est designatum per annos; tunc enim ultima dies ultimi anni, statim ac caepta est, pro completa habetur. At cum tempus designatur per dies, requiritur, ut illi a momento ad momentum completi sint.

§. IV.

De consensu superioris requisito ad renuntiationem.

SUMMARIUM

19 *An ad renuntiandum opus sit consensu superioris?*
20 *An eo opus sit ad dimittendum beneficium, quo beneficiarius ipso jure privatus est?*
21 *Coram quo superiore fieri renuntiatio debeat?*
22 *Coram quo renuntiatio simplex?*
23 *In favorem?*
24 *Cum reservatione pensionis, aut fructuum?*
25 *Accessus, ingressus, regressus?*
26 *Aut denique ex causa permutationis?*
27 *Maxime si sint triangulares, vel quadrangulares?*

19

Quaeritur 1. an clericus beneficiatus propria authoritate, sine consensu superioris, beneficium resignare possit? Resp. Si canonice illud consecutus sit, non posse illud sine episcopi consensu dimittere, sed si resignare velit, hoc faciendum in manibus ordinarii, i. e. ipsius authoritate. Ita habetur *can. non oportet* 19. *can. si quis vero* 23. *c. siquis* 24. *caus.* 6. *q.* 1. *et c. admonet* 4. *h. tit.* ubi Alexander III. tornacensi episc. de clericis rescribens, *prohibeas*, inquit, *ne ecclesias tuae dioecesis absque assensu tuo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere inconsulto:* quibus verbis non tantum consilium, sed consensum etiam denotari monet ibid. Abb. *n.* 1. Fagnan. *n.* 3. Idemque est in clericis, qui subjecti sunt praelatis inferioribus episcopo; nam etiam hi sine istorum consensu ecclesias, et beneficia non debent dimittere, ut notat gloss. *in c. cit. V. inconsulto.* Neque id immerito; cum enim clericus beneficio, quod in titulum accepit, sine justa causa privari non possit, par et aequum omnino est, ut nec ipse beneficiatus sine justa causa, et superioris sui consensu illud queat dimittere. *Conf.* nam contrariorum eadem est disciplina, et per quascunque causas renascitur, per easdem dissolvitur: igitur sicut nemo potest beneficium sine superioris authoritate acquirere, ita nec dimittere.

Excipitur 1. si beneficium sit primum quaerendum, aut ad quod clericus solum habet jus ad rem, quale habent electi, praesentati, vel qui impetrarunt litteras papales de promovendo; nam hi propria authoritate renuntiare hujusmodi beneficio possunt ante confirmationem, collationem, vel institutionem a superiore factam, prout sumitur *c. ad audientiam* 31. *de rescript. et c. si electio* 26. *de elect. in* 6.

Excipitur 2. si clericus beneficiarius velit ingredi religionem ; nam his sufficit , si licentiam petierint ab episcopo vel ordinario , quam licet non obtinuerint , adhuc tamen ad religionem transire possunt : *arg. c. licet* 18. *de regular.* gloss. *V. inconsulto cit.*

Excipitur 3. si beneficium sit litigiosum ; nam hoc etiam post collationem , vel institutionem ab eo , qui illud obtinet , sine authoritate superioris dimitti potest , ut docet Abb. *in c.* 8. *h. tit. num.* 4. Flam. *l.* 7. *q.* 1. *n.* 104. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 249. et alii , ex ratione , quia talis renuntiatio est favorabilis , cum per illam in causa dubia recedatur a lite.

20

Quaeritur 2. an opus sit authoritate superioris ad dimittendum beneficium , quo beneficiarius ipso jure privatus est ? Resp. cum distinctione : vel enim privatio ista inducta est ob consecutionem alterius beneficii cum priore incompatibilis , vel ob crimen commissum a beneficiario.

Si primum , prius beneficium dimitti coram superiore , et cum authoritate illius debet , ut statuitur *extr. execrabilis Joan. XXII. vers. qui vero de praeb.* alias poterit superior primi beneficii acceptantem secundum , sine ejus consensu , revocare ad primum beneficium. Imo revera tunc primum vacat ipso jure beneficium prius , quando superior transituro ad aliud consensum praestiterit.

Si secundum , iterum distinguendum est , an beneficiatus criminosus titulum illius beneficii saltem coloratum habeat , an vero non ? Nam si habet , quia videlicet illud legitima superioris authoritate accepit , licet illo ob crimen occultum privatus sit , iterum authoritas superioris requiritur , non quidem ad hoc , ut resignetur jus , ac verus titulus beneficii , qui non amplius adest , sed propter titulum coloratum , quem adhuc habet , et propter quem retinere possessionem beneficii tamdiu potest , quamdiu sententia criminis declaratoria in eundem a judice nondum lata est.

Si vero reus caret titulo beneficii tam vero , quam colorato , eo quod v. g. jam per sententiam declaratum sit , ipsum crimen ejusmodi incurrisse , hoc casu criminosus sine authoritate superioris renuntiare , seu potius beneficium potest dimittere ; quia non renuntiat titulo beneficii , quem non habet , sed tantum injustae possessioni.

21

Quaeritur 3. coram quo resignatio beneficii fieri debeat ? Resp. Coram legitimo superiore. Ex quo sequitur , invalidam esse resignationem beneficii ecclesiastici , quae fit coram laico , prout statuitur *c. quod in dubiis* 8. *hoc tit.* ubi qui ita renuntiavit , nullo adactus metu , aut vi , isto per sententiam spoliandus venit. Ratio est , quia laicus non potest esse , vel dici superior respectu clericorum , et bene-

ficiorum ecclesiasticorum , cum ei nulla jurisdictio , aut potestas competat in clericos , eorumque res , et jura , quippe quae ex objecto suo est potestas spiritualis.

Dubium est , an valeat renuntiatio facta in manibus ecclesiastici quidem , sed non legitimi superioris ? Omnino invalidam esse contendit cum aliis quibusdam Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 223. et videtur hoc colligi *ex c. quod in dubiis cit.* ibi *nullam obtineat firmitatem* , ubi omnino irrita videtur pronuntiari.

Sed distinguendum est cum communi doctrina , et dicendum , eam renuntiationem quidem esse invalidam quoad ecclesiam , vel superiorem , coram quo resignari debuisset , validam tamen aliquo modo esse , quatenus respicit ipsum renuntiantem. Ratio est , quia actus contra legem factus , sicut non debet prodesse agenti , ne is ex suo facto illicito commodum sentiat , ita neque debet praejudicare juri superioris ; nam alteri per alterum iniqua conditio inferri non debet ; *l. non debet* 74. *ff. de R. J. conf.* nam talis renuntiatio videtur continere quasi pactum de non repetendo beneficio , sicut acceptilatio inutilis , etsi non teneat , habet tamen vim pacti taciti , ne petatur *l. si unus* 27. §. *pen. ff. de pact.*

Ex quo sequitur , ita renuntiantem non quidem amittere beneficium quoad proprietatem , et hinc , nisi superior renuntiationem ejusmodi ratam habere velit , compelli ab isto posse ad beneficium resignatum retinendum ; praejudicasse tamen sibi quoad possessionem ejusdem , ita ut non possit amplius beneficium ita dimissum repetere. Et ita intelligendus est textus *c. quod in dubiis* , *cit.* a parte adversa.

22

Quaeritur 4. coram quo superiore fieri debeat resignatio simplex ? Resp. Facienda est in illius superioris ecclesiastici manibus , ad quem pertinet non tantum jus , sive potestas conferendi beneficia , vel instituendi beneficiatos , sed etiam eosdem destituendi , seu deponendi , adeoque qui jurisdictionem habet in renuntiantem : gloss. *in clem. un. V. manibus h. tit.* Abb. *in c.* 8. *h. tit. n.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 19. *q.* 7. Pirh. *hic n.* 68. Ratio est , quia renuntiatio habet vim destitutionis , cum per eam renuntians desinat intitulatus esse : igitur fieri non potest , nisi in manibus ejus , qui habet potestatem destituendi , seu privandi renuntiantes.

In specie admittere renuntiationes potest 1. summus pontifex : extenditque se haec ejus potestas ad omnia beneficia , et pro quocunque tempore , et loco ; quia ipse in beneficiis plenam habet potestatem disponendi , et facultas ab ipso ordinariis data , non privative , sed cumulative data videtur.

2. Legati a latere ; nam hi in collatione beneficiorum provinciae suae de jure communi potestatem cum dioecesium ordinariis concur-

rentem habent: quo distinguuntur a legatis missis *c. officii* 1. *de offic. legat. in* 6. ubi etiam ratio datur; *quia sicut honoris praerogativis laetantur, sic eos authoritate fungi ampliore decet.*

3. Episcopi; nam hi sicut conferre, ita etiam recipere renuntiationes beneficiorum in dioecesi sua possunt, nisi sint exempta ab eorum jurisdictione, et pontifici, vel alteri praelato ecclesiastico etiam quoad renuntiationem reservata. Colligitur *ex c. ex frequentibus* 3. *de inst. c. in ecclesiis* 1. *de capell. monach. et c. admonet.* 4. *h. tit.*

4. Sede vacante capitulum; nam hoc in jurisdictione succedit episcopo, cons. admittere resignationes beneficiorum illorum potest, quorum collatio ad episcopum spectat; *c. cum olim* 14. *de majorit. et obed.* et fuit decisum a majore parte auditorum rotae, ut habetur *decis.* 6. *rer. permut. in novis.*

5. Praelati alii episcopis inferiores, quibus jus, aut potestas admittendi renuntiationem ex privilegio, vel consuetudine legitime praescripta competit; Pirh. *hic n.* 76.

23

Quaeritur 5. coram quo superiore fieri debeat resignatio in favorem certae personae, seu ita facta, et sub ea conditione, ut beneficium resignatum conferatur certae personae nominatae a resignante, et non aliter resignatio effectum habeat, nisi ea conditio impleatur? Resp. haec in manibus solius papae fieri, nec admitti ab inferioribus praelatis ordinariis potest. Ita Rebuff. *in prax. benef. tit. de resignat. condit. n.* 1. *et* 14. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 21. *q.* 2. Suar. *de simon. l.* 4. *c.* 35. *n.* 6. Less. *l.* 2. *de just. c.* 35. *n.* 87. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 154. Pirh. *hic n.* 77. Wiestner *num.* 63. et alii apud istos: idque probatur ex stylo, et usu curiae romanae, seu communi consuetudine, juxta quam hujusmodi renuntiationes sunt reservatae papae propter earum periculum, ne resignationes, et collationes beneficiorum acquirant speciem quandam haereditariae successionis, cum affectus carnis vehementer impellere soleat ad resignandum amicis, et consanguineis: unde qui suum beneficium resignat ea conditione, ut certae personae sit conferendum, videtur successorem sibi constituere in beneficio, quod ss. canones maxime horrent, et improbant.

Conf. secundum jus commune non potest beneficium aliquod de novo conferri, nisi prius vacet, juxta *c. un. de rer. permut. in* 6. *et Clem. un. eod.* atqui beneficium resignatum in favorem tertii, non potest vacare, nisi personae designatae conferatur, quia non prius impletur conditio; igitur renuntiationem ejusmodi admittere nemo potest, nisi qui est supra jus commune: et talis est solus papa, non vero praelatus papa inferior. Quod ita verum est, ut ne quidem ejusmodi resignationem admittere possit per modum purae, et simplicis, rejecta scilicet conditione, ut beneficium conferatur certae personae,

ut recte aliis *citt.* advertit Garc. *l. citt. num.* 155. Ratio est, quia generaliter actus, factus cum aliqua qualitate, et adjectione, non potest acceptari quoad unam partem, et rejici quoad alteram, sed in forma specifica adimplendus est juxta regulam *l. qui haeredi* 44. *et l. Maevius* 55. *ff. de cons. dit. et demonstrat.* atqui in casu praesenti fit resignatio non simpliciter, sed cum adjectione conditionis per modum unius individui actus; neque enim conditio haec pro non adjecta haberi debet, etsi resignatio fiat coram praelato inferiore papa: ergo etc.

24

Quaeritur 6. coram quo fieri possit renuntiatio beneficii conditionalis, quae fit cum reservatione pensionis aut fructuum? Resp. Etiam haec fieri potest coram solo pontifice. Ita Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 20. *q.* 11. *et c.* 21. *q.* 7. Flamin. *l.* 6. *q.* 1. *n.* 3. *et q.* 2. *n.* 1. *et* 2. Pirh. *hic n.* 80. et alii communiter. Ratio est, quia beneficia ecclesiastica regulariter non debent dividi; *c. majoribus* 8. *de praebend.* vel cum diminutione conferri; *c. un. ut benef. eccl. sin. dimin. confer.* dividitur autem beneficium, vel saltem cum diminutione confertur, cum uni pensio, vel fructus ex beneficio dantur, vel reservantur, alteri vero jus, et titulus beneficii confertur: ergo etc.

Dixi *posse hujusmodi resignationem fieri coram pontifice;* quia hic plenissimam administrationem beneficiorum ecclesiasticorum habet; potestque de his disponere, prout necessarium ipsi, vel utile fore videbitur. Ut vero rite etiam ipse illam admittat, opus est causa, et consensu resignatarii. Causa justa quidem, ne temere agat; talis esset, ne resignans nimium dispendium ex ipsa resignatione patiatur, sed habeat, unde commode sustentetur, vel contracta debita solvat: consensu resignatarii autem; quia regulariter habens titulum onus sine fructu, et commodo subire non cogitur, cum secundum Apostolum 1. Corinth. 9. *qui altari servit, etiam vivere de altari debeat.*

Addidi *coram solo pont.* nam aliis praelatis papa inferioribus pensiones imponere beneficiis permittitur solum definite; et ad tempus v. g. ad vitam pensionarii, et ex gravi causa, veluti ob necessitatem, vel magnam utilitatem ecclesiae, et regulariter nonnisi cum approbatione pontificis, ut dicetur *l.* 3. *tit.* 12. *n.* 6. *et seqq. ut benef. eccl. sin. dimin. confer.*

25

Quaeritur 7. cujus authoritate fieri possit renuntiatio beneficii cum reservatione regressus, ingressus, et accessus ad illud? Resp. Solius rom. pontificis authoritate, et consensu fieri potest: idque ex plenitudine potestatis; nam huic trid. derogare non voluit, quando *sess.* 25. *c.* 7. *de reform.* ejusmodi reservationes abrogavit, et statuit, ut *nemini imposterum accessus, aut regressus, etiam de consensu, ad be-*

neficium ecclesiasticum cujuscunque qualitatis concedatur. Quod s. synodi decretum innovatum est a s. Pio V. *const.* incip. *romani pontificis providentia*, ubi revocavit omnes regressus, accessus, et ingressus sub quibuscunque formis, et quibuscunque personis, et quomodocunque concessos. Causa eos tollendi fuit gravissima, eaque duplex, tum quia haereditariae successionis speciem habent, tum ut omnis occasio captandae, vel optandae mortis alienae, et ambitiosa cupiditas in beneficiis obtinendis tolleretur.

26

Quaeritur 8. cujus authoritate fieri debeant resignationes beneficiorum ex causa permutationis? Resp. Si permutatio fiat inter ipsos resignantes fieri possunt non tantum coram papa, sed etiam coram ordinariis collatoribus, ut dicetur *l.* 3. *tit.* 19. *de rer. permut. n.* 65. Si vero permutatio non sit inter ipsos resignantes, sed alios ab his distinctos, ut cum Titius resignat beneficium in favorem Sempronii, qui est consanguineus Caji, ea conditione, ut Cajus resignet beneficium in favorem Maevii, qui est consanguineus Titii, eo casu ab ordinario papa inferiore admitti non potest, ut recte cum aliis advertit Pirhing *hic num.* 82. et rationem dat, quia licet ejusmodi resignatio videatur fieri per modum permutationis, non tamen est pura permutatio, sed mixta cum renuntiatione in favorem tertii; ordinarii autem non habent potestatem admittendi renuntiationes, nisi puras, et absolutas, ut patet *a num.* 22.

27

Quaeritur 9. coram quo fieri possint resignationes triangulares, aut quadrangulares, qualis esset, si Titius beneficium suum resignet ea conditione, ut illud conferatur Cajo; iste suum, ut Sempronio; Sempronius autem suum, ut Titio? Videntur ab ordinario papa inferiore admitti posse; quia quoad effectum ad duas permutationes reducuntur; et idem est, acsi Titius prius cum Cajo, et postea cum Sempronio beneficia permutasset.

Sed esto, hoc ita sit; quia tamen hujusmodi resignationes plura pacta, et conventiones continent, et quidem in gratiam, et favorem alterius, ideo tanquam simoniacae prohibitae sunt jure canonico, quae simonia, cum solum sit juris ecclesiastici, in illa pontifex dispensare potest, et admittere hujusmodi renuntiationem: non vero alius praelatus papa inferior.

Excipitur, si duplex ejusmodi permutatio seorsim, separatim, et successive fiat, e. g. si Titius permutet beneficium suum cum Cajo, et obtento beneficio Caji, permutet istud cum beneficio Maevii; tunc enim eas admittere etiam posset ordinarius, ut rectae Pirhing *hic n.* 83. *in fin.* ex ratione, quia tunc nullum intercedit pactum in favorem tertii, sed solum inter duos permutantes.

§. V.

De causa renuntiationis.

SUMMARIUM

28 *Ad renuntiandum episcopatui requiritur causa justa: tales sunt sex.*
29 *Conscientia criminis.*
30 *Debilitas corporis.*
31 *Defectus scientiae.*
32 *Malitia plebis.*
33 *Grave scandalum.*
34 *Irregularitas personae.*
35 *Praeter has nulla alia sufficit.*
36 *Quid dicendum de voto religionis?*
37 38 *Ad renuntiandum dignitatibus, et beneficiis minoribus sufficit causa longe minor.*

28

Quaeritur 1. an, et qualis causa, requiratur, ut episcopatui suo renuntiare possit episcopus? Quod causa aliqua justa non tantum ad renuntiandum episcopatui, sed etiam aliis beneficiis requiratur, patet ex dictis *num.* 19. et confirmatur ex eo, quia ob utilitatem permissum est renuntiare beneficiis: igitur non est licitum, ut quisque pro suo arbitratu illa possit relinquere; nam libertas talis in maximum ecclesiae detrimentum cederet. Qualis vero sufficiat causa, ut episcopus renuntiare episcopatui possit, definitur *c. nisi cum pridem* 10. *vers. intueri h. tit.* ubi sex enumerantur.

29

1. *Conscientia criminis*, non tamen cujusque, sed ut textus loquitur, *illius duntaxat, propter quod ipsius officii executio*, etiam *post peractam poenitentiam impeditur.* Talia sunt simonia commissa in electione, haeresis, assassinium, falsatio litterarum apostolicarum, et aliud quodlibet, quod infamiam juris ipso jure irrogat, ut notat gloss. *in c. cit. V. sed duntaxat.* Rationem dat textus, quia *si omnes, quos arguit conscientia cujuslibet culpae, cederent, pauci, vel nulli in illo ministerio remanerent.*

30

2. *Debilitas corporis*, sive ex infirmitate, sive ex senenectute proveniens, *non tamen omnis*, ut iterum textus habet, *sed illa solummodo, per quam impotens redditur ad exequendum officium;* ob hanc enim cedere episcopatui pontificis authoritate potest, non tamen cogitur, sed si retinere eundem velit, coadjutor eidem est adjungendus, qui ex reditibus episcopalibus certa portione detracta alatur; *c. ex parte* 4. *de cleric. aegrotant.*

31

3. *Defectus scientiae*, cum quis ea non didicit, quae ad officium suum pertinent, et quorum notitia ad regimen ecclesiae est necessaria; *c. cit. vers. pro defectu.* Etsi autem scientia eminens in episcopo optanda sit, toleratur tamen scientia competens; quia, ut *l. cit.* dicitur, *imperfectum scientiae potest supplere perfectio charitatis.*

32

4. *Malitia plebis; non tamen*, ut *c. cit. vers. non tamen.* Pontifex loquitur, *pro qualibet culpa pastor debet gregem deserere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: sed de superioris licentia tum demum potest non tam timide fugere, quam provide declinare, cum oves convertuntur in lupos; et qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter*, (i. e. sine spe emendationis) *contradicunt etc.*

33

5. *Grave scandalum:* ubi tamen est distinguendum; nam si pharisaicum illud dumtaxat est, et ex malitia profectum, episcopatus dimitti non debet; utilius namque scandalum nasci permittitur, quam ut veritas fidei, et justitiae deseratur; *c. quia scandalizaverit* 3. *de R. J.* At si pusillorum, seu ex ignorantia, aut infirmitate ortum sit, quod populus forte patitur ex gestis, et praesentia episcopi sui, ita ut illud aliter evitari nequeat, quam per medium resignationis, licebit episcopo cessionem petere, *ne*, ut *cit. vers. pro gravi* dicitur, *plus temporalem honorem, quam aeternam* subditorum *videatur affectare salutem:* imo eo casu tenebitur, cogique poterit ad renuntiandum; quia scandalum, quando sine peccato, et salutis periculo potest, vitandum est: et hinc quando dicitur, quod nullus compellatur renuntiare invitus, intelligendum est, si causa justa non adsit.

34

6. *Irregularitas personae;* ubi juxta *c. cit. vers. personae vero* iterum distinguendum est, an irregularitas sit dispensabilis, vel indispensabilis. Si indispensabilis sit, seu in qua papa ordinarie dispensare non solet, ut si ad episcopatum promotus sit bigamus, si ex damnato coitu procreatus, si reus homicidii voluntarii, et notorie perpetrati etc. non solum petere, sed etiam cogi ad renuntiandum potest. At si dispensabilis sit, quia v. g. laborat defectu natalium, praesertim occulto, non debet ei concedi licentia renuntiandi; sed si laudabiliter implet officium suum, cum eodem ob utilitatem ecclesiae dispensari potest.

35

Quaeritur 2. an etiam ex aliis causis praeter sex enumeratas episcopus renuntiare episcopatui suo possit? Putant aliqui, sex istas causas solum referri, quia frequentius occurrunt, non tamen excludi alias

aeque justas, ut si ob intemperiem aeris, coelique, et loci gravitatem manere in dioecesi sua non possit, si in illa habet capitales inimicitias etc.

Sed communior sententia tenet, praeter sex allatas non esse assignandas, vel concedendas episcopis alias, quae ad memoratas revocari nequeant. Colligitur *ex c. cit. §. verum* ibi *si propter alias caussas cessionem affectes, non est in hoc tibi postulanti favendum, cum hujusmodi postulatio videatur non esse discreta.* Estque hoc ita verum, ut neque ex studio salutis, et perfectionis propriae liceat resignare episcopatum, et religionem ingredi, nisi casu, quo videret, se in episcopatu periclitari de salute propria, vel alii invenirentur, qui ecclesiae longe melius praefuturi essent. Patet ex *c. cit. §. ne putes*, ubi *vers. quapropter* Pontifex, *facilius*, inquit, *indulgetur, ut monachus ascendat ad praelaturam, quam praesul ad monachatum descendat.*

36

Ratio est, quia nulli licet de statu perfectiore ad minus perfectum descendere; status autem episcopalis est perfectior religioso: Hinc quamdiu utiliter praesse potest gregi suo, decet, ut ecclesiae, cujus curam suscepit, servire pergat. Imo si episcopus sine licentia papae profiteatur religionem, relicto episcopatu, irrita est ejus professio, ut notat Pirh. *hic n.* 52. et rationem dat, quia Deus non acceptat professionem, quae sit contra prohibitionem ecclesiae.

Dubium moveri potest, an saltem ex religione voti obstringatur renuntiare episcopatui, qui ut melius vacare saluti propriae possit, ingressum religionis vovit? Resp. cum distinctione: vel enim is votum hoc edidit, antequam susciperet episcopatum, et postea non impleto voto, factus est episcopus; vel illud edidit, cum jam esset episcopus confirmatus, vel consecratus.

Si primum, talis episcopatum resignare, et votum implere debet *c. per tuas* 10. *de vot.* neque enim ejusmodi votum commutari potest in susceptionem episcopatus, sicut reliqua vota commutari possunt in susceptionem vitae religiosae: et ratio est, quia licet episcopatus sit status perfectior, id tamen solum ex eo est, quod perfectionem supponat, et requirat in eo, qui illum suscipit, ac retinet: hinc cum de cetero ad perfectionis consecutionem non multum conferat, sicut tamen confert status religiosus, idcirco melius, et gratius DEO est, ut qui sic vovit religionem, prius eam ingrediatur, in qua se perficere potest, quam ut episcopatum suscipiat, seclusa ecclesiae necessitate.

Si secundum, iterum distinguendum est: vel enim ejusmodi episcopus ad regendam ecclesiam ex quacumque causa est minus sufficiens, aut eidem melius praefuturi crederentur alii; et tunc votum tenet, et episcopum obligat saltem ad petendam renuntiandi licentiam,

ut cum aliis advertit Sylv. *V. votum* 3. *qu.* 1. Vel contra utiliter praeest, et praefuturus, praesertim prae aliis, creditur, et votum ejusmodi irritum est, ut aliis *cit.* monet Laym. *in c.* 10. *cit. h. t. num.* 4. Ratio est, quia votum debet esse de meliori bono, sive de eo, quod Deo gratius est; atqui ingredi religionem est opus minus bonum in eo, qui suscepto episcopatu, se ecclesiae obligavit, et eidem utiliter praeesse potest; ergo etc.

37

Quaeritur 3. ex quibus casibus fieri possit renuntiatio aliarum dignitatum ecclesiasticarum, et beneficiorum curatorum, vel etiam simplicium? Resp. haec resignari posse easdem ob causas, ob quas episcopi episcopatum, imo etiam ob leviores; quia tam arcto vinculo ecclesiis, vel beneficiis suis adstricti non sunt, ut adstringuntur episcopi.

In specie autem causae, ob quas resignationes beneficiorum, extra curiam romanam pure, et simpliciter factas, ordinarii locorum admittere possunt, sunt plures, quae enumerantur *in constit. S. Pii V.* incip. *Quanta ecclesiae, edita calend. april.* 1568. et extat. Quarant. *in summ. bullar. V. beneficiorum resignationes.* Prima est, si beneficiatus sit confectus senio, aut valetudinarius. 2. Si gravi morbo, e. g. lepra, paralysi, morbo gallico, vel alio contagioso, et diurno impeditus. 3. Si vitiatus corpore v. g. caecus, claudus, mutus, vel surdus, membro mutilatus, debilitatus, vel deformatus. 4. Si reus criminis, ob quod privari beneficio possit v. g. simoniae, homicidii, adulterii, concubinatus, sodomiae, perjurii etc. 5. Si censuris ecclesiasticis irretitus. 6. Si nequeat, vel non debeat ecclesiae, aut beneficio deservire, ut si sit publice relegatus, vel arreptitius, aut daemoniacus; irregularis, infamis ob vitam turpem, et scandalosam. 7. Si obtineat duo beneficia incompatibilia, quorum unum ad sustentationem sufficiat. 8. Si religionem ingressurus, vel matrimonium contracturus. 9. Si ob capitales inimicitias in loco beneficii nequeat, vel non audeat residere. 10. Si aliqua adsit causa ex iis ob quas episcopus dimittere ecclesiam suam potest.

38

Dubitatur, an ob istas solum, an vero etiam ob alias causas admitti renuntiatio beneficii possit ordinario? Videtur respondendum negative ob *bullam s. Pii V. cit.* ubi in certis solummodo, et ibi expressis casibus renuntiatio conceditur inferioribus.

Sed ut bene cum Zypaeo *analys. jur. pont. h. tit. n.* 1. advertit Konig *ibid. n.* 15. bulla ista quoad hoc vel non est usu recepta, vel certe contraria consuetudine rursum abrogata; nam, ut receptus usus comprobat, etiam ob aliam rationabilem, quamvis privatam, commoditatem juxta ordinariorum arbitrium recipi beneficiorum renuntiationes possunt, modo tria haec observentur. 1. ut beneficium resi-

gnaturus, si in sacris sit constitutus, aliunde habeat, quo congrue, et absque dedecore status clericalis vivere valeat.

2. Ne episcopi, aut alii collatores, qui ex praedictis causis resignationes beneficiorum admittunt, ea conferant suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum; sed quoad hoc piana haec bulla in Germania, et pluribus aliis locis non est recepta.

3. Ut ubi usu diuturno contrarium non obtinuit, resignationes beneficiorum tantum admittantur ex causis *num. praec.* memoratis.

§. VI.

De forma renuntiationis, et praecipue de modo renuntiandi beneficia per procuratorem.

SUMMARIUM

39 *Forma legitimae renuntiationis.*
40 *Ejus pubblicatio.*
41 *Fieri per procuratorem potest.*
42 *Quomodo?*
43 *Observare iste fines mandati debet.*
44 *Contra hoc acta non convalescunt ratihabitione.*
45 *Quando ejusdem potestas extinguatur revocatione?*
46 *Quando morte mandantis?*

39

Quaeritur 1. quid requiratur ex parte formulae ad legitimam beneficii renuntiationem? Resp. 1. ut sit spontanea, ut libera, non vi, gravi metu, aut dolo extorta: de quo *num.* 4. *et* 5.

2. Ut fiat pure, et libere, h. e. nulla interveniente pecunia, seu pretio, conditione, modo, vel pactione simoniaca, vel quae simoniae speciem habeat; alias ipso jure erit irritata, nec firmabitur juramento; *c. ad audientiam* 4. *de his, quae vi, metusve causa etc.*

3. Ut fiat cum consensu patroni, si beneficium sit patronatum, aut electorum, si electivum, ut dictum est *num.* 7. Quodsi tamen causa necessitatis, vel magnae utilitatis hoc petat, isti consensum suum episcopo negare non possunt, ut bene advertit Pirh. *hic n.* 86.

4. Ut fiat cum consensu superioris, ut late a *num.* 19. Quod adeo obtinet, ut consuetudo contraria, ceu invalida, et corruptela, reprobanda sit *c. cum venerabilis* 7. *de consuet.*

5. Ut fiat cum justa causa: de quo a *n.* 28.

6. Ut fiat verbis specificis, et expressis; neque enim in dubio quis praesumitur renuntiare beneficio suo, ex quo sustentari debet,

quodque multis fortasse expensis, ac laboribus acquisivit, *c. super hoc 5. h. tit.*

7. Hodie ex communi stylo tum curiae romanae, tum alibi fieri solet, et debet in scriptis oblata supplicatione, in qua petitur, ut eandem superior admittat ob causas in illa expressas; Flamin. *l. 8. q. 2. n. 1.*

8. Denique per *regul. 34. cancell. et constit. Pii V.* incip. *Sanctissimus*, et Gregorii XIII. incip. *humano:* renuntiationes sic factae, et a superiore admissae publicari debent.

40

Quaeritur 2. quis sit publicationis istius modus, ac necessitas? Resp. 1. facienda est in ecclesia: et quidem si sit beneficium cathedrale, in ecclesia cathedrali tantum; si parochiale, vel intra limites parochiae situm, in parochiali, et cathedrali; si vero nullius dioecesis, nec subjectum alteri parochiae, in ecclesia beneficii tantum; Flamin. *l. 11. q. 6. n. 5. et seqq.* cum communi.

2. Publicatio haec, seu promulgatio resignationis non quibusvis, sed festivis diebus inter missarum solemnia, et officia divina, ad quae convenit frequens populus, per notarium, ejus litteras, earumve transumptum manibus tenentem (non enim necesse est, ut eas recitet) intelligibili voce facienda est, ut omnibus praesentibus innotescere possit; Flam. *l. cit. n. 13. et 41.*

3. Tempus, quo publicatio haec fieri debeat, diversum est; nam si resignatio facta est in curia romana, et beneficium resignatum existat citra montes, h. e. in Italia, publicari illa debet intra sex menses; si vero ultra montes, v. g. in Germania, intra novem menses a die concessae gratiae computandos. Si vero facta sit extra curiam in manibus legati a latere, episcopi, vel alterius collatoris, renuntiatio ab his admitti, vel rejici intra unum mensem, a provisis vero publicari infra tres menses, et intra eosdem possessio capi beneficii resignati debet; tres tamen menses isti currunt non a die resignationis admissae, sed a die, quo collatum est beneficium; Flam. *l. cit. q. 2. num. 3.*

4. Publicandae intra tempus designatum sunt renuntiationes omnium omnino beneficiorum, qualiacunque illa sunt, et quomodocunque renuntiatio illorum facta sit, prout constat ex *constit. s. Pii V. et Greg. XIII. cit.* Et extenditur hoc ad omnes resignatarios, etiamsi sint officiales curiae romanae, imo et cardinales; neque excipiuntur minores 25. annis, ut notat Pirh. *hic num.* 105. curritque, istis etiam ignorantibus, tempus ad publicationem praefixum.

5. Quod resignationum ejusmodi publicationes, cessante legitimo impedimento, intra praedictum tempus non fiant, ipso jure evadunt nullae, ita, ut resignatarii non solum ex iis jus nullum acquirant,

sed ad beneficia sibi resignata, et non publicata quomodocunque obtinenda omnino inhabiles sint: ipsa etiam beneficia non publicata reservantur dispositioni sedis apostolicae, a quo proinde, tanquam vacantia propter non factam publicationem, impetrari possunt, et debent juxta *constit. cit.* cujus dispositionem communiter ab omnibus, et ubique gentium receptam esse contendit Flam. *l. cit. q.* 9. *n.* 6. contrarium tamen docet Garc. *p.* 11. *de benef. c.* 3. *n.* 289. et constat ex praxi Germaniae nostrae, ubi beneficiorum permutationes, et resignationes simplices coram ordinario factae non solent publicari, in quibusdam saltem dioecesibus, et provinciis.

41

Quaeritur 3. an, et quomodo renuntiatio beneficii per procuratorem fieri possit, et debeat? Resp. Circa hanc quaestionem DD. conveniunt communiter in sequentibus 1. quilibet, qui renuntiare beneficium per seipsum potest, etiam potest per procuratorem a se legitime constitutum: nam regula generalis est, quemlibet, quod per se ipsum potest, id ipsum etiam posse per alium, nisi lege prohibeatur; *c. potest* 68. *et c. qui facit.* 72. *in* 6.

2. Resignari per procuratorem possunt beneficia omnia, non tantum simplicia, sed etiam curata, et dignitates ecclesiasticae, etiam maximae, e. g. cardinalatus, aut pontificatus; *Clem. un. h. tit.* ibi *aut alii cuilibet dignitati.*

3. Ad hoc eligi potest, non solum clericus, sed etiam laicus; gloss. *in Clem. un. cit. V. procuratorem, et ibi abb. num.* 2. imo et religiosus, modo consensum superioris sui regularis habeat; Pal. *tr.* 13. *d.* 6. *p.* 2. §. 4. *n.* 2. qui tamen monet, istum non teneri subdito suo consensum praestare, nisi in utilitatem conventus cedat resignatio.

4. Constitui potest ad resignandum procurator non unus tantum, duo, vel tres, aut etiam plures, et quidem vel in solidum singuli, ita ut quisque eorum nomine sui principalis renuntiare beneficio possit, vel simul, et non in solidum, ita ut unus sine alio cedere beneficio nequeat, sed consensus omnium requiratur: quo tamen casu non est necessarium, ut omnes procuratores eodem tempore consentiant, sed satis est, si unus post alium consensum praebeat; quia illa clausula *simul, et non in solidum* in mandato expressa respicit constitutionem procuratoris, non praestationem consensus. Azor. *p.* 2. *c.* 22. *q.* 4.

5. Unus, idemque procurator constitui potest a resignante, ut nomine ejusdem beneficium resignet, et a resignatario, ut nomine hujus resignationem acceptet; quia nullo jure hoc vetitum est, neque apparet ratio, quare non unus, idemque repraesentare possit personam utriusque; Flam. *l.* 9. *q.* 23. *num.* 8. Numquam tamen potest aliquis

eodem mandato constitui procurator simul ad idem beneficium acceptandum, et resignandum, ita ut vi illius mandati possit beneficium acceptare nomine mandantis, et iterum resignare; Azor. *l. c. q.* 7. Pal. *n.* 2. *cit.* Pirh. *hic n.* 95. Ratio est, quia beneficium acceptari nequit animo id sibi collatum dimittendi: atque idcirco ab eo, cui beneficium confertur, exigi juramentum solet, quo fidem faciat, se id dimittendi animo non acceptare.

42

Quaeritur 4. quae requirantur ad legitimam constitutionem procuratoris, ad resignandum beneficium deputati? Resp. 1. procurator ad renuntiandum debet esse libere, et sponte constitutus; *Clem. un. h. tit.* nam constitutio procuratoris coacte, vel per metum facta, est nulla, vel saltem irritanda per ea, quae dicentur *tit.* 40. *de his, quae vi, uetusve causa.*

2. Mandatum procuratori ad renuntiandum beneficio datum debet esse speciale, hoc est, tale, in quo exprimatur nomen beneficii, et locus, ubi situm est, item nomen, et cognomen procuratoris, eique expresse facultas detur ad resignandum beneficium nomine principalis. Flamin. *l.* 9. *q.* 7. *n.* 9. *et* 27. Ratio est, quia resignatio est species alienationis, cons. ad eam faciendam non sufficit mandatum generale, etiam cum libera, et amplissima potestate administrandi.

3. Mandatum hoc procuratorium debet esse in scripturam, seu instrumentum publicum redactum, et obsignatum signo, sive sigillo publico judicis ordinarii, vel communitatis, et postea recognitum, et ab ipso tabellione, qui illud confecit, subscriptum ad tollendam fraudem; Pirh. *hic n.* 96. qui tamen ibidem notat, hoc intelligendum dumtaxat esse, quando renuntiationes fiunt in curia romana, ut habet stylus, et usus ejusdem: nam extra curiam renuntiatio fieri potest per mandatum in litteris privatis expressum, cum istae mentem mandantis jam sufficienter exprimant.

4. Instrumentum procuratorium debet esse integrum, hoc est, non cancellatum, rasum, et deletum, saltem in loco principali; alias erit vitiosum, nullamque fidem faciet, ejusque vigore facta resignatio non subsistet, nisi ejus sine vitio producti cancellatio, ratio etc. post resignationem jam admissam contigerit; Flam. *q.* 7. *cit. a num.* 44.

5. Requirunt aliqui, ut instrumenti, eoque comprehensi mandati procuratorii productio ultra quadriennium non differatur. Sed, ut bene notat Pal. *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 2. §. 4. *n.* 4. in hoc consuetudo provinciarum spectanda est; nam alicubi quocunque tempore admittitur: in Francia, teste Flam. *q.* 13. *num.* 5. etiam post annum finitur.

43

Quaeritur 5. quid observandum sit procuratori nomine alterius renuntianti beneficium? Resp. Debet diligenter observare fines mandati;

alioquin si illos excedat, irrita est resignatio ob defectum consensus in principali constituente. *l. diligenter* 5. *ff. mandat.*

Excipitur 1. si datus ad resignandum pure, et simpliciter, resignet reservata domino pensione, fructibus, vel regressu; quia cum ita principalis mandantis conditionem meliorem faciat, nihil ab ejus voluntate alienum videtur facere; Flam. *l.* 9 *q.* 17. *num.* 146.

Excipitur 2. si habens mandatum renuntiandi cum reservatione omnium fructum, cum id impetrare non possit, renuntiet, reservata dimidia parte fructuum; nam ejusmodi procurator eo casu utiliter rem domini gessisse videtur, cum omnes fructus reservare non posset; Flamin. *l. cit. num.* 20. *et* 21.

Excipitur 3. si constitutus ad resignandum beneficium apud papam, vel ordinarium loci in favorem Titii, resignet coram ordinario absolute, et simpliciter; quia cum apud ordinarium non possit fieri resignatio in favorem alterius, potius est habenda ratio ejus, quod procurator bene gessit, quam ejus, quod ejus principalis non bene mandavit; Pirh. *hic n.* 98.

44

Quaeritur 6. an resignatio, in qua procurator mandati formam non observavit, superveniente mandantis ratihabitione, convalescat, et confirmetur? Videtur respondendum affirmative; quia ratihabitio retrotrahitur, et aequiparatur mandato; *Reg.* 10. *in* 6.

Sed dicendum, non convalescere cum Flam. *l.* 9. *q.* 17. *n.* 70. et communi DD. quia resignatio, et in eam praestitus consensus contra formam mandati irritus est juxta *numer. praec.* atqui, quando actus, ad quem deberet retrotrahi ratificatio, ab initio nullus est, ratihabitio non retrotrahitur, ut pluribus *citt.* monet Flam. *n.* 71. et docet ratio, quia ubi ratihabitio nihil repetit, nihil operatur, aut confirmat. Proceditque hoc maxime in beneficialibus, et beneficiorum resignationibus; nam in his simul exposcitur consensus resignantis, et legitimi superioris illam admittentis, isque formalis, et expressus, ut habetur *in reg.* 45. *cancell.* qui tamen in simplici ratihabitione desideratur.

Ex quo patet solutio ad rationem dubitandi oppositam.

45

Quaeritur 7. an, et qua ratione procurator ad renuntiandum datus revocari possit a principali? Resp. posse ante factam resignationem, prout colligitur *ex clem. un. h. tit.* et docet Flamin. *l.* 9. *q.* 25. *num.* 1. *et* 2. Pirh. *hic num.* 99. Vviest. *num.* 94. Ratio est, quia mandatum revocari potest, si res adhuc sit integra §. *recte* 9. *inst. de mandat.* et sicut potest quis poenitere, et revocare renuntiationem beneficii, quam per se fecit, antequam ea admissa sit a superiore, ita multo magis potest revocare illam, quae fit per procuratorem.

Debet tamen revocatio haec intimari procuratori, vel saltem superiori, qui debet admittere resignationem, alias illa non obstante, resignatio a procuratore facta erit valida; quia ignorantia revocationis praesumitur. *Excipitur;* nisi per malitiam procuratoris, vel superioris, in cujus manibus renuntiatio erat facienda, vel alterius tertii factum fuerit, quo minus posset fieri intimatio revocationis ante cessionem; tunc enim renuntiatio facta per procuratorem revocatum non valebit, etsi revocatio nec ipsi procuratori, nec superiori intimata sit, cum dolus, et fraus nemini prodesse debeat.

46

Quaeritur 8. an mandatum, procuratori datum ad resignandum beneficium, morte mandantis extinguatur? Certum est, extingui, si is moriatur, antequam superiori oblata a procuratore sit supplicatio, et negotium coeptum; quia generaliter mandantis morte mandatum exspirat, si negotium coeptum non sit. §. *item si* 10. *inst. et l. inter causas* 26. *in princ. ff. mandat.* Idque procedit, etsi procurator ignoret mortem mandantis; quia omnes obligationes, et vincula morte solvuntur.

Dubium est, an etiam expiret mandatum mandantis morte, si haec contigit, supplicatione jam porrecta et recepta a datario?

Ratio dubitandi sumitur *ex clem. fin. de procurat.* ibi *procuratorem a praelato, rectore, vel alio quolibet pro ecclesia sua, vel beneficio constitutum, per mortem constituentis revocari censemus, etiam quoad negotia jam incaepta etc.*

Sed distinguendum est. Vel enim ipse principalis supplicationem pro resignatione obtulit, et postea primum procuratorem constituit, ad consentiendum resignationi; vel ipse procurator eandem obtulit, et ea signata, ac resignata fuit a datario, vivente adhuc resignante.

Si primum, non potest procurator post mortem principalis praestare consensum; quia quoad ipsum procuratorem res etiamnum est integra, cum nihil agere coeperit, adeoque eo casu mandatum mandantis morte expirat; Flam. *l.* 9. *q.* 24. *num.* 28.

Si secundum, potest procurator, expressum consensum praestare etiam post mortem constituentis, ut colligitur *ex constitutionibus Alex. VI. et Leonis X.* quae habentur apud Flamin. *l. cit. n.* 15. et ratio est, quia procurator post mortem domini potest incaepta perficere, non autem nova inchoare; *l. nam et Servius* 21. §. *si vivo* 2. *ff. de negot. gest.*

Neque obstat *clem. fin. cit.* quia in hac agitur de procuratore, a praelato, rectore, vel alio *pro sua ecclesia, vel beneficio*, hoc est, alieno, non proprio ipsius praelati nomine constituto, de quo contra juris communis regulas constitutum est, ut mortuo praelato, etiam

quoad negotia inchoata potestas ejusdem cesset, ne facile ecclesiae viduatae patiantur detrimentum.

§. VII.

De effectibus renuntiationis.

SUMMARIUM

47 *Effectus renuntiationis purae.*
48 *Et conditionalis.*
49 *Quando liceat poenitere?*
50 *An redire ad prius beneficium?*
51 *Quid dicendum de renuntiatione in fraudem alterius facta?*

47

Quaeritur 1. quis sit effectus renuntiationis purae, et simplicis? Resp. 1. resignans, postquam admissa est resignatio, amittit omne jus in beneficio, nec illud deinceps vi prioris tituli potest repetere *c. ex transmissa* 3. *c. in praesentia* 6. *h. tit.* Ratio est, quia renuntiando abdicavit a se omne jus, quod in beneficio habebat, et videtur illud habere pro derelicto.

2. Si resignans amittit etiam possessionem beneficii resignati, ita ut ad nudam detentionem, quam forte retinet, non sit restituendus, si ea spolietur; Flamin. *l.* 1. *q.* 16. *num.* 3. quia exceptio renuntiationis spontaneae impedit restitutionem beneficii, cum frustra ei tradatur possessio, cui obstat defectus notorius proprietatis.

3. Quod ex prioribus sequitur, ita resignans post resignationem admissam non potest amplius fructus beneficii juste percipere: cum per illam titulus canonicus extinctus sit, sine quo beneficium juste possideri non potest; spectabunt proinde illi ad successorem in beneficio, cui propterea restituere illos resignans debebit, si quos post remunerationem admissam perceperit. Pirhing. *hic num.* 110.

48

Quaeritur 2. quis sit effectus renuntiationis conditionalis? Resp. Ea regulariter effectum non consequitur, adeoque per illam titulus, aut possessio beneficii non amittitur, nisi purificatae fuerint conditiones, sub quibus factae sunt. Est communis sententia apud Flamin. *l.* 1. *q. num.* 7. *et* 8. Ratio est, quia conditio est ejus qualitatis, ut suspendat actum conditionalem in eventum, vel defectum conditionis, ita ut ea impleta, actus valeat, et effectum habeat; ea deficiente actus quo-

que invalidus sit, neque ullum effectum sortiatur. *l. cedere diem* 213. *ff. de V. S. et l. sub conditione* 16. *ff. de condit. indebit.* Hinc si renuntiatio facta sit ex causa permutationis, et permutatio, seu collatio beneficii utrinque non sit secuta, jus beneficii non amittitur a renuntiante, sed penes eundem manet *c. cum universorum* 8. *de rer. permut.* Idem dicendum de aliis renuntiationibus conditionatis, quae fiunt cum reservatione pensionis, fructuum, vel regressus.

49

Quaeritur 3. an poenitere possit, qui solum licentiam cedendi beneficio a superiore petiit? Videtur non posse; nam ut habetur *c. bonae* 4. *de postulat. praelat.* postulantes aliquem ad praelaturam non possunt recedere a postulatione, postquam ea praesentata est superiori: ergo nec resignaturus beneficium poenitere potest, postquam a superiore petiit licentiam resignandi.

Sed distinguendum est: vel enim licentiam resignandi nondum a superiore obtinuit, vel illam jam obtinuit. *Si primum*, potest adhuc poenitere; *si secundum*, non potest. Utrumque colligitur *ex c. quidam* 12. *h. tit.* ibi *ea obtenta*; ubi statuitur, tales ad cedendum beneficiis, si ea post licentiam obtentam retineant, compellendos: igitur per argumentum a sensu contrario, si licentia nondum obtenta sit, locus erit poenitentiae. Ratio est, quia id statutum est, ne superiori illudatur; ita autem illuditur, si post licentiam obtentam resignatio non sequatur, non vero, si ante illam obtentam supplicans mentem corrigat.

Neque obstat ratio dubitandi; quia postulantes post postulationem superiori praesentatam ideo resilire non possunt, quod jam functi sunt officio, a jure sibi concesso: quae ratio non procedit in renuntiatione.

50

Quaeritur 4. an redire ad beneficium suum resignans possit? Resp. cum distinctione: vel enim renuntiatio facta est conditionate tantum; vel absolute, et simpliciter.

Si conditionate, et conditio nondum impleta est, resignans redire ad illud propria authoritate, et absque nova collatione potest, quippe quod nondum vacare coepit. *Excipitur*, nisi alius interea illud occuparit; tunc enim requireretur declaratio superioris, qua pronuntiet renuntiantem posse ad beneficium redire, quod deseruit; quia non potest propria authoritate possessionem capere, si alius eam occupavit.

Si vero facta est absolute, vel conditionate quidem, conditio tamen jam est impleta, sive novo titulo, et collatione ad illud redire nequit; potest tamen ex novo, si ad illud iterum eligatur, vel praesentetur, vel denuo ei conferatur, prout sumitur *ex c. cum inter* 2. *h. t.*

Proceditque hoc, etiamsi juramentum renuntiationi adjectum sit; nisi aliunde constet, quod renuntians voluerit in juramento adjecto inclusum esse jus etiam ex nova causa superveniente acquirendum; tunc enim distinguendum est: vel enim juramentum hoc factum est principaliter in honorem DEI, v. g. animo ingrediendi religionem, vel praecipue in favorem eorum, quibus jus eligendi competit. *Si primum*, omnino servandum est ob perfectionem status vitae religiosae. *Si secundum*, admittere electionem denuo factam potest, quia eligentes denuo ipsum eligendo censentur relaxasse juramentum: et hoc maxime verum est, si superior ob causam, quae bonum commune respicit, ita imperet; quia in omni juramento subintelligitur haec conditio *salvo jure superioris*.

51

Quaeritur 5. an renuntiatio beneficii in fraudem alterius facta effectum habeat? casus esse potest: Titius impetravit a papa gratiam exspectativam, ut ipsi in eystettensi v. g. dioecesi conferatur beneficium proxime vacaturum. Cajus videns per mortem Sempronii, quia graviter infirmus est, proxime vacaturum beneficium pingue, ut Titium impediat ab hujus beneficii consecutione, tenue beneficium, quod ipse in dioecesi praedicta habet, resignat, quod proinde, tanquam primo vacans, juxta gratiam exspectativam ab ordinario confertur Titio. In hoc casu respondendum est, resignationem hanc Caii effectum non habere, sed perinde esse, ac si facta non fuisset.

Hinc ea non obstante, non tenetur Titius collatum sibi beneficium tenue acceptare, sed diutius exspectare potest, donec pinguius illud beneficium vacet, dummodo per probabiles, et sufficientes conjecturas probare possit, resignationem illam a Cajo factam fuisse in fraudem, vel odium sui: quodsi deinde pinguior illa praebenda vacet, vel alia, potest Titius illam sibi debitam petere, et obtinere. Ita habetur *c. si te 2. h. tit. in* 6. Ratio est, quia licet illa non sit primo vacans, tamen ratione fraudis primo vacare juris fictione censetur, gloss. *ibid. V. debitam*, ne fraudatori malitia sua lucrosa sit.

TITULUS X.

De supplenda negligentia praelatorum.

Saepe in electione, confirmatione, collatione beneficiorum, et aliarum dignitatum ecclesiasticarum committitur negligentia, quae ne damnosa ecclesiis, et animabus periculosa sit, cavetur hoc titulo. Additur altera negligentiae species, quae committi potest a praelatis in administratione justitiae, vel officii sui. Sit igitur

§. I.

De supplenda negligentia in beneficiorum collatione.

SUMMARIUM

1 *Negligentia collatorum inferiorum corrigitur devolutione potestatis ad superiorem,*
2 *Ad quem fiat devolutio beneficii electivi:*
3 *Ad quem collativi?*
4 *An etiam ad capitulum, sede vacante?*
5 *An valeat electio, vel collatio, statim post trimestre, vel semestre elapsum facta?*
6 *Quid observandum in casu juris devoluti?*

1

Quaeritur 1. quomodo defectus, seu negligentia praelatorum inferiorum, in conferendis beneficiis commissa, suppleri possit, et debeat? Resp. Negligentia in hoc committi potest dupliciter, videlicet si vel omnino non, vel de indignis, et inhabilibus provideatur vacanti ecclesiae, vel beneficio: utrovis modo fiat defectus, statutum est *c. licet* 3. *h. tit. et c. nulla* 2. *de concess. praeb.* ut ordinarius collator, qui ejusmodi negligentiam commisit, jure beneficia illa conferendi pro ea vice privetur, et jus istud devolvatur ad illis proximos, sive immediatos eorum superiores: qui si et ipsi negligentes fuerint, transibit potestas conferendi ad alios mediatos gradatim usque ad papam.

Ratio sic statuendi fuit; tum ne ecclesiae, et beneficia diu vacent, cum diuturna vacatio ecclesiis sit damnosa; tum ut sic acuatur diligentia collatorum ad beneficia conferenda tempore per jus consti-

tuto. Estque hoc ita verum, ut post elapsum tempus praefixum non concedatur licentia purgandi moram, licet alias mora purgari possit, ut tradit gloss. *fin. in c. licet cit.* et ratio est, quia haec poena privationis, ob negligentiam decreta, est sententiae ipso jure latae; quilibet autem canon, qui est latae sententiae, habet in se executionem, saltem ita, ut judex per sententiam declarare possit omnia, quae contra ejusmodi canonem acta sunt, ipso jure irrita esse; Pirh. *hic n.* 1.

2

Quaeritur 2. ad quem fiat devolutio beneficii electivi? Resp. cum distinctione inter ecclesiam exemptam, et immediate subjectam pontifici, et inter ecclesiam non exemptam. Si exempta sit, et immediate apostolicae sedi subjecta, potestas illi ecclesiae de praelato providendi pro ea vice devolvitur ad papam immediate, ut notat Vallens. *de benef. l.* 2. *tit.* 20. *n.* 7. Si non sit exempta, et cathedralis sit, devolvitur ad archiepiscopum; si inferior saecularis, vel regularis, ad episcopum ex dispositione concilii lateranensis relati *c. ne pro defectu* 41. *de elect.*

Neque obstat *c. dilectus* 12. *de concess. praeb.* ubi diserte negatur, in cathedralibus ecclesiis devolutionem immediate fieri ad archiepiscopum, et propterea ab hoc facta electio cassatur: nam jus recentius antiquum corrigit: est autem constitutio *c. dilectus cit.* edita anno 1210. quinque annis antiquior constitutione *c. ne pro defectu cit.* utpote quae lata est anno 1215. in hoc autem statuitur generaliter, ut *eligendi potestas ad eum, qui proxime praeesse dignoscitur, devolvatur:* quod vero ea constitutione comprehendantur etiam ecclesiae cathedrales, patet ex verbis immediate praecedentibus ibi: *cathedralis ecclesia, vel regularis.*

Excipitur 1. Si electores elegerint quidem intra statutum a jure tempus episcopum, sed talem, qui sit scienter indignus, vel in electione non servarint formam *c. quia propter* 42. *de elect.* praescriptam; tunc enim distinguendum est: vel enim omnes in hoc peccarunt, vel aliqui tantum. Si omnes, devolutio fit ad papam *juxta c. quanquam* 18. *de elect. in* 6. Si aliqui tantum, potestas eligendi manet penes illos, qui non peccarunt; quia delinquentes pro mortuis habentur: *c. gratum* 2. *de postul. praelat. V. supra tit.* 6. *de elect. n.* 20. *et* 21. *item n.* 34. *et seqq.*

Excipiuntur 2. Episcopatus Germaniae plerique; nam in his jus providendi ab electoribus, si intra statutum tempus non celebrent electionem, devolvitur immediate ad papam ex regula generali, quod ob negligentiam capituli jus providendi immediate devolvatur ad eum, qui habet potestatem electum confirmandi; atqui ex concordatis Ger-

maniae jus confirmandi episcopos in hac electos non archiepiscopus, sed pontifex habet, paucis exceptis: ergo etc.

3

Quaeritur 3. quomodo devolvatur beneficium collativum, seu liberum? Resp. Hic distinguendum est inter collatores, nam 1. collatio spectare potest ad capitulum ecclesiae cathedralis, secluso episcopo. 2. Ad episcopum, secluso capitulo. 3. Ad episcopum, et capitulum simul. 4. Ad alios praelatos episcopo inferiores.

In primo, et secundo casu capitulum, et episcopus vicissim negligentiam commissam supplent, ita ut a capitulo, si hoc intra tempus a jure statutum beneficia ad collationem suam spectantia conferre neglexerit, jus conferendi illa devolvatur ad episcopum; et vice versa si episcopus commiserit negligentiam, devolutio immediate fiat ad capitulum, ut habetur *c. nulla* 2. *de concess. praeb.* Neque obstat, quod capitulum sit inferius episcopo, et inferiorem corrigere defectum superioris non deceat; nam hoc verum est tantum, quando jus aliter non disposuit: disposuit autem ita jus in nostro casu ob communionem, quae est inter episcopum, et capitulum, tanquam caput, et membra ejusdem corporis, ut merito unius defectus per alterum suppleatur; Abb. *in c. nulla cit. num.* 6. *et* 8. *Excipitur*, si jus conferendi competat episcopo jure aliquo speciali, v. g. ex delegatione, singulari privilegio, vel devolutione; his enim casibus, ipso negligente, jus non ad capitulum, sed ad archiepiscopum devolveretur, quod ad hujusmodi beneficia dicta communio non extendatur; Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 27. *q.* 2.

In tertio casu, videndum est, an eo casu jus conferendi capitulo, et praelato competat, tanquam praelato, an tanquam canonico privato. *Si primum*, uno negligente, et praemonito, collatio fieri potest ab altero intra semestre: si vero intra hoc tempus beneficium vacans neuter conferat, eo lapso, devolutio immediate ad archiepiscopum, vel si beneficium exemptum sit, ad papam fiet *c. postulastis* 15. *de concess. praebend. et c. fin. h. tit. Si secundum*, capitulo negligente, conferendi jus ad episcopum, tanquam praelatum, devolvetur, ut notat Barbos. *in c.* 15. *cit. n.* 3. Neque obstat, quod tali casu etiam ipse negligens fuerit, et sua negligentia a nemine suppleatur; quia actus civiliter loquendo non singulis, sed collegio imputatur: proinde eo casu solum collegium negligens fuit, et cons. devolutioni ad episcopum, tanquam praelatum, locus manebit. Aliud foret, si collatio ad ipsum quidem, ut privatum, sed solum spectaret; nam eo casu devolutioni ad ipsum, etiam ut episcopum, locus non esset, propter defectum distinctionis sufficientis personarum negligentiam committentis, et eam supplentis; Barb. *l. cit.*

In quarto casu, si collator sit inferior episcopo, et intra semestre beneficium, cujus collatio eidem competit, conferre negligat, jus conferendi beneficium ad episcopum loci, in quo beneficium suum est, devolvetur; *Clem. un. h. tit.* Ab hoc, si non sit exemptus, devolvetur ad archiepiscopum, ab archiepiscopo ad patriarcham, vel primatem, cui ille subest, et tandem ad papam. Pirh. *de concess. praeb. n.* 34. *not.* 2. Proceditque hoc, etsi collator sit exemptus; nam nisi etiam ipsum beneficium exemptum sit, in casu negligentiae a collatore commissae, jus conferendi ad eundem episcopum, non quidem tanquam ad ordinarium, sed tanquam ad sedis apostolicae delegatum spectabit, ut habetur *Clem. cit.* Dixi *nisi etiam ipsum beneficium exemptum sit;* tunc enim devolutio immediate fieret ad papam, ut colligitur *ex c. cum singula* 32. *in fin. de praeb. in* 6.

4

Quaeritur 4. an a capitulo conferri valeant, sede episcopali vacante, beneficia, quae alias ad episcopum, tanquam dioecesis ordinarium, ob negligentiam collatorum inferiorum devolvuntur? Negat cum paucis aliis Abb. *in c.* 14. *de major. et obed. num.* 2. existimans ea beneficia, eorumque collationes futuro episcopo reservandas. Nituntur 1. textu *c. illa* 2. *ne sed. vacant.* ubi generaliter collatio beneficiorum negatur capitulo, praeterquam in casibus jure expressis: atqui nullo jure expressum est, quod potestas beneficia devoluta conferendi, dum sedes vacat, capitulo competat. 2. Collatio beneficiorum ejusmodi, sicut et aliorum, est fructus dignitatis episcopalis; fructus autem successori reservandi sunt; *c. cum vos* 4. *de offic. ordin.* 3. Collatio beneficiorum est quaedam donatio, sive mere liberalis concessio; *c. un. vers. porro : ut eccl. benef. fin. dimin.* atqui haec non permittitur habenti administrationem rerum alienarum, qualem habet capitulum; sede vacante *c. fin. de offic. vicar. in* 6. 4. Imo ejusmodi beneficia sunt reservata papae *per regul.* 2. *cancell. et bull. s. Pii V.* incipit. *Sanctissimus, editam* 9. *mart.* 1568. quibus beneficia quae, sede episcopali vacante, vacant et ad episcopi collationem pertinent, pontifici reservantur.

Sed etsi sententia haec de juris rigore verior sit, aequior tamen, et satis probabilis est affirmativa, quam praeter alios docent Molin. *tr.* 5. *de J. et J. D.* 11. *n.* 2. Zypaeus *analys. jur. pont. h. tit. n.* 7. Vallens. *l.* 1. *de benef. c.* 10. *n.* 3. Wiest. *hic n.* 30. Ratio est, quia capitulo, sede vacante, permissi sunt actus jurisdictionis necessariae: talis autem videtur esse collatio beneficii devoluti, et omnes illae, quae alicui ex quacunque causa debentur, vel sine ecclesiarum damno, et animarum periculo differri nequeunt, ut Vallens. *l. cit. num.* 2. notat: ergo etc.

Ex quo corruunt argumenta opposita ; nam *ad* 1. *in c. cit.* sermo est de collatione libera , et quae episcopo ex ipsa dignitate episcopali competit , non vero de ea , quae necessaria est , et quae ad episcopum pertinet solum ex accidente. *Ad* 2. eadem ex ratione collatio beneficii devoluti non est proprie fructus episcopatus , cum solum ex accidente competat , scilicet ex negligentia superioris , idque non tam favore episcopi , quam ecclesiarum , et animarum. *Ad* 3. Collatio beneficii , etsi donatio quaedam sit respectu ejus , cui illud confertur , simpliciter tamen est debita , cum ex officio suo ordinarius illam conferat. *Ad* 4. Regula ibi allegata , et probabiliter adducta constitutio s. Pii V. non ligat Germaniam ob concordata §. *item placet nobis* , ubi pontifex diserte promisit , quod nulla reservatione , sive dispositione , authoritate apostolica facta , aut facienda impedire velit collationes ordinariorum extra casus expressos.

5

Quaeritur 5. an valeat electio , vel collatio , statim post trimestre , vel semestre lapsum celebrata ? Ratio dubitandi sumitur *ex c. litteras* 4. *h. tit.* ubi electio postea facta sustinetur : et confirmatur , quia etiam in aliis mora celeri satisfactione purgatur *c. fin. de locat.* ergo eadem purgabitur etiam celeri provisione.

Sed dicendum , ejusmodi electionem , collationem etc. esse omnino nullam , ut cum communi docet Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 27. *q.* 16. Pirh. *de concess. praeb. n.* 35. *not.* 5. item *h. tit. num.* 4. *et* 5. Wiestner *ibid. num.* 37. Ratio est , quia post lapsum temporis a jure praefixi collatores , electores etc. jam privati sunt jure conferendi , et eligendi sic disponente jure in poenam negligentiae : ac proinde collatio , electio etc. postea facta , facta est a non habentibus potestatem conferendi ; haec autem , ipso jure invalida est : ergo etc.

Excipitur 1. nisi is , ad quem devolutio facta est , collatori inferiori , a quo facta est , concedat facultatem conferendi etiam post lapsum temporis a jure praefixi ; tunc enim potest conferre , non quidem amplius jure proprio , quo pro ea vice privatus est , sed devoluto , quod superior ipsi cedit. Azor. *l. cit.*

Excipitur 2. si electores , collatores etc. legitime impediti sint , ne intra tempus jure statutum eligere , vel conferre beneficium vacans possint ; quia legitime impeditis tempus non currit , si de poena ob negligentiam infligendam agatur ; *c. quia diversitatem* 5. *de concess. praeb.*

Excipitur 3. si electio , praesentatio , collatio , facta intra tempus praescriptum , aliunde non sortiatur effectum , vel quod electus non consenserit , vel quod post electionem mortuus fuerit etc. tunc enim electoribus , collatoribus , patronis etc. ad novam electionem , collatio-

nem etc. tempus integrum denuo indulgendum est, modo nihil actum sit fraudulenter; *c. si electio* 26. *de elect. in* 6.

Excipitur 4. si superior, postquam electio, collatio etc. beneficii, elapso jam tempore a jure constituto, facta est, sciens eam sic factam esse, non contradicat; nam expressa tolerantia jus dat in beneficio, praesertim si a papa fiat, et habet rationem novae collationis, ut notat Pirh. *hic n.* 5. Imo, ut idem Pirh. *l. cit.* monet, probabile est, eo casu electum, vel institutum, si nemo se opponat, tuta conscientia retinere posse beneficium sibi collatum post legitimum tempus, etsi superior, ad quem devoluta est potestas, de hoc nihil sciat; quia talis collatio, spectato jure naturali, est valida ante sententiam declaratoriam judicis.

Ad rationem dubitandi solutionem dat ipse textus; vult enim ibidem pontifex hujusmodi collationem *de patientia* substineri, quod significat viam gratiae; multa enim de patientia sustinentur, quae in judicium deducta tolerari non possunt; *c. cum jam dudum* 18. *de praeb. ad conf.* Juris principium est, morae emendationem non admitti, ubi dies et poena a lege, vel homine apponitur; *l. ad diem* 77. *ff. de V. O. et l. trajectitia* 23. *ff. de O. et A.*

6

Quaeritur 6. quid observandum sit ulterius in casu juris sic devoluti? Resp. Tria haec observari debent 1. Devolutio juris fit cum omnibus qualitatibus, beneficio annexis, et quas electores, vel collatores in prima provisione, observare debuissent: atque hinc ordinarius, vel alius superior, ad quem facta est devolutio, beneficium vacans conferre debet personis ejusdem qualitatis, e. g. nobilitatis, gradus in litteris etc. cujus qualitatis personis conferre illud debuissent collatores inferiores, a quibus potestas conferendi est devoluta, ut aliis *cit.* notat Garcias *de benefic p.* 10. *c.* 3. *n.* 42. et ratio est, quia limitata potestas ad superiorem transit cum onere: et superior subrogatus eodem jure censetur cum eo, cui subrogatur *arg. c. ecclesia* 3. juntc. gloss. *V. successerunt ut lit. pend.*

2. Superiori, ad quem collatio devolvitur, ad hoc conferendum tantum temporis competit, quantum habuit is, cujus negligentia est devoluta: idque non a die, quo ad ipsum jus istud devolutum est, sed a die quo scivit, illud ad se devolutum esse; Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 27. *q.* 10. Quod dicendum non solum de proximo superiore, sed etiam de eo, ad quem in casu, quod etiam iste sit negligens, contingit devolutio; Pirh. *de concess. praeb. num.* 35.

3. Si superior post devolutionem beneficiorum contulerit, sed collatio ob aliquod impedimentum non subsistat, jus conferendi redit ad eum, ad quem jure proprio collatio spectabat; Vallens. *de benefic. l.* 2.

tit. 21. *n.* 6. praeterquam si collatum fuisset a papa: quia per appositionem manus papae etiam inutiliter factam, beneficium sit affectum, et proinde, donec istius provisio effectum fit consecuta, ab alio conferri non potest; Chokier *ad reg.* 8. *cancell. gloss.* 19. *n.* 4.

§. II.

De supplenda negligentia in justitiae, et officii administratione.

SUMMARIUM

7 *Ad quem devolvatur jurisdictio, si episcopus sit negligens in administratione justitiae?*
8 *Ad quem, si impediatur exercere officium suum pastorale?*
9 *Quomodo negligentia, vel defectus praelati suppleatur per dationem coadjutoris?*
10 *Quis visitatorem, vel administratorem dare ecclesiae vacanti possit?*
11 *Quae sic dato potestas competat?*
12 *Quid juris, si episcopus abbatem electum sine causâ nolit benedicere.*

7

Quaeritur 1. an si episcopus in administratione justitiae, vel officii negligens sit, potestas et jurisdictio devolvatur ad archiepiscopum, ita ut iste de causis subditorum episcopo illi in prima instantia cognoscere, eosdem ordinare, absolvere, condemnare, excommunicare etc. valeat? Affirmat Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 34. *q.* 10. *in fin.* cum quibusdam aliis. Nituntur 1. textu *c. romana* 1. *h. tit. in* 6. ubi dicitur, quod episcopo ob censuram culpa contractam impedito, ejus jurisdictio non devolvatur ad archiepiscopum: igitur cum exceptio firmet regulam in oppositum, ad hunc devolvetur ob negligentiam; quia per hanc in ipsam jurisdictionem peccatur. 2. *can. cum simus* 3. *caus.* 9. *q.* 3. statuitur, ut metropolitani, *si episcopi, qui sub eis sunt, non sategerint oeconomos statuere in suis ecclesiis*, ipsi eos constituant. 3. exceptio firmat regulam in casibus non exceptis; est autem regula generalis, qua negligentiam inferioris per superiorem supplendam constat *ex rubr. h. tit.* 4. Si non devolveretur ad archiepiscopum, devolveretur ad capitulum, ad hoc autem non devolvitur, nisi in casibus jure expressis; neque enim ullibi talis potestas capitulo concessa reperitur in jure.

Sed communior sententia cum Abbat. *in c.* 11. *de offic. ord. n.* 10. melius negat, quod potestas, et jurisdictio episcopi ob ejus negligentiam devolvatur ad archiepiscopum, praeterquam in casibus jure expressis. Ratio est, quia in materia generaliter prohibitoria, quod expresse non permittitur, prohibitum censetur; *c. inter* 2. *de translat. episcop.* sed jure canonico generaliter prohibitum est archiepiscopo exercere jurisdictionem in subditos suffraganeorum suorum, praeterquam in casibus jure expressis; neque uspiam expressum est, quod archiepiscopus, si suffraganeus ipsius sit negligens in suo officio, possit supplere vices illius, et exercere jurisdictionem in ejus subditos: ergo etc.

Neque urgent argumenta opposita in contrarium. *Ad* 1. casus *c. romana cit.* est unus aliquis casus, in quo jurisdictio non devolvitur ad archiepiscopum; praeter hunc autem sunt plures adhuc alii. *Ad* 2. oeconomum eo casu constituere archiepiscopus potest; quia id *can. cit.* est jure expressum. *Ad* 3. non est verum, quod in rubrica nostra datur regula generalis jurisdictionis firmatae archiepiscopo in casu negligentiae commissae a suffraganeo suo, nam ea ipsi solum competit in casibus infra referendis *tit.* 31. *Ad* 4. non sequitur devolvi jurisdictionem ad archiepiscopum ex eo, quod non devolvatur ad capitulum; nam aliud medium superest corrigendi defectum, si scilicet capitulum recurrat ad archiepiscopum vel ad papam, et hunc imploret, ut episcopum compellat ad praestandum officium suum.

8

Quaeritur 2. ad quem devolvatur potestas, et jurisdictio episcopi, si iste impediatur exercere officium suum pastorale? Resp. distinguendo: vel enim impedimentum istud provenit ex culpa ejusdem, v. g. quia ob delictum a se commissum est excommunicatus, suspensus etc. vel contra illud provenit aliunde, puta ex captivitate ab hostibus fidei, ejus amentia, vel alia causa perpetua, aut durabili.

Si primum, ad papam recurrendum erit, tanquam ad omnium ordinarium, et qui omnibus praeest; *can. cuncta* 17. *et can. seq. caus.* 9. *q.* 3. a quo proin petendum erit, ut vel episcopum ab excommunicatione absolvat, vel alia ratione ecclesiae provideat; Joan. monach. *in c.* 1. *h. tit. in* 6. *n.* 11. Anchoran. *ibid. not.* 2. Pirh. *hic n.* 14.

Si secundum, jurisdictionem in ejus ecclesiam, et dioecesim exercet capitulum; *c. si episcopus* 3. *h. tit. in* 6. quia tunc perinde censeri debet, acsi sedes vacaret: ergo, sicut sede vacante capitulum administrare potest, donec novus episcopus constituatur, ita etiam si episcopus sit omnino impeditus, et inhabilis, donec aliter papa provideat. Idem dicendum, si episcopus in loca remota discesserit, diu abfuturus, et nullum vicarium, seu administratorem constituit; Pirhing. *hic num.* 16.

Excludetur igitur utroque casu ab administratione archiepiscopus: et merito ; quia licet archiepiscopus jurisdictionem suam exercere in suffraganeum , seu episcopum non exemptum provinciae suae possit, in ejus tamen dioecesin , et subditos eam exercere nequit , praeterquam in casibus jure expressis , nuspiam autem reperitur expressum , vel concessum archiepiscopo , quod administrare dioecesin suffraganei sui possit casu , quo iste administratione officii sui dictis modis est impeditus : ergo etc.

9

Quaeritur 3. quomodo negligentia , vel defectus praelati suppleatur per dationem curatoris , seu coadjutoris ? Resp. Iterum distinguendo : vel enim dandus est curator , aut coadjutor episcopo inhabili ; vel remissio in administratione officii sui , et negligenti.

Si primum , ab ipso episcopo cum consensu capituli , vel si is , quid velit , nolitve , exprimere nequeat , ab isto solo assumendus est coadjutor , cujus tamen officium expirat , mortuo episcopo , nisi per specialem gratiam confirmatus a papa jus succedendi acceperit : de quo *l.* 3. *tit.* 6. *n.* 15.

Si secundum , coadjutorem , seu curatorem episcopo dat papa , praelatis inferioribus horum superior , ut colligitur *ex c. grandi* 2. *hoc titul. in* 6. nam generalis doctrina est , quod si ille , qui praeest alicui communitati , in officio negligens , et remissus sit , superior illi dare idoneum curatorem , vel coadjutorem debeat.

10

Quaeritur 4. quis visitatorem , seu administratorem dare ecclesiae vacanti possit ? Satis conveniunt DD. quod talem dare possit capitulum ; cum enim sede vacante capitulum succedat in ordinariam jurisdictionem episcopi , eandem etiam alteri delegare , seu committere potest , nisi expresse reperiatur jure prohibitum.

Dubium est , an eo casu ecclesiae vacanti administrator , vel visitator etiam ab alio constitui possit , et a quo ? In quo iterum distinctione opus est : vel enim capitulum eo tempore negligenter , et perperam rem administrat , vel contra rite fungitur officio suo.

Si primum , dari administrator , vel curator potest ab archiepiscopo , vocatis tamen prius capitularibus (nam horum interest) et praevia judiciali cognitione , ita ut si ea non fiat , administratoris datio non valeat ; *c. fin. hoc tit. in* 6. Gloss. *ibid. V. vacato , et V. seq.*

Si secundum , ecclesiae cathedrali vacanti dari visitator , vel administrator potest a solo papa , ut iterum habetur *c. fin. cit.*

Ratio utriusque est : quia archiepiscopus pro dioecesibus suffraganeorum potestatem multum restrictam habet , et propterea administrationem , quae capitulo sede vacante competit , eidem sine causa ne-

cessaria auferre non potest. At pontifex in omnibus beneficiis plenitudinem potestatis obtinet, ut proinde (quamvis non soleat) etiam extra casum negligentiae capituli, libere constituere coadjutorem, seu administratorem possit.

Dixi *ecclesiae cathedrali*; nam in aliis ecclesiis inferioribus, sive non episcopalibus potest dari administrator in spiritualibus, et temporalibus etiam ab alio, quam papa, ut colligitur *ex c. fin. cit.* a sensu contrario, et monet Franc. *ibid. not.* 2.

11

Quaeritur 5. quae sit potestas administratoris ecclesiae vacanti dati? Resp. cum distinctione: si datus sit a papa, omnem in dioecesi jurisdictionem habet, quam habet episcopus, adeoque conferre beneficia potest, etiam quae ad liberam episcopi solius collationem spectant, et hoc ob ampliorem praerogativam dantis, ob quam etiam decet ampliori datum potestate fungi.

Si vero sit ab alio, quam papa datus, etsi in ceteris administrationem habeat non secus, ac episcopus, beneficia tamen, quae ad liberam episcopi solius collationem pertinent, conferre non potest, ut habetur *c. fin.* §. *hujusmodi h. tit. in* 6. Ratio est, quia collatio beneficiorum libera, est quaedam donatio; administrator autem etiam cum libera potestate constitutus mere liberaliter donare non potest; *l. filius fam. 7. princ. ff. de donat.* Idem dicendum de eo, qui constitutus est a capitulo, sede vacante; nam nec capitulum de rigore juris loquendo hujusmodi beneficia conferre potest. Sed de his plura *libr.* 3. *tit.* 6. *n.* 25. *et seqq.*

12

Superest unus adhuc casus, quo defectus episcopi suppletur, vel potius non obstat, et est, quando is cum humilitate, et devotione tertio requisitus, abbates electos, et confirmatos benedicere sine causa renuit, de quo statutum est *c. statuimus* 1. *h. tit.* ut *iisdem abbatibus*, etiam benedictione abbatiali non recepta, *liceat proprios monachos benedicere, et alia, quae ad officium hujusmodi pertinent, exercere, donec ipsi episcopi suam duritiem recogitent, et abbates benedicere non recusent.* Quod rescriptum, etsi abbatibus cisterciensibus datum sit, ex communi tamen doctrina ad reliquorum ordinum abbates extenditur, teste Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 20. *q.* 6. Laym. *in c. h. tit. q.* 1. Pirhing. *hic n.* 26. et colligitur ex textu; nam ibi pontifex non significat, se speciale privilegium abbatibus ordinis cisterciensis dare, sed generaliter statuit, quid ab omnibus abbatibus fieri possit, ac debeat secundum rei aequitatem, et necessitatem, ne scilicet abbates officium suum exercere diu intermittant, et monasteria propter negligentiam episcoporum, detrimentum in spiritualibus, et aliis patiantur.

Procedit hoc maxime in abbatibus subjectis episcopo dioecesis, in qua monasteria ipsorum sunt sita ; nam exempti non indigent isto privilegio , sed pro benedictione accedere possunt quemcunque episcopum. Et hinc quia talis modo est totus ordo cisterciensis , ejus abbates a quovis episcopo , imo a sui ordinis abbate generali , et vicariis ab eo per provincias deputatis benedici possunt , ex concessione *Innoc. VIII. die* 9. *aprilis* 1489. *et Clementis VIII.* 24. *jul.* 1599.

FINIS PARTIS PRIMAE TOMI PRIMI

INDEX

RERUM ET VERBORUM

A

Abbas et Abbatissa *vid.* Electio.
Abbates consecrati jurisdictionem habentes vocantur ad concilium generale, pag. 136.
exempti possunt accedere ad quemcumque episcopum pro benedictione, 434.
Abrogatio *vide* lex.
Acatholici sese juris publici renovatores jactitant, 71.
Acceptor personarum qui dicatur, 10.
Accessus, quando dicatur reservatus, 392.
Actio realis, varia sortitur nomina, 14.
confessoria, negatoria, publiciana, rescissoria, pauliana, serviana et quasi serviana sunt ex jure reali, 15.
Actiones reales, personales et mixtae, 14, 15.
earum vis et effectus, 15.
Actus legis, quot et quinam sint, 178.
Actus jure naturali irritus quomodo a prohibito distinguatur, 35.
irritus dicitur qui malitia intrinseca perpetua laborat, *ibi.*
Actus interni vel externi an praecipiantur a nova lege, 53.
disquisitiones aliquae in casu, *ibi.*
Aditio sufficit in haereditate, 16.
Administrator ecclesiae; quae sit ejus potestas, 433.
Almericus: ejus error de Trinitate damnatus, 169.
Amens non habet voluntatem nisi tutoris, vel curatoris, 13.
non potest consuetudine legem abrogare, 273.
non potest postulari ad dignitatem episcopalem, 291.
Archiepiscopus potest convocare concilia provincialia, 133. *vide* pallium.
Authenticae, *vide* jus civile.
Auctoritas prudentum, *vide* jus civile.

B

Balbus Bernardus. Auctor primae compilationis decretalium, 116, 117.
Beneficium, quale resignari possit, 395, ad 399.
an possint renuntiari pensiones titulo beneficii ecclesiastici constitutae, 399.
qui possint resignare beneficia, et doctrinae de casu 400 ad 404.
negligentia collatorum inferio-

rum corrigitur devolutione potestatis ad superiorem, 424, 425,
ad quem fiat devolutio beneficii electivi vel collativi, 425, ad 427.
an ad capitulum sede vacante, 427, 428.
an valeat electio vel collatio statim post trimestre vel semestre elapsum celebrata, 428, 429.
quid observandum in casu juris devoluti, 429, 430.
ad acquirendum beneficium ecclesiasticum, sufficit collatio et acceptatio, 16.
vide renuntiatio et rescriptum.
Bononiae studium utriusque juris florentissimum, 119.
Bruti non habent participationem juris naturalis, 22.
neque in ipsis cadit injuria, 22, et 23.
solvuntur difficultates, 23 et 24.
an sint participes juris naturalis saltem materialiter, 24 et 25.
Bulla aurea a quo et ubi promulgata, 72 et seq. auctoritas, *ibi*, autographon ubi asservetur, 73.
Bullarium romanum: an vim legis habeat universalem ecclesiam obligantis? Habet quoad bullas de quibus legitime constat eas pro tota ecclesia promulgatas et receptas esse. Nec obstat Bonifacii VIII. constitutio lib. VI. decretal. praefixa, 157.

C

Calvinus: ejus doctrinae exercitium in imperio permissum, 74.
Cancelleria *vid.* regulae cancelleriae.
Canonici: an omnes habeant jus eligendi, 310, 311.
qui et qua de causa excipiantur, *ibi* ad 315.
Canonum collectiones quot et a quibus conscriptae, 105, 106, 107.
Capitulares ad electionem debent invitari, 323.
et habere expensas profectionis ad locum electionis si sint absentes, 326,
an vivo praelato possint tractare de electione successoris, 336, 337.
vide electio.
Capitulatio caesarea quid sit, 74.
Capitulum cathedrale, an habeat potestatem condendi leges, 183.
Cardinales an possint eligi ad episcopatum vel debeant postulari, 293, 294.
cardinales etsi non episcopi vocari debent ad concilium generale, 135, 136.
sunt electores pontificum, 373.
de hisce electionibus doctrinae, 373 et seq.
an possint compromittere in electione pontificis, 374, 375.
legatorum pontificis ad concilium generale auctoritas, 137.
Carolus quintus doctrinas Lutheri et reliquorum protestantium in imperio permittit, 74.
Clemens V. collector clementinarum, 121.
Clemente VIII. Lib. VII. decretalium multo labore digestus et perfectus, 122. suppressus et qua de causa, *ibi*.

Clementinae, *vide* jus canonicum.
Clerici an obligentur legibus civilibus, 206.
clericus extraneus an eligi possit vel postulari debeat ad praelaturam ecclesiae alienae, 293.
an clerici vacantis ecclesiae habeant jus eligendi episcopum vel praelatum, 309.
Codex an comprehendat jus publicum, 72.
quid hoc nomine intelligatur, 91.
reliqua vide sub verbo *jus civile*.
Collatio et acceptatio sufficit in beneficiis ecclesiasticis, 16.
Collegium; quantus debeat esse numerus personarum ut faciant collegium, 309, et seq.
Communitates ecclesiasticae an habeant potestatem condendi leges, 183.
Commutationis vocabulo quid intelligatur, 9.
divisio commutationum in voluntarias et involuntarias, *ibi*.
Compromissum in electione quid sit et de illo doctrinae, 345 et seq.
electio per compromissum quando fieri dicatur, 345.
qualis requiratur consensus compromittentium, 345.
quales compromissarii et quot numero, 346.
quomodo fiat compromissum, 346. 347.
quot vota requirantur in compromisso, 347. 348.
an necessarium consilium aliorum si sub hac limitatione est compromissum, 348.
an varii ad electionem possint postulare vel eligere seipsos, 348. 349.
an in compromisso requiratur communis electio, 350.
an compromittentes teneantur electum recipere a compromissariis, *ibi* qualiter compromissum expiret, 350, 351.
ad quos jus eligendi transeat si compromissarii elegerint indignum vel non statuto tempore, 351, 352.
quae poena compromissariorum eligentium indignum, 352.
an cardinales possint compromittere et quomodo, in electione pontificis, 374, 375.
Concilia; etymologia, 129.
diverse accipiuntur, et ecclesiastice definiuntur, 130.
probabilius est concilia ecclesiastica a Deo originem repetere, et hoc ex Bellarmino ostenditur et ex instinctu gentium confirmatur, 130, 131.
sunt ecclesiae utilissima etiamsi non absolute necessaria, 131.
pontifex non tenetur uniformari concilii judicio, 132.
causae ob quas convocentur, 132.
generalia et particularia, 132.
particularia sunt vel nationalia vel provincialia, vel dioecesana vel episcopalia, 133, 134.
ad provincialia revocantur ea quae celebrant legati pontificii cum episcopis provinciae, et congregationes ordinum religiosorum, 134.
ad generale concilium convocandum necessario requiritur jussio pontificis, in ipso concilio vel per se vel per Legatum praesidentis, 134.
ad illud omnes qui jus habent

suffragii vocantur, primo episcopi, secundo cardinales, tertio abbates et generales ordinum religiosorum, 135, 136.
hi omnes jus suffragii habent 136.
clerici minores qui concilio adsunt voto tantum consultivo gaudent, 136.
procuratores qui loco episcopi absentis concilio generali intersunt carent voto decisivo, 136.
auctoritas quae cardinalibus legatis tribuitur loco pontificis concilio praesidentibus, 137.
casus in quibus generale concilium absque summi pontificis auctoritate potest convocari, 137.
extra illos casus hoc umquam fieri potest, 137.
datur explicatio canonum et historiarum, ex quibus colligitur concilia aliquando ab imperatore vel ab alio principe saeculari convocata fuisse, 138.
an romanus pontifex sibi jure vindicet potestatem in conciliis generalibus praesidendi, 138.
tenetur affirmativa sententia et refelluntur opposita, 138.
quatuor conciliorum generalium classes, 139.
approbata generalia sunt 18, et 8 reprobata, 140, 141. sex partim approbata et partim reprobata, 141.
unum concilium, nempe pisanum, nec approbatum nec reprobatum reperitur, 142.
decreta conciliorum generalium, si confirmata sint a romano pontifice habent vim legis totum orbem catholicum obligantis, 142.
confirmatio a pontifice petenda est etiamsi legati ipsi concilio praefuerint, 143.
an ante confirmationem pontificis haec decreta conciliaria habeant vim legis universalis, 143.
datur negativa responsio, 142.
id etiam verificatur relative ad concilium convocatum in causa schismatis, vel haeresis papae, 143.
argumenta contraria reiiciuntur, 144.
an in generali concilio condi possint statuta, seu leges ipsum pontificem obligantes, 144.
profertur negativa sententia, et solvuntur opposita, 144.
an pontifex debeat confirmare particularia concilia, 145.
qua potestate ista concilia donantur, 146, 146.
Confirmatio electionis quomodo petenda, et concedenda, et a quo, 358. ad 360, ejus effectus, 360, 361.
vid. *electio*.
Congregatio super negotiis episcoporum, et regularium, 153.
jurisdicti onis, et immunitatis ecclesiasticae, rituum, indicis librorum prohibitorum, 154.
de propaganda fide catholica, sancti officii inquisitionis; quando istarum decreta vim legis habeant, 155.
card. sac. syn. trid. et ejus auctoritas, 147. et seq.
Congregationes nonnullae, et earum potestas, 156, et seq.
Conjugium initum post sponsalia cum alia celebrata, prohibetur jure naturali; non irritatur pag. 34.
Consecratio episcopi: sequitur con-

firmationem, et fieri debet tempore statuto, 361, 362.
a quo, et quot consecratoribus, 362, ad 364.
qua forma, et quo loco, et tempore, 364.
consecrationis effectus, 364, 365.
Constantinus sedet in loco humiliori in synodo Nicaena, 135.
Constitutiones apostolicae, 105.
Consuetudo definitur, 263.
varie dividitur 264, 265. ut vim legis habeat non potest induci ab una persona etiam principe, sed a comunitate tantum, eaque perfecta, 265, 266.
quae requiruntur ad legitimam consuetudinem, 266.
consuetudo debet esse rationabilis, 268.
quid judicandum in dubio, 268.
consuetudo potest esse rationabilis etiam contra legem, 267.
decennium sufficiens est ad consuetudinem firmandam, 269.
etiam adversus legem ecclesiasticam, 370.
nec requiritur praesentia legislatoris, 291.
tempus debet esse continuum, 371.
quanta actuum frequentia requiratur ad consuetudinem inducendam, 272.
cujus naturae debent esse hujusmodi actus, 273.
qualis consensus legislatoris ad consuetudinem inducendam sit necessarius, 273, 274.
effectus consuetudinis praeter jus est obligatio, 276.
haec induci potest etiam per actus extrajudiciales, 276.
consuetudo unius civitatis, vel provinciae non potest aliam obligare, 277.
induci potest consuetudo, quae solum ad poenam obliget, non vero ad culpam, 277.
alter effectus consuetudinis est abrogatio legis praeexistentis, 278.
potest per consuetudinem, etiam lex ecclesiastica abrogari, 278.
manente obligatione ad poenam, sublata obligatione ad culpam, vel contra, 278, 279.
alter effectus consuetudinis est abrogatio legis praeexistentis, 278.
per consuetudinem potest abrogari etiam lex prohibens contrariam consuetudinem, 279.
lex etiam irritans certos actus, 280.
non est necessaria bona fides ad consuetudinem inducendam, 280, 281.
tertius effectus est potestas interpretandi leges, 281.
quod authentice facere consuetudo potest si est legitime praescripta, 281.
in quibus vim exerat consuetudo interpretandi leges, 282.
quartus effectus est irritatio actus alias jure validi, 282.
qualis consuetudo requiratur ut inducat impedimentum irritans matrimonium, 282, 283.
quae sit vis consuetudinis immemorialis, 283.
quid illa efficiat si ei jungatur fama obtenti privilegii, 283, 284.
consuetudo ab allegante plene probanda est, 284, 285.
assertio unius doctoris excellentis in foro externo, praesumptive eamdem probat, non concludenter, 285.

unicus testis illam nec semiplene probat, 185.
consuetudo abrogari potest vel per legem, vel per aliam contrariam consuetudinem, 185, 186, 187.
Contractus vi extortus est irritus, 35.
idem dicendum de dolo versante circam substantiam rei, 35.
Contractus usurarii plerumque irritantur, 34.
contractus a minore celebratus sine debita auctoritate non valet, 39.
Criminosus an possit alteri resignare beneficium, 398.

D

Data *vide* rescriptum.
Decisiones Rotae Romanae. Utrum vim legis habeant? negatur, 160.
magnae sunt auctoritatis, et si plures conformes in eadem causae editae fuerint, consuetudinem et stylum facient, 141.
Decretales *vide* jus canonicum.
Declarationes et earum genera, 151.
Decreta principum *vide* jus civile.
Devolutio beneficii *vide* beneficium.
Delictum an compensetur per poenam, 11.
Dispensatio: an qui ipsam accepit, ut transeat ad majorem dignitatem, possit ad minorem descendere, 382.
vid. lex.
Dispensatio in votis et juramentis humana potestate est impropria, 41.
Doctores qui dicantur, 6.
Dolus circa substantiam rei irritat contractum, 35.
Dominium utile quid sit, 17.
quid directum, *ibi*, horum definitiones, et jura, 17, et 18.
Dominus directus, qui appelletur, 17.
Donatio rei venditae, vel jam donatae non valet, 35.
Donatio facta ecclesiae non habet opus traditione ad dominium acquirendum, 16. voti vim habet *ibi*.

E

Electio, definitio, 304. 305.
distinctiones, 305. 306.
jus eligendi vel postulandi penes quos sit, 306.
an competat laicis vel clericis extraneis, 306. ad 309.
an omnibus clericis vacantis ecclesiae, 309. 310.
an ejusdem canonicis, 310. 311.
an illi qui possessionem dumtaxat canonicatus habet, 311. ad 313.
an ad acquirendum jus electivum sufficiat esse initiatum ad s. ordines, 313. 314.
an providere superior ecclesiae vacantis possit, cum nullus canonicus vel religiosus in sacris est constitutus, 314.
quid dicendum de excomunicatis, 314. 315.
quid de irregularibus, 315.
eligendus ad episcopatum debet esse aetate maturus, moribus gravis, scientiis excultus, 316. 317.

ineligibiles impedimento naturae qui sint, 317.
qui ob crimen vel defectum morum, 317. 318.
qui ratione poenarum ecclesiasticarum vel censurae, 318. 319.
electio indigni est invalida et privat pro illa vice jure eligendi, 319. 321.
hoc jus devolvitur ad innocentes, si qui sint, vel superiorem, 321. 322.
vocandi ad electionem 322. 323.
an electio valeat cum omnes non sint vocati, 323. 324.
jus contemptis competens, 324. 325.
absentes qui vocari debent, 325. 326.
qui sumptus itineris subministrare debeat absenti, 326. 327.
an procurator constitui possit ab absente, 327. 328.
obligationes procuratoris et constituentis, 328. 329.
an capitulum consentire debeat in procuratorem extraneum, 329. 330.
quo loco instituenda electio, 330. 331.
an perfici possit in ecclesia interdicta vel in loco occulto, 331. 332.
quando debeat celebrari, 332.
intra quod tempus, 332. 333.
quando tempus incipiat currere et an abbreviari possit, 333. 334.
poena non eligentium, 335.
tractatus qui aliquando praemittitur electioni an sit necessarius et fieri debeat ante praelati obitum, 335, ad 337.
quid dicendum de capitolationibus et an juramento firmentur, 337 ad 339.
triplex forma electionis, 339, et seq.
quae communis electio, 343. 344.
substantialia electionis, 344. 345.
forma electionis per compromissum, 345, ad 352.
electio debet esse libera, non gravi metu extorta, 353. 354.
poena injuste gravantium electores, et celebrantium electionem per abusum potestatis saecularis, 354. 355.
quando hoc ultimo modo censeatur celebrari, 355. 356.
quomodo electo intimanda et ab ipso acceptanda, 356.
jus electi, 356, 357.
an electus non confirmatus habeat administrationem, 357, 358.
confirmatio a quo quando et quomodo petenda et concedenda, et ejus effectus, 358, ad 360.
an habeat vim sanandi electionem invalidam, 360. 361.
qui eligere ad praelaturam ordinis sui possint, 365. 366.
qui eligi et an statim post professionem, 366. 367.
forma observanda, 367. 368.
an huic electioni noceat votorum publicatio, 368. 369.
specialia in electionibus abbatissarum, 369. 370.
an et quomodo religiosi possint eligi ad praelaturas extra ordinem suum, 370. 371.
an pontifex sibi constituere successorem possit, 372. 373.
qui electores Pontificis et quae forma electionis, 373.

quot in electo requirantur suffragia, et an accessus possit complere numerum, 373. 374.
an et quomodo cardinales possint compromittere, 374. 375.
qualitates requisitae in electo et quando hic fiat verus Pontifex, 375. 376.
an ejus electio valeat impugnari et quando procedi possit ad novam electionem, 376. 377.
Elector Palatinus habet praerogativam judicaturae caesareae, 75.
Emphiteuta qui dicatur, p. 17.
Episcopus. Ejus obligationes quae oriuntur ex justitia distributiva, 9.
potest celebrare synodos dioecesanas, 134.
quam habeat auctoritatem in concilio generali, 136.
an possit eligi ad alium episcopatum vel debeat postulari, 292. 293.
an possit administrare res et jura ecclesiae ante confirmationem, 357.
ad quem devolvatur ejus jurisdictio si negligens sit in administratione justitiae, 430. 431.
vel si impediatur exercere officium suum pastorale, 431. 432.
quid si negligentia vel defectus suppleatur per coadjutorem, 432.
an consecratus transferri possit, 379. 380.
an electus et non consecratus, 380. 381.
an transferri possit invitus, 382.
an ad dignitatem minorem, *ibi* translationis effectus, 383.
qui visitatorem vel administratorem dare ecclesiae vacanti possit et quae hujus potestas, 432. 433.
quid juris si episcopus abbatem electum benedicere sine causa nolit, 433. 434.
vid. Consecratio Electio Lex Renuntiatio Translatio.
Error non juvat ad consuetudinem abrogandam, 273.
Excomunicatus : quae validitas rescripti ab eo impetrati, 233. 234.
Executores rescriptorum qui, 257. ad 263.
Extravagantes Jo. XXII. et Comunes, *vid.* jus canonicum.

F

Feudorum libri *vid.* Jus Civile
Fides catholica ejusque professio. Personae quae obligantur ad fidei professionem faciendam, 172.
etiam per procuratorem fieri potest, 173.
qui eam culpabiliter omittunt fructus beneficii vel canonicatus non faciunt suos, 174.
et probabilius ante sententiam restituere tenentur, 174. 175.
distributiones quotinianas lucrantur, 175.

G

Gallensis Johannes perficit secundam collectionem decretalium, 117.
Generales ordinum regularium vocantur usu et privilegio ad concilium generale, 136.
Glossae auctoritas, 124. et seq.
Graecorum error circa tertiam Trinitatis personam a Gregorio IX. vel X. damnatus, 170. 171.

Gratiani textum de jure naturali quomodo legendum, 32.
decretum *vide* jus canonicum.
Gregorianus codex unde nomen sumpserit, 85.
Gregorius IX. redegit in unum volumen collectiones decretalium, 117. XIII. lib. VII. decretalium curam suscipit, 122.

I

Ignorantia non valet ad consuetudinem abrogandam, 273.
Imperator legibus publicis tenetur solum indirecte, 75.
an leges mutare possit, 76. 77.
habet jus jurisdictionale, 13.
quousque se extendat ejus potestas legislativa, 185. 186.
Impubes an possit renuntiare beneficia ecclesiastica, 401.
Infans non habet aliam voluntatem quam tutoris, 13. non potest consuetudine legem abrogare, 273.
Infideles legibus ecclesiasticis non tenentur, 203.
Ingressus quando dicitur reservatus, 392.
Inspiratio: quid hoc nomine intelligatur in electione, 339.
Institutiones *vide* jus civile.
Interpretum auctoritas *vide* jus civile.
Johannes XXII. promulgat clementinas: auctor extravagantium, 121.
Joachimus abbas; ejus de Trinitate error, 169.
Irnerius Bononiae legum scholam pubblicam instituit, 85.
Julius Caesar de colligendis legibus cogitat, 85. morte prius opprimitur, *ibi*.
Juris consulti, qui dicuntur, 6.
Jurisdictio ad quem devolvatur si episcopus sit negligens in administratione justitiae, 430. 431.
Juris periti qui dicantur, 6.
Juris studiosi qui dicantur, 6. juris prudentia quid sit, 6.
Jus
hujus vocis derivationes, 3.
quae ex his praeferuntur, 4.
varia significatione accipitur, pro eo quod justum, 5.
pro loco quo jus redditur, 5,
pro judicis sententia, 5,
exprimit etiam facultatem agendi et obligandi alterum ad aliquid agendum vel omittendum, 5.
scientiam jurium demonstrat, 6.
legem vel canonem significat, 6.
diversimode dividitur, 11.
duplici modo justi vocabulum accipitur, 11. 12.
dicitur activum et passivum, 12.
activum partitur in jus proprietatis et jurisdictionis; et juris proprietatis definitio, 12.
definitur jus jurisdictionis, 13.
assignantur requisita ad jus proprietatis adquirendum, 13.
hoc jus dicitur reale, 14.
personale, 14.
mixtum, 15.
haec jura differunt inter se, 15.
aliqua requiruntur ut jus reale quis habere dicatur, 15.
ex hoc jure reali aliqua consequuntur, 16.
dividitur jus proprietatis reale in dominium perfectum, et imperfectum, 16.

definitur dominium perfectum, 17.
et etiam imperfectum cum hujus specierum descriptione, 17.
jus jurisdictionis dividitur, 18.
et etiam jus pro lege acceptum, 18.

Jus naturale.
definitur jus naturale, 19.
triplici modo accipitur in sensu s. Thomae, 20.
sub hisce modis sumitur virtualiter, 20.
varia nomina a dd. ei tribuuntur, 21.
sub duplici sensu considerari potest, 21.
subjectum juris naturalis, et rationes dubitandi, 21.
resolvitur dubitatio affirmando nullam juris veri partecipationem brutis inesse, 22.
confirmatio hujus doctrinae, 22.
responsio ad opposita, 23.
habetur dubitatio, an jus naturale materialiter consideratum sit homini brutisque commune, et adducuntur argumenta pro affirmatione, 24.
respondetur, in brutis tantum verificari quandam analogiam et umbram juris naturalis, 24.
et quidquid contra argumentatur diluitur, 25.
refellitur definitio Ulpiani, nempe jus naturale esse id, quod natura omnia animalia docet, 25.
rejicitur etiam illa definitio, quae jus naturale ponit in ipsa rationali natura, 25.
aliqui jus istud dicunt inesse in ipso rationis dictamine indito ab auctore naturae, 26.
haec definitio non placet, 27.
et argumenta favorabilia solvuntur, 17.
haec doctrina confirmatur, 28.
et vera datur definitio juris naturalis, 28.
ad hanc videtur accedere Suarez, 29.
quaeritur an sola principia naturalia sint hujus legis naturalis materia, 30.
dicitur ad ejus materiam etiam illa pertinere, quae ex hisce principiis evidenter et necessario profluunt, 30.
fit responsio ad contraria argumenta, 31.
an ultra haec principia, et illa quae ex principiis evidenti necessitate deducuntur, se extendat jus naturale, 31.
datur negativa sententia, 31.
dantur aliquae regulae, quibus colligi possit, aliquid esse objectum juris naturalis, 32.
istarum explicatio, 32.
indicatur modus quo hae regulae applicentur, 33.
exponuntur praecepta juris naturalis in particulari, 33.
haec dicuntur affirmativa et negativa, 33.
an dentur actus jure naturali irritati, 34.
respondetur affirmative, 34.
oppositionum solutiones, 35.
regulae discernendi actum hoc jure irritum a solum prohibito, 35.
corollarium, 35. 36.
an et quomodo hoc jus dicatur immutabile, 36.
non est mutabile formaliter et proprie, 36. 37.

illius mutatio non repugnat materialiter et improprie, 38.
quod fit maxime quando materia illius pendet ex certa conditione, quae dependet a domino et potestate Dei vel hominis, 38, 39.
conditio talis consideranda ut sciamus an hoc jus in particulari casu mutari possit vel non ; solvuntur objectiones omnes, 39 40. 41.
Hoc jus admittit epiikiam impropriam, 41. 42.
an admittat etiam propriam, 42. 43.
Jus positivum.
ejus etymologia et definitio, 44.
differentia inter ipsum et jus naturale, 44.
ejus praecepta et varietas, 44, 45.
datur juris divini veteris definitio, 45.
ejus conditor solus Deus, 46.
triplicia fuerunt ejus praecepta, moralia, ceremonialia, et judicialia, 46.
moralia sunt juris naturalis, 47.
jus veteris testamenti partitur in morale, ceremoniale et forense, 94.
in lege nova solum mansit jus morale, 47.
an in libris veteris testamenti fuerint leges et praecepta mere humana, 47.
datur negativa sententia et refelluntur argumenta contraria, 48.
definitio juris divini novi, nomina ejus diversa, et praecepta, 48. 49.
an omnia praecepta nobis tradita ab Apostolis, divina sint, maxime illud de homicida et bigamo non ordinando, 49. 50.
respondetur negative, 50.
an praecepta moralia additamenta in lege Christi habuerint, 50. 51.
diluuntur contraria, 51.
quaenam leges ceremoniales ad jus positivum divinum pertineant, 52.
ad hoc pertinent quae sunt propria sacrificii, et Sacramentorum, 52.
ad opposita respondetur, 53.
an lex nova obliget ad actus tantum externos, vel etiam internos praecipiat ; et quot modis hi secundi jubeantur, 53.
Jus humanum positivum.
hujus juris definitio, et necessitas, 54. 55.
dividitur in scriptum et non scriptum, 55.
cur ita appelletur, 55.
Jus gentium.
hoc jus pertinet ad jus humanum non scriptum, 56.
quid nomine gentium intelligatur, 56.
quid veniat sub nomine juris gentium, 56.
dividitur in primarium et secundarium, 57.
an valeat divisio, 58.
an detur jus gentium proprie dictum, 68.
respondetur affirmative, et refelluntur opposita, 58.
an jus gentium sit ex toto positivum, 59.
datur affirmativa sententia et rejiciuntur argumenta contraria, 59. 60.

an idem jus sit ex toto humanum, 60.
affirmatur, et probatur ex s. Thoma, et ratione, 61.
opposita dissolvuntur, 62.
quid jus gentium, quod ejus objectum, et quotuplex sit, 62. 63.
objectum juris gentium propriissime, et minus proprie accepti, 63.
hoc jus producit obligationem in conscientia, quatenus praeceptivum, aut prohibitorium est, 64.
et stringit principes supremos, 64.
hoc jus potest mutari, et etiam illud propriissime dictum, 65.
redditur hujus mutabilitatis ratio, 65.
moraliter loquendo hoc tolli nequit, 66.
etiam relate ad sua praecepta singularia, 66.
discrimen hujus juris a jure naturali et civili, 66. 67.

Jus civile
Varie accipitur, 68.
dividitur in pubblicum et privatum, 69.
definitur jus publicum, et in antiquum et hodiernum partitur, 69.
juris publici a privato differentia, 70.
qui author, et quae origo juris publici, 70.
an recte acatholici glorientur tamquam hujus juris reformatores, 71.
jus hoc in sacris, in sacerdotibus et magistratibus consistit, 71.72.
tres libri ultimi codicis, et aliquot novellae jus publicum antiquum componunt, 72.
in imperio romano germanico hodie vim habent publici juris bulla aurea, pax publica profana, ordinatio camerae, et judicii imperialis aulici, pax religiosa, pacificationes aliae, capitulatio caesarea, recessus imperii, 72, ad 74.
omnes imperii status et subditi legibus publicis obstringuntur, et etiam imperator ob vim directivam indirecte, 75. 76.
imperator non potest istas leges immutare, nisi accedat statuum imperii consensus, 76.
at potest cum uno vel altero in his legibus dispensare, 76.
an possit imperator absque statuum consensu ea mutare quae se servaturum promisit, 76.
affirmatur, et hoc fit ob necessitatem, 76.
negatur si ob magnam utilitatem; sed vero cum exceptione, 77.

Jus civile privatum.
ejus definitio et discrimen ab aliis juribus, 78.
varie in variis locis sumitur, 79.
aliud merum, aliud mixtum, aliud commune, aliud particulare, 79.
scriptum, et non scriptum, 80.
scriptum partitur in civile in specie, et praetorium, 80.
praetorium adjuvat jus civile, et hujus mitigat rigorem, 81, 82.
originem trahit a jure naturae cum aliquibus additamentis, et detractationibus hisce factis, 82. 83.

romanum habuit initium ab urbe condita, 83.
et vim juris scripti accepit ex leg. XII. tabularum, 83.
et praeterea interpretatione juris consultorum, 84.
corpus juris Justinianei diversis codicibus confectum coepit in Italia florere saeculo XII. 85.
jus istud ante saeculum XV. in Germaniam translatum non fuit, sed sub illius saeculi finem, 86.
hoc jus plurimi Germaniae ordines secuti fuere, 86.
at tres ultimi codicis Justinianei libri non ita recepti sunt, 87.
partes quae jus romanum componunt, et alia jura, quae in ejus corpore includuntur, 87.
jura in hoc non existentia, 87.
etymologia, origo et auctoritas pandectarum, 88.
compilatores, et annus compilationis, et factae promulgationis, 89.
earum partes, et numerus librorum, 89.
institutiones, et tempus quo editae sunt, 89.
harum vis, et divisio, 90.
inscriptionum auctoritas, 91.
varii codices; Justinianeus est alius, et alius repetitae praelectionis, 91.
auctoritas legum, et authenticarum codici insertarum, 92.
novellae, et harum versiones, 93.
illarum auctor, et tempus editionis, 93.
ratio cur authenticae nominentur, 94.
aliqua de his novellis notanda, 94.
auctoritas edictorum Justiniani, et aliorum jurium, 94.
jus feudorum est consuetudinarium, 94.
horum libri, et auctoritas, 95.
speculum saxonicum, et suevicum, 95.
praestat jus feudale romanum, 96.
istius juris observantia, 96.
an detur aliqua antinomia in voluminibus Justiniani, 96, ad 99.

Jus canonicum.

ejus etymologia, et nomina diversa, et definitio, 100. 101. 102.
praestat civili, et hoc saepe corrigit, 102. 103.
saepe etiam petit a civili subsidium, 103.
ejus origo ab Apostolis leges, et canones statuentibus, 104.
additio ei facta ob apostolicas constitutiones, et ob alia jura, 105.
decem canonum collectiones: prima Dionysii Exigui, secunda Fulgentii Ferrandi, tertia Martini Braccarensis, quarta Cresconi, quinta Isidori, sexta Brocardi, septima cardinalis Deusdedit, octava Anselmi Mantecani, nona Ivonis Carnotensis, decima hodierna, 105. 106. 107.
scriptum, et non scriptum, 108.
scriptum in commune, et speciale dividitur, 108.
commune aut infra aut extra corpus positum, 108.
hujus volumina, seu partes, tria continent: decretum Gratiani in prima parte, cujus decreti describitur materia, et quod etiam

vocatur concordantia discordantium canonum, 107. 109.
quinque libri decretalium Gregorii IX. in secunda parte, quae olim non erant in corpore juris, 109.
sextus decretalium, Clementinae et extravagantes in tertia parte, 109.
auctoritas canonum apostolicorum, 109. 110.
auctor decreti, et quando istud editum fuerit, 111.
an habeat vim juris approbati, 112. 113. 114.
quid judicandum de paleis, quae in decreto Gratiani reperiuntur, 114. 115.
quae auctoritas tribuatur epistolis in collectione Isidori comprehensis, 116.
quoties compilatae sunt decretales, 116.
author ultimae compilationis istarum, et materia quae in ipsis tractatur, 117. 118.
an textus Gregoriani habeant vim juris eccclesiastici totam ecclesiam obligantis, 118. 119.
an omnes textus juris canonici ab antinomia possint absolvi, 119, 120.
quae regula tenenda quando in jure canonico canonum contrarietas inveniatur, 120.
author libri decretalium, clementinarum, et extravagantium, 121.
liber VIII. decretalium duplex est: unus a Petro Mathaei collectus, alter jussu Clementis VIII. impressus, sed non vulgatus, 122.
haec tertia pars juris canonici habet plenum robur, et validam authoritatem in foro, 122.
dubitatur si ita dici possit de extravagantibus communibus: dubitatio resolvitur affirmative, 122. 123.
libro VII. decretalium, tam Petri Matthaei, tam Clementis VIII. auctoritas denegatur, 123. 124.
auctoritas, quae datur rubricae titulis, et capitulis praefixae, et quot modis haec possit allegari, 124, 125.
quae vis tribuatur summariis capitulorum, 126.
quid sentiendum de superscriptionibus, quae sunt in decretalibus, 126.
auctoritas, quae glossae conceditur in juris interpretatione, 126. 127. 128.

L

Legati pontificis ad concilium generale, et eorum auctoritas, 137.
Legatus. Privilegi a, et praerogativae legatorum sunt juris gentium, 59. et 63.
Legatum. A morte legantis statim acquiritur legatariis, 16. etiam ignorantibus, ibi.
Leges XII. tabularum unde collectae 84.
variis temporibus auctae, 84, 85.
Leges regiae unde dictae, 83.
Legislator quando obligare possit, 204. et seq.
Lex definitur, 176.
dividitur in divinam naturalem, et humanam, et haec subdividitur

in ecclesiasticam, et civilem, 177.
insuper alia dicitur praeceptiva, alia poenalis, alia mixta, alia affirmativa, alia negativa, alia irritans, vel tantum prohibens, alia favorabilis, alia odiosa, 177.
actus legis sunt imperare, vetare, permittere, punire, 178.
causa finalis omnis legis proprie dictae est bonum commune, 178. 179.
homines potestate pollent leges ferendi, 180.
ecclesiasticas principaliter summus pontifex, 180, 181.
post pontificem etiam ceteri praelati jurisdictionem obtinentes ecclesiasticam, 181.
potestas concilii in legibus condendis, 181, 182.
potestas congregationis cardinalium, 182.
capituli cathedralis ecclesiae sede vacante, vel non vacante, 183.
aliarum communitatum ecclesiasticarum, 183. 184.
cui inest potestas condendi leges civiles, 184.
summus pontifex potestate destituitur leges civiles ferendi, quae temporali ejus dominio non subjectos obligent, 184. 185.
imperatores suis legibus tantum suos subditos possunt obligare, 185. 186.
praelati inferiores pontifice non possunt condere leges adversus ius comune ecclesiasticum: possunt magistratus, et principes imperii adversus jus civile, 186. 187.
materia, et objectum legis sunt omnes actiones humanae etiam indifferentes, 187. 188.
excipiuntur mere internae, 188, 189.
sub quo respectu actus praeteriti possunt esse materia legis, 190.
princeps neque lege, neque alia ordinatione potest auferre subditis jus suum, nisi bonum commune id exposcat, 190. 191.
quaenam sit forma legis, 192.
sententia declaratoria a legislatore lata vim legis habet, non tamen ea, quae litem dirimit, nisi id legislator exprimat, 192. 193.
ut lex obliget, requiritur ejus promulgatio, 193. 194.
quantum temporis decurrat necesse est a promulgatione in provinciis facta, ut lex imperialis vim suam exerat, 194. 195.
quae solemnitates necessariae in promulgatione legis canonicae, 195. 196. an etiam requiratur populi acceptatio, 196. 197.
Lex humana obligat in conscientia, si proprie lex sit, 198. 199.
existunt leges mere poenales, 200. 201.
quibus in casibus lex obliget cum gravi periculo vitae, vel alterius gravis jacturae, 201.
quomodo lex obliget fundata in falsa praesumptione, 202.
tenentur legibus soli subditi ratione utentes, 203.
Legislator directe legibus suis non adstringitur, 204. 205.
nec clerici civilibus, 205. 206.
nec religiosi exempti episcopalibus, nisi cum jus eos Ordinario subjicit, 207.

pueri cum ad rationis usum pervenerint, obligantur legibus etiam ecclesiasticis, si materia illorum aetati conveniat, 207. 208.
qui inculpabiliter legem ignorat, semper a culpa excusatur, qui vero poenam, non semper a poena eximitur, 208. 209.
peregrinus solvitur legibus patriae suae, ex qua discessit, nec tenetur directe legibus loci per quem transit, 209. 210. 211.
idem probabilius de vagis dici potest, 212.
quotuplex sit interpretatio legis, 213. 214. legislator legem authentice interpretatur, vel ejus successor, vel superior, vel qui ab his facultatem habet, 214.
quilibet potest eam doctrinaliter interpretari, 215.
quaenam sint regulae in doctrinali interpretatione observandae, 215. 216.
regulariter lex non est extendenda de casu ad casum lege non comprehensum ob rationis similitudinem vel identitatem, 214, et seq.
quando locus sit interpretationi restrictivae legum per epiikiam, 217, 218.
cessat lex cessante ejus causa finali, 218. 219.
cessat per abrogationem 219, 220.
per posterioris promulgationem 220.
quis possit legem abrogare vel eidem derogare, 220. 221.
an inferior possit abrogare legem a se latam, si a superiore confirmata fuerit, 221. 222.
an episcopus vel archiepiscopus abrogare possit constitutiones a se factas in synodo dioecesana, 222. 223.
cessat lex per dispensationem; *ibi*; et an dispensari possit in lege naturali, 223. 224.
an detur dispensatio in jure divino positivo et a quo, 224. 225.
cui competit potestas dispensandi in lege ecclesiastica, 226. 227.
quando in episcopis et praelatis inferioribus censeatur potestas dispensandi in lege pontificia, 227.
circa quos dispensatio exercenda, 227. 228.
utrum superior possit secum ipsa dispensare, 228. 229.
ut valida, vel licita sit dispensatio, utrum sit necessaria causa justa, 229. 230.
Lex, est juris species, 7.
Lex mosaica; eam condidit solus Deus, 46.
Lex: dividitur in naturalem et positivam, et haec in divinam et humanam, 61. reliqua *vide* in verbo Jus.
Litterae beneficiales, *vide* Beneficium et Rescriptum.
Litterae gratiae: *vide*, Rescriptum
Lullus Raymundus: ejus vanitas et error circa Trinitatem, 171.
Lutherus: ejus doctrinae exercitium in imperio a Carolo quinto permissum, 74.

M

Magistratus nomine quid intelligatur, 72.
si insignitus delegata potestate habet jus jurisdictionis, 13.
Mathildes comitissa hortatur Irnerium ad scholam publicam Bononiae instituendam, 85.
Matrimonium quando, et quo jure valeat, 163. 164.
initum inter consanguineos primi gradus lineae rectae irritatur, 34.
idem dicendum de contracto cum impotentia perpetua ad copulam conjugalem, 35.
hujus turpitudo non tantum est in contractu, sed etiam in usu *ibi.* clandestinum a trid. declaratum invalidum, 39.
Metropolitanus potest convocare concilia provincialia, 133.
Minor viginti quinque annis an possit benef. renuntiare, 401.
Monachus extraneus an eligi possit vel postulari debeat ad praelaturam monasterii alieni, 295.

N

Novellae. An valeant utpote jus publicum, 72.
vide jus civile.
Novitius, an possit resignare beneficium, 402.
Numa Pompilius, an leges pop. rom. dederit, 85.

O

Obreptio quid sit, 245. de hac doctrinae *ibi*, et seq.
Ordinatio camerae, et judicii imperialis aulici, 73.

P

Pactio de re turpi irritatur, 34.
Paleae: quid hoc nomine intelligatur in decreto Gratiani, 114. 115. 116.
Pallium quid sit, 384.
cur dicatur sumptum e corpore sancti Petri, 384. 386.
a quo et quibus hoc concedatur, et infra quod tempus petendum, 385. 386.
quid juris per ejus traditionem consequatur archiepiscopus, 386. 387.
quando et ubi licitum sit uti pallio, 387 ad 390.
an transferri ad alios possit, 390. 391.
Pandectae *vide* jus civile.
Papa. Ad ipsum spectat episcoporum confirmatio, 297.
qui possit eligi ad pontificatum, 375.
an possit papatui renuntiare, 401.
habet jus jurisdictionis, 15.
calumniose reprehenditur jura principum involasse, 71.
accusationes et confutationes in casu, *ibi.* An sibi constituere successorem possit, 372. 373.
quae forma eligendi eum *ibi:* quot ad electionem requirantur suffragia, 373. 374.
an possit complere numerum per accessum, 374.
an cardinales compromittere possint super ejus electione, 374. 375.

qualitates requisitae in eligendo ad pontificatum, 375.
quando electus fiat verus pontifex et an possit ejus electio impugnari, 374.
an possit papatui renuntiare, 301.
est judex omnium controversiarum etiam sine concilio, 131.
non tenetur stare judicio concilii, 132.
concilium potest celebrari et convocari ejus sola auctoritate, 234.
et illi debet praeesse vel per se vel per legatos, 134. 135.
habet potestatem gubernativam in tota ecclesia, 180. 181.
an habeat potestatem condendi leges civiles, 184. 185.
an dispensare jure divino possit, 224. 226.
Vid. *Concilium, Rescriptum, Episcopus, Jus, Postulatio, Confirmatio, Electio etc.*
Patronata beneficia an resignari possint, 396. 377.
Pax: pacis publicae profanae nomine quid intelligatur. 73.
quid pacis religiosae, 73. 74.
Osnabrugo monasteriensis quid, 74.
Pensiones titulo beneficii an renuntiari possint in favorem tertii, 399.
Peregrinus an teneatur legibus patriae, ubi illae non vigent, 209. 219. 211.
Placita principum *vide* jus civile
Plebiscitum *vide* jus civile.
Possessio dominio non transfertur, 16.
Postulatio praelatorum: ejus natura et differentia, 288. 289.
ejusdem varietas effectus et finis, 287. 290.
postulari possunt qui non possunt eligere, 291.
dummodo impedimentum dispensari possit et soleat, *ibi*, et seq. an episcopus possit ad alium episcopatum eligi vel debeat postulari, 292. 293.
quid dicendum de cardinalibus, 293, 294.
quid de praelatis episcopis inferioribus, 294.
ad postulandus ad praelatum sit clericus vel monachus extraneus 295.
postulare possunt qui et eligere, 296.
a quo superiore fieri debeat postulatio, 296. et seq.
an iste eam possit repellere, 297. et seq.
poenae postulantium vitio laborantem vel defectu indispensabili, 298.
poenae postulantium non habentes aetatem requisitam, 298. 299.
forma postulationis, 299. 300.
an eadem persona possit postulari et eligi. 300. 301.
quot suffragia debeat obtinere postulandus, 301. 302. 303.
an postulantes variare possint, 303. 304.
Praecepta decalogi sunt de jure naturae, 30.
Praecepta naturalia non obligant semper absolute, 41.
Praecepta juris divini novi quae sint, 49.
apostolorum an sint divina, *ibi.*
Praeceptum morale quid sit? quid coeremoniale, 46. et 47.
nonnulla de his, 48, et seq.
Praelatus habet aliquando jus jurisdictionis, 13.

Praelati inferiores an habeant potestatem condendi leges, 181.
Praelati ecclesiastici quam habeant auctoritatem in concilio generali, 136. 137.
Praelati a quibus eligi vel postulari debeant, 306 et seq.
qualitates in ipsis requisitae, 314. 317. et seq.
qui ab electione arcentur et, electi, privantur, 317. et seq.
an possint administrare res et jura ecclesiae ante confirmationem, 357. 358.
Praelatus episcopo inferior an possit eligi in episcopum vel debeat postulari, 294.
cujus auctoritate transferatur, 381.
Praescriptio praevalet adversus jus domini prioris, 39.
adiicit possessori rei possessae dominium, 41.
Praesentatio *vide* Rescriptum
Praetor: de hoc et ejus auctoritate *vide* Jus civile.
Princeps: ejus obligationes ex justitia distributiva, 9.
fruitur aliquoties jure jurisdictionis, 13.
juri gentium subiicitur, *ibi*
Privilegium juri publico opponitur, 49.
Privilegiorum derogationes, 241.
Primas potest convocare concilia nationalia, 133.
Procurator an possit eligi ab absente ad electionem faciendam et de hac re doctrinae, 327 et seq.
Procuratores resignationum qui, et eorum officia, 417 et seq.
Prodigus a curatore omnino dependet, 13.
Professores qui vocentur, 6.
Promulgatio in legibus necessaria est ad obligationem, 194. 195.
Proprietarius qui dicatur, 17.
Protestantes unde nomen habuerint, 74.
Pupillus dependet a voluntate tutoris, 13.

Q

Quirites unde nomen habuerint, 79.

R

Recessus imperii: hoc nomine veniunt decreta comitialia quae a statibus, et ab imperatore concluduntur, 74. 75.
Regressus: quid sit reservatio regressus, 392.
Regulae cancellariae apostolicae an habeant vim juris communis, 158.
affirmatur quando generales sunt, et per novi juris formam, modoque novo feruntur, 159.
negatur quando litterarum expeditionem in curia concernunt, 158.
an in his regulis necessaria sit promulgatio, 159.
diluuntur opposita argumenta, 160.
Rei vindicatio est actio realis, 15.
Religiosi an obbligentur legibus civilibus, 206, et episcopalibus, 207.
Renuntiatio: ejus definitio et divisio in tacitam et expressam, 391 ad 393.
metu fraude vel dolo extorta va-

let quamvis sit rescindenda, 393. 394.
quae beneficia resignari possint, 395, ad 399.
an possint renuntiari pensiones jure ac titulo beneficii ecclesiastici constitutae, 399.
qui possint resignare beneficia, 400.
an papa possit papatui renuntiare, 401.
an clericus, annis minor, novitius, vel infirmus, 401, ad 403.
quomodo computandi dies requisiti ad recognitionem infirmi, 403. 404.
an dies vigesima inchoata, habeatur pro completa, 404.
an ad renuntiandum opus sit consensu superioris, 405. 406.
vel ad dimittendum beneficium, quo beneficiarius est ipso jure privatus, 406.
coram quo superiore fieri debeat renuntiatio beneficii, vel resignatio simplex, 406, ad 408.
coram quo in favorem alicujus, vel cum reservatione pensionis, 408. 409.
cujus auctoritate fieri debet renuntiatio beneficii cum reservatione regressus, ingressus, et accessus, vel resignatio ex causa permutationis, 409. 410.
coram quo fieri possint permutationes triangulures, vel quadrangulares, 410.
renuntiatio episcopatus requirit causas juxtas, 411.
enumerantur quae sint, 411, ad 413.
quid dicendum de voto religionis, 413. 414.
causa longe minor sufficit ad renuntiandum dignitatibus, et beneficiis minoribus, 414. 415.
forma renuntiationis legitima, 415. 416.
ejus publicatio an fieri per procuratorem possit, et quomodo, 416, ad 418.
procurator in renuntiatione debet observare mandatum, 418. 419.
cum nec posterior ratihabitio sufficiat, 419.
an procurator ad renuntiandum datus revocari possit, 419. 420.
an valeat post mortem mandantis, 420. 421.
effectus renuntiationis purae, et conditionalis, et quando liceat poenitere, 421. 422.
an resignans possit redire ad beneficium, 422. 423.
an renuntiatio beneficii in fraudem alterius facta valeat, 423.

Rescriptum
rescripti definitio, 231. 232.
ejus divisio, 232.
a quo concedi possit, 232. 233.
a quo impetrari, 234.
ab excommunicato in septem casibus, 234.
regulariter rescriptum justitiae nemo potest pro alio impetrare, nisi speciali mandato instructus sit, 234. 235.
potest rescriptum gratiae, 235. 236.
quaenam sit forma rescripti, 236. 237.
quid in rescriptis justitiae exprimendum, 237. 238.
quid in rescriptis beneficialibus, 238. 239.

quanta sit vis motus proprii, 240. 241.
vis clausularum, quae rescriptis solent addi, vel subintelligi, 240. 241.
rescriptorum vitia, 242. 243.
quid obreptio, quid subreptio sit, 243.
si rescriptum fraude vel dolo impetratum fuerit subreptitie, vitiatur totum, 244.
per simplicitatem vel ignorantiam aliquando vitiatur, aliquando non, 245.
petitio si sit separabilis, vitiata una rescripti parte per ob. vel subreptionem, non censetur altera vitiata, 246. 247.
utrum rescripta vitientur, si ex duabus causis in eo allegatis una sit falsa, 247. 248.
quando rescripta vitientur per errorem adjectae qualitatis, 248.
quo tempore rescriptum legitime impetratum, judici delegato, vel gratiae executori in eo nominato sit praesentandum, 249.
quem producit effectum legitimo tempore praesentatum, 250.
quale tempus in rescriptis sit attendendum, datae an praesentatae, 250. 251.
quale in litteris gratiae ad beneficia, 251. 252.
rescripta justitiae regulariter interpretanda sunt juxta propriam verborum significationem, jus commune, ac stricte, ita ut minimum afferant praejudicium, 253. 254.
rescripta ad beneficia strictam habent interpretationem, 254. 255.
nonnullae conclusiones deducuntur, 256.
dispensationes regulariter stricte interpretandae sunt, 256. 257.
quibus rescriptorum executio committenda sit, 257. 258.
an commissa executio transeat ad successores ejus, cui facta commissio fuerat, 258. 259.
quando rescriptorum executio sit facienda, 259. 260.
pluribus impetratis rescriptis quodnam praeferendum, 261.
ex pluribus rescriptis impetratis ad beneficia quodnam sit validum, 262.
an rescripta gratiae mandari executioni possint, mortuo eo, qui ea concessit, 262. 263.
Resignatio *vid.* Renuntiatio.
Responsa prudentum *vide* Jus civile.
Romani sublatis regiis legibus, quo jure usi sint, 83. 84.
Romilius. Auctor sen. cons. de extraneis legibus colligendis, 84.
Romulus. An pop. rom. dederit leges, 83.
Rubrica praefixa titulis text. can. an habeat auctoritatem, et quando, 124. 125.

S

Sacerdos qui sit et jure intelligatur, 72.
Sacra quae sint, 71. 72.
Sacramenta pertinent ad substantiam cultus divini, 52.

Sacrificium spectat ad substantiam cultus divini, 52.
Salvius Julianus. Ejus edicti praetorii collectio, 86.
Scrutinium in electione quid sit, 339. et seq.
quos actus contineat, 340.
qui et quot scrutatores esse debeant, 340. 341.
quomodo instituendum, 341. 342.
quae publicatio illius, 342.
qualis votorum collatio, 342, 343.
Senatuscons. *vide* Jus civile.
Statutum provinciale vel particulare non habet vim legis universalis, 79. 80.
Summaria capitulorum in textu quam habeant auctoritatem, 126.
Subreptio quid sit, 243.
consequentiae *ibi* et seq.
Superscriptiones decretalium; quid de his judicandum, 126.
Synodus Tridentina
tempus, quo fuit celebrata, ejusque auctoritas cum ceteris conciliis aequalis. Potestas eam interpretandi reservata soli Pontifici, et executio cardinalium congregationi super hoc institutae demandata. Postea eidem congregationi concessa quoque fuit potestas ex eodem concilio decidendi casus primum claros, 147.
in posterum etiam dubios. Personae, quibus congregatio constat, hujusque facultates, 148.
an declarationes hujus congregationis vim habeant legis ecclesiasticae, 149.
prima sententia negat, secunda affirmat, 150.
tertia distinguit, et negat de extensivis, nisi fiant ex speciali summi Pontificis mandato, et legitime promulgentur, et affirmat de comprehensivis, 151.
responsa ad primae sententiae argumenta, 152.

T

Tempus ad consuetudinem requisitum, 269.
Testamenti veteris definitio, 45.
Theodosianus codex a quo dictus, 85.
Titulus juxtus, requiritur ut quis dicatur habere jus in re, 15.
Traditio requiritur ad transferendum dominium, 15.
Translatio: ejus natura, 378. 379. *vide* Episcopus.
Trinitas. Error circa mysterium ss. Trinitatis Joachimi abbatis et Almerici, 169. 170.
error Graecorum negantium Spiritum sanctum a filio procedere, et aliorum, 170.
Raymundus Lullus refellitur, 171.

U

Usucapio praevalet adversus jus domini prioris, 39.
Usufructuarius qui dicatur, 17.

V

Vagi sine domicilio qua ratione legibus teneantur, 212.
Vasallus qui dicatur, 17.

Venditio rei jam donatae vel venditae non valet, 35.
venditio facta praetio justo majori, jure naturali prohibetur, non irritatur, 34.
Voluntas est vera et interpretativa, 13.
Votum obbligat tantum sub conditione possibilitatis, 41.

REIMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed. Sac. Pal. Ap. Mag.

REIMPRIMATUR

Joseph Canali Archiep. Colossensis Vicesg.

KBR2119.5 .S35 A35 1843

Schmalzgrueber, R.P. Francisco.
Jus ecclesiasticum universum :
brevi methodo ad discentium
utilitatum explicatum, seu

This is the property of
Southern Evangelical Seminary
3000 Tilley Morris Rd., Matthews, NC 28105

SOUTHERN EVANGELICAL SEMINARY
37387000486363